BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
H
21
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JUS NATURÆ
METHODO SCIENTIFICA
PERTRACTATUM.

PARS SECUNDA,

IN QUA AGITUR

DE DOMINIO

AC INDE

RESULTANTIBUS JURIBUS
CUMQUE IIS
CONNEXIS OBLIGATIONIBUS.

AUTORE

CHRISTIANO WOLFIO

POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS CONSILIARIO INTIMO, FRIDERICIANÆ p.t. PRO-RECTORE, PRO-CANCELLARIO, JURIS NATURÆ ET GENTIUM ATQUE MATHEMATUM PROFESSORE ORDINARIO, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM PARISINÆ SOCIETATUMQUE REGIARUM BRITANNICÆ ATQUE BORUSSICÆ MEMBRO.

B. R.

CUM PRIVILEGIIS

HALÆ MAGDEBURGICÆ MDCCXLII.
PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA.

Digitized by Google

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI
AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICO
REGI BORUSSIÆ, MARGGRAVIO

BRANDENBURGENSI, SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-CAMERARIO ET PRINCIPI ELECTORI, SUPREMO SILESIÆ INFERIORIS DUCI, PRINCIPI SUPREMO ARAUSIONENSI, NOVI CASTRI ET VALANGIÆ, GELDRIÆ, MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIACI, MONTIUM, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM, VANDALORUM ET MEGAPOLIS, NEC NON CROSNÆ DUCI, BURGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI, VANDALII, SUERINI, RACEBURGI, OST-FRISIÆ ET MURSII, COMITI HOHENZOLLERÆ, RUPINI, MARCÆ, RAVENSBERGI, HOHENSTEINII, TECKLENBURGI, SUERINI, LINGÆ, BURÆ ET LEERDAMI, DOMINO ROSTOCHII, STARGARDIÆ, LAUENBURGI, BUTOVIÆ, ARLAYÆ ET BREDÆ

&c. &c. &c.

REGI AC DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

REX AUGUSTE

INtereſt generis humani, ut Jura illa certa ſint, quibus Gentes inter ſe utuntur & negotia publica reguntur: incertitudo enim magnam poſt ſe trahit malorum catervam. Jura hæc ipſa rerum natura conſtituta ſunt, & inter ſe indivulſo nexu cohærent, ita ut ex aliis naſcantur alia, nec detur aliquod, quod non agnoſcat rationem ſufficientem in primitivis, quæ im-

mediate

Digitized by Google

mediate ex ipſa hominis ac rerum natura deducuntur. Illa ego in ordinem redigere cœpi ſub protectione Potentiſſimi Suecorum Regis Haſſiæ Langravii, ſub TUÆ autem MAJESTATIS auſpiciis alibi ſecundis avibus cœpta nunc continuo. Prima jam in lucem prodit continuatio, quæ partem Juris naturæ ſecundam comprehendit de rerum communione primæva ac dominio in ejus locum ſurrogato. Ex illa intelligitur, quæ homini unicuique natura rerum conveniant jura, & Regum ac Principum eſt curare, ne dominia in præjudicium eorundem introducta eſſe jure quis conqueri poſſit. Jura hæc quæ homini natura competunt, tueri debent Principes, qui ut poteſtate legislatoria rite utantur, legum, quas ferunt, normam, agnoſcere tenentur Jus illud æternum ac immutabile. Hæc MAJESTATI TUÆ intime perſpecta eſſe novit orbis univerſus,

ut adeo nullus dubitem fore, ut, REX SAPIENTISSIME, TIBI probetur meum, quod in enucleando Jure Naturæ ac Gentium colloco, ſtudium, quemadmodum ipſo facto admodum luculenter oſtendiſti, non improbari TIBI meos philoſophiam univerſam, qua nihil præſtantius homini a Deo datum eſſe agnovit antiquitas, reformandi conatus. Etenim vix ſolium conſcenderas, cum de me in terras TUAS revocando & de fortunis meis omni ex parte augendis cogitares, cumque Rex Sueciæ, Haſſiæ Landgravius, ægre me dimittere vellet, cujus munificentia ac protectione prorſus ſingulari inter tot inimicorum inſultus ac funeſta molimina tutus ac ſecurus per multos annos fueram uſus, ipſemet effeciſti, ut veniam abeundi ac Halam redeundi impetrarem. Publice igitur MAJESTATI TUÆ gratias immortales humillima ac venerabunda

men-

Digitized by Google

mente agere jubet pietas, ſine ingratitudinis labe non intermittendas. Ea eſt ratio, quæ præſens operum meorum volumen ad pedes MAJESTATIS TUÆ ſubjectiſſima mente deponere jubet, tanquam animi grati teſſeram, ut pateat orbi univerſo, quicquid ad amplificandos generis humani theſauros, quos in veritatibus ad augendam felicitatem hominum utilibus conſiſtere certum ac exploratum eſt, indefeſſa opera poſthac collaturus ſum, id totum munificentiæ TUÆ deberi. Primis ſtatim diebus, cum, Regum SAPIENTISSIME, regnum oculis omnium in TE converſis capeſſeres, celeri gradu fama minime fallax exibat per orbem univerſum, fore ut per MAJESTATEM TUAM ſcientiis ac artibus ſuus reſtituatur honos, & eædem longe lateque diffundantur, quo ſane munere auguſtius humano generi dare nequeunt Reges. Et quamvis divina

Digitized by Google

vina providentia contigerit, ut in ipſo ſtatim regiminis limine Mars ad ſe TE totum traxiſſe videretur, ut TE Heroem agnoſcant Gentes potentia ac fortitudine præſtantem; non tamen adeo infeſtus eſt Mars Minervæ, ut amico fœdere jungi non poſſint. Quamobrem non vana ſpe expectamus Saturniam ætatem a TE in Terram reducendam, ubi pace Germaniæ, immo Europæ univerſæ reſtituta TIBI ipſi redderis, ut, Marte lampada tradente Minervæ, quod de ſcientiis ac artibus propagandis & amplificandis ſumma prudentia apud animum TUUM ſtatuiſti, ipſo opere exequaris. Servet TE Deus, REX vere AUGUSTE, Delitium generis humani, & conſiliis TUIS reſpondere jubeat eventum. Ita vovet

AUGUSTÆ MAJESTATIS TUÆ

humillimus ac ſubjectiſſimus
CHRISTIANUS WOLFIUS.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

PRodit jam ex intervallo pars ſecunda juris naturæ. Quod id ſit longius, ne mireris: primum enim cogitatio de mutando domicilio, deinde ipſa mutatio moram injecit operi cœpto continuando. Cum enim anno 1740. in lucem prodiret pars prima, ad profeſſionem in Academia Ultrajectina lautis conditionibus invitabar, quam præter commoda privata, ſcientiæ propagandæ ac naturalis præſertim felicius perficiendæ opportunitas non parum commendabat. Exiguo intervallo interjecto Rex Boruſſiæ pro voluntate in ſcientias earumque cultores ac me inprimis

Digitized by Google

propenſiſſima conditionibus ſplendiſſimis ac lautiſſimis me Halam revocabat. Fatorum meorum non ignari facile per ſe judicabunt, quænam mihi fuerint rationes, cur providentiæ divinæ ſingulari tribuerem reditum adeo honorificum in Academiam Fridericianam. Erat tamen Marburgi non modo commodiſſima mearum Muſarum ſedes, verum etiam ea rei meæ familiaris ratio, quæ vel inſolita munificentia alibi vix ac ne vix quidem in melius mutari poſſe videbatur, quemadmodum jam publice profeſſus ſum (*a*). Dudum quoque decreveram vitam Marburgi finire, probe gnarus ſedem, qua ſedemus, commodam non ſine graviſſimis rationibus mutandam eſſe, & gratus in Domum Haſſiacam animus cogitationem omnem a mutando domicilio retrahebat. Inter has animi diſtractiones de continuando Jure naturæ cogitare non licebat, præſertim cum novæ editioni Tomi primi Elementorum Matheſeos vacarem, cujus maxima pars per æſtatem anni 1740. typis deſcribebatur, donec ſub ejus finem in Algebra gradum ſiſtere jubebat domicilii translatio. Qui factum fuerit, ut ex tam dubiis animi fluctibus emerſerim & quomodo quaſi nolentem ad mutandum domicilium traxerint fata, alibi jam dixi (*b*). Cum Halam rediiſſem

(*a*) In Programmate de neceſſitate methodi ſcientificæ & genuino uſu Juris Naturæ ac Gentium p. 4.

(*b*) loc. cit. p. 6. 7.

diiſſem die ſexta Decembris urbem ingreſſus & in rebus meis adornandis totus eſſem; ſtatim munus Pro - Rectoratus negotioſiſſimum mihi offerebatur: & quamvis onus hoc declinarem, ſemeſtri tamen ſpatio elapſo eidem ut humeros meos ſubmitterem tandem mihi perſuaderi paſſus ſum ob rationes ſatis prægnantes. Moram igitur facile excuſabunt, qui æqui rerum arbitri ſunt. Rationes moræ ſilentio præterire haud debebam, propterea quod, qui inimicum in me animum nondum depoſuerunt, ſed invidia potius exacerbarunt, mendaces ſparſerunt rumores, quaſi animi corporisque vires adeo defeciſſent, ut muneri meo obeundo non par ſim, nec animum ad ſcribendum eodem, quo ante, ſucceſſu appellere detur, cum tamen idem adhuc vigor ſit, anno climacterico magno inter tot curas & labores exacto, qui fuerat ante hos octodecim annos, cum Hala Marburgum tanquam in aſylum ſecederem. Et quoniam confido, Deo providente, eundem vigorem adhuc conſervatum iri, operam quoque daturus ſum, ut non interrupta continuatione mora penſetur.

Præſentem partem ſecundam quod attinet, agit ea de dominio ac inde reſultantibus Juribus una cum iis connexis obligationibus. Dominia ſurrogata

gata in locum communionis rerum primævæ. Quamobrem neceſſe erat hanc ante explicari, quam de dominio ageremus. Dominia nimirum inde orta, quod jus natura omnium commune fieri cœperit proprium. Quamobrem quale ſit jus dominium & quænam jura particularia hinc deſcendant, nemo intime perſpicit, niſi qui communionem primævam intime perſpectam habet. Vulgo Autores de communione rerum primæva nonniſi perfunctorie agunt, immo non deſunt JCti, qui eandem ex Jure naturæ eliminandam eſſe contendunt, non alia certe de cauſa, quam quod originem omnis juris non ſatis profunde ſcrutati ſunt, nec quomodo alia ex aliis obſtetricantibus obligationibus naſcantur perviderunt. Quodſi quis attenta mente perlegerit, quæ a nobis in præſenti volumine demonſtrata ſunt, is non modo comprehendet, quam neceſſaria ſit ampla de communione primæva tractatio, ne doctrina de dominio luce ſua deſtituatur; verum etiam abunde convincetur, communionem primævam legi naturæ ex aſſe convenire, etſi nec ea repugnante in ejus locum dominia ſucceſſerint. Qui jura intime perſcrutari voluerit, is primo loco perpendere debet, quale ſit jus aliquod in ſtatu naturali originario, quodnam jus gignat in adventitio, introductis dominiis ac impe-

Digitized by Google

imperiis privatis. Deinde inquirendum eſt, quamnam mutationem ſubeant hæc jura in ſtatu civili, ut pateat quid tum vi notionis civitatis in genere, tum vi formæ regiminis & ſtatus civitatis in ſpecie addendum vel demendum ſit juri naturali, ut efficiatur jus civile, quod vel civitati omni, vel in ſpecie huic vi formæ ac ſtatus ſibi proprii convenit. Ita demum penitus inſpiciuntur Jura tam naturalia, quam poſitiva, & liquido conſtat, quomodo civilia ex naturalibus efficiantur, & quænam horum in omni civitate recipi poſſint, quænam vero inepte introducantur. Multi conqueruntur de legibus Romanis abſurde apud nos receptis, quod a noſtris moribus abhorreant: quod etſi verum ſit de iis legibus, quæ rationem ſufficientem in ſtatu Reip Romanæ agnoſcunt, adeoque Romanorum propriæ recte dicuntur, earum tamen a ceteris differentiam hactenus non ſatis oſtenderunt Juris Romani interpretes. Quodſi quis ea, quam dixi, methodo leges Romanas ad examen revocare voluerit, is ipſo facto convincetur, vera eſſe, quæ a nobis dicuntur. Neque enim loquimur niſi experta, qui ejus rei periculum fecimus, cum in Lectionibus publicis differentias Juris naturalis ac Romani ſecundum ordinem Inſtitutionum explicaremus. Nullus dubito fore, ut mentem meam plenius perciperent, ſi vel unum titulum Inſtitutionum hoc modo evolveremus:

Digitized by Google

mus; inſtituti vero præſentis ratio id minime permittit. Rectius fidem oculatam dabimus ſuo loco, quando theoriam legum civilium naturalem demonſtraturi ſumus. In parte prima explicavimus Jura, quæ homini connaſcuntur primaria, una cum obligationibus reſpondentibus. Ex iis a priori deducuntur, quæ de communione rerum primæva tradidimus. Dominium reſultat, dum ex jure communi efficitur proprium, quemadmodum jam ante inſinuavimus. Quicquid vero de dominio & reſultantibus inde Juribus ac cum iis connexis obligationibus demonſtratum fuit, id ſuo modo jam obtinuit in communione primæva, nec introductis dominiis locum haberet, niſi in communione primæva jam locus aliquis eidem fuiſſet. Minime exiſtimandum eſt, facto humano demum effici Jura naturæ, quin potius certum eſt, Jura homini connata in ſtatu adventitio ſolummodo mutationem quandam ſubire pro ratione hujus ſtatus. Qui attentionem ſufficientem afferunt ad præſentem de communione primæva ac dominio tractationem perpendendam, modo jurium in parte prima explicatorum fuerint probe memores, hanc jurium immutationem pro diverſo ſtatu admodum clare perſpicient, & in ſequentibus non ſine voluptate eandem contuebuntur. Atque ita demum extra omnem

nem controverſiam poſitum erit, Jus naturæ omne, ſive abſolutum, ſive hypotheticum dixeris, immo Jus omne etiam poſitivum, quod nomen ſuum tuetur, nec per abuſum Jus dicitur, quod injuria dici rectius debebat, in ipſa hominis natura radicari. Poterant in præſenti opere multa dici brevius, ſed minime conſultum exiſtimavimus, ut, dum breves eſſe volumus, evadamus obſcuri, nec ab iis ſatis intelligamur, multo minus eos convincamus, quibus ſcribimus. Alia dabitur occaſio, qua totum Jus naturæ ad principia generalia nonnulla revocare licebit, unde cetera per modum corollariorum nuda ſubſumtione fluunt. Id enim fieri poſſe, in hoc ipſo opere hinc inde oſtendimus, & quæ modo diximus de omni Jure in natura humana radicato idem loquuntur. Erunt fortaſſis etiam nonnulla in hoc opere, quæ paradoxa videbuntur iis, qui notionibus Juris Romani imbutam poſſident mentem. Sed nebulæ, quæ mentem ipſorum occupant, ſuo tempore veluti ſponte ſua diſpellentur. Quodſi quidam fuerint, quibus diverſa placent, illi per me ſtatuant, quid velint: ego nemini litem movebo. Et quemadmodum ego neminem in ſcriptis meis nominatim perſtringo, ita & cum nemine ſerram contentionis reciprocabo, qui litigare voluerit. Multa adhuc mihi agenda ſunt, antequam totum opus fuerit abſolutum,

Digitized by Google

tum, quod aggreſſus ſum, ut adeo tempus, quod in illo continuando utiliter collocatur, vanis litigiis fallere nefas exiſtimem. Neque etiam ætati, nec dignitati, nec moribus meis convenit altercari cum aliis, qui aliorum nævos non cognoſco, niſi ut proprios emendem, & recte ac bene ab aliis facta laudo, ut ad bene & recte agendum incendantur alii, & cuilibet a me ſuus deferatur honor. Hos mores non mutabo, quoad vixero, nemini unquam gravis futurus: philoſophi enim eſſe puto omnem dare operam, ut ſit perpetuus ac conſtans vitæ ac doctrinæ conſenſus. Non eo fine ſcribo, ut ad nominis famam contendam, qui unumquemque laude ſua etiam immerita quiete frui patior; ſed ut eorum ſtudia juvem, qui mea opera eadem juvari poſſe perſuaſi ſunt. Non ad pompam philoſophari conſtituti, ſed ad utilitatem aliorum. Faxit Deus, ut, qui ſunt docili ac ingenuo ingenio præditi, eam utilitatem conſequantur, quam intendo!

Halæ Magdeburgicæ d. 10. Aprilis
Anno 1742.

JVRIS

Digitized by Google

JURIS NATURÆ
PARS SECUNDA,
DE
DOMINIO AC INDE RESVLTANTIBVS JURIBUS, CUMQUE IIS CONNEXIS OBLIGATIONIBUS.

CAPUT I.
De primæva rerum Communione.

§. 1.

Jus rerum quodnam ſit. JUs rerum dicitur, quod homini competit reſpectu rerum.

Ita jus ad eas res homini natura competens, quæ corpus alere poſſunt (§. 383. *part. I. Jur. nat.*), ut ſcilicet eas in cibum ac potum capere liceat, ad jus rerum ſpectat.

§. 2.

Jus commune & pro- *Jus commune* vocamus jus idem, quod pluribus ſimul compe-

Digitized by Google

prium quodnam dicatur. competit: *Proprium* vero, quod uni cuidam homini in ſingulari ſoli competit.

Ita jus naturæ homini competens ad eas res, quæ corpus alere poſſunt, jus commune eſt, quia omnibus hominibus ſimul competit, ita ut eandem numero rem in cibum vel potum capere liceat, cui libuerit. Inferius autem patebit, dominium eſſe jus proprium, quod ſoli domino competit. Notandum vero ſubinde aliquos conſiderari tanquam unum hominem ſeu perſonam unam in oppoſitione ad alios ab ipſis diverſos: quo reſpectu jus quoddam etiam ipſis proprium dicitur. E. gr. Poteſtas parentum in liberos eſt jus, quod ſolis parentibus competit, non vero homini cuidam alii. Quamobrem ea reſpectu hominum ceterorum, qui parentes non ſunt, jus proprium dicitur. Ceterum ad evitandam æquivocationem (§. 143. *Diſc. prælim.*) vocabulum juris ſemper ſumimus pro facultate morali agendi (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*), nunquam vero pro lege: quo in poſteriore ſignificatu *commune omnium hominum jus* dicuntur leges, quibus omnes populi utuntur; *Romanorum* vero *proprium* vocantur leges, quas populus Romanus ſibi conſtituit §. 1. Inſt. de I. N. G. & C. Denique nec hoc prætermittendum, quod identitatem non aliter intelligamus, quam qualem definivimus in Philoſophia prima (§. 181. *Ontol.*), ne quæ certo reſpectu eadem dicuntur habeantur pro iisdem omni reſpectu.

§. 3.

Communio rei quid ſit. *Communio rei*, eſt jus commune rei ejusdem, hoc eſt, jus idem pluribus ſimul reſpectu ejusdem rei competens (§. 1. 2.).

Definimus communionem rerum in genere, ut definitio valeat de qualibet ejus ſpecie, tum ea, quæ inter jura homini connata refertur, tum alia quacunque, quæ a dominio pendet. Ita naturæ homini competit jus ad res, quæ corpus alere poſſunt (§. 188. *part. I. Jur. nat.*). Cuilibet igitur homini licet earum quamcunque in cibum ac potum capere, nec

nec natura definitum eſt, quam hic, vel ille capere debeat. Hoc ipſum jus dicitur communio rerum. Similiter primi Chriſtiani Act. II, 44. 45. omnia, quæ habebant, in unam maſſam conferebant, & diſtribuebatur ſingulis, prout cuique opus erat. Jus adeo ſingulis erat iisdem rebus utendi, prouti neceſſitatibus ſuis ſuccurrendum erat. Hoc jus erat rerum, quas cœtus integer habebat, communio. Morem hunc imitantur Religioſi in cœnobiis, quorum ſinguli nihil proprii habent, ſingulorum autem neceſſitatibus proſpicitur ex communi maſſa, prouti unicuique opus eſt. Vid. *van Eſpen* in Appendice ad Vindicias Diſſert. Canon, de peculiaritate & ſimonia c. 1. §. 5. f. 65. a.

§. 4.

Hinc *Res communes* dicuntur, ad quas pluribus idem jus competit. *Res communes.*

Hinc natura res communes ſunt, quæ cibo ac potui inſerviunt (*not.* §. 2.). Et primorum chriſtianorum omnia dicuntur fuiſſe communia, Act. II, 44. Monachorum quoque omnia communia ſunt (*not.* §. 3.).

§. 5.

Res ſingulares aut, ſi mavis, *Res ſingulorum* dicuntur, ad quas jus proprium cuidam competit, hoc eſt, ad quas homini cuidam in ſingulari ſoli jus aliquod competit (§. 2.). *Quænam ſingulares ſive ſingulorum.*

E. gr. Si tibi ſoli competit jus percipiendi fructus arboris cujusdam, nec liceat alteri cuicunque proprio auſu aliquem horum fructuum percipere; fructus iſti dicentur res ſingulares, ſeu in numerum rerum, quæ ſingulorum ſunt, referendæ. Similiter ſi tibi ſoli competit jus colendi hunc agrum & fruges, quas profert, colligendi; ager & fruges erunt res ſingulares ſeu, tam ager, quam fruges pertinent ad res ſingulorum.

Digitized by Google

§. 6.

Res nullius quanam ſint. *Res nullius* ſunt, ad quas nemini hominum competit jus proprium.

Ita aves per aërem volitantes res nullius ſunt, quoniam nemini hominum in hanc avem, quæ per aërem volitat, jus quoddam proprium competit.

§. 7.

Quales ſint res corporales natura. *Natura res omnes corporales ſunt communes; qualibet earum eſt nullius.* Quoniam rei nomine venit ens omne, quod homini uſui eſſe poteſt, veluti ad vitam conſervandam, & commode ac jucunde tranſigendam, vel ad animæ corporisque perfectionem quomodocunque promovendam (§. 495. *part. I. Jur. nat.*); jus autem natura homini competit ad ea omnia, ſine quibus obligationi ſuæ naturali, qualis eſt ea ad vitam conſervandam (§. 350. *part. I. Jur. nat.*), & commode ac jucunde tranſigendam (§. 466. 471. *part. I. Jur. nat.*), nec non ad animæ corporisque perfectionem promovendam (§. 173. *part. I. Jur. nat.*), ſatisfacere nequit (§. 159. *part. I. Phil. pract. univ.*); homini cuilibet competit indifferenter jus ad res omnes, quæ in mundo ſenſu percipi poſſunt, adeoque corporales (§. 496. *part. I. Jur. nat.*), ſine quibus obligationi ſuæ naturali ſatisfacere nequit, conſequenter quæ quomodocunque uſui ipſi eſſe poſſunt. Quinam adeo idem jus hominibus in univerſum omnibus ad res omnes corporales in hoc mundo adſpectabili natura competit, *per demonſtrata*, communes vero omnium hominum ſunt res, ad quas omnibus idem jus competit (§. 4.); res corporales omnes in hoc mundo adſpectabili natura communes ſunt. *Quod erat primum.*

Quoniam hominibus in univerſum omnibus natura competit jus ad res corporales omnes in hoc mundo adſpe-

Digitized by Google

ſpectabili *per demonſtrata;* nemini eorum in ſingulari ſoli jus quoddam in hanc rem competere poteſt, quod non etiam competat ceteris, conſequenter nulla datur in hoc mundo adſpectabili res corporalis, ad quam homini cuidam in ſingulari jus proprium competit (§. 2.). Quare cum res nullius ſit, ad quam nemini jus proprium competit (§. 6.); unaquælibet rerum corporalium in hoc mundo adſpectabili res nullius eſt. *Quod erat alterum.*

Utrumque etiam ita oſtenditur. Natura homines omnes æquales ſunt (§. 81. *part. I. Jur. nat.*), adeoque eadem omnium jura (§. 78. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter idem quoque jus omnibus competit ad eas res, quæ uſui ipſorum quomodocunque inſervire poſſunt (§. 159. *Phil. pract. univ.*), adeoque ad res omnes corporales (§. 495. 496. *Jur. nat.*), neque adeo uni ſoli natura competere poteſt aliquod jus in hanc rem, quod non eodem modo competat ceteris. Enimvero communes ſunt res, ad quas omnibus idem jus competit (§. 4.), & nullius ſunt, ad quas nemini hominum competit jus proprium (§. 6.), conſequenter jus quoddam ipſi in ſingulari ſoli (§. 2.). Natura igitur res omnes corporales communes ſunt earumque quælibet nullius eſt.

Per demonſtrationem priorem patet communionem rerum habere rationem ſufficientem in ipſa eſſentia & natura hominum; per poſteriorem vero liquet, eandem convenire naturali hominum æqualitati. Etenim obligatio legis naturalis rationem ſufficientem in natura ac eſſentia hominis rerumque habet (§. 143. *part. I. Phil. pract. un.*), ex ea vero deſcendit jus ad omnia, ſine quibus eidem ſatisfieri nequit (§. 159 *part. I. Phil. pract. un.*), conſequenter ad res omnes corporales (§. 495. 496. *part. I. Jur. nat.*), ut ſingulæ pateant omnium uſibus (§ 495 *part. I. Jur. nat.*), prouti unicuique opus fuerit. Quod adeo res ſint communes, rationem ſufficientem in ipſa eſſentia & natura hominis deprehen-

 dimus.

dimus. Enimvero nullo modo ex eſſentia & natura tua ex ſculpes rationem, quod tibi ſoli competat jus ad hanc rem in ſingulari, ita ut ea tantummodo pateat tuis uſibus, ab ejus autem uſu arceantur ceteri omnes. Videmus itaque natura non dari res ſingulorum (§. 5.), ſed omnes eſſe communes. Quamobrem legi naturæ non repugnat, res omnes eſſe communes, quemadmodum viſum eſt nonnullis J&tis, veluti *Strauchio* in Diſſertatione de imperio maris c. 1. & *Oldendorpio* apud *Schardium* in Lexico Juridico voce *Communio rerum omnium.* Conf. *Müllerus* ad *Struvium* Exercit. 3. lib. 1. tit. 8. §. 75. *not. a.* Rectius omnino *Ambroſius* offic. lib. I. c. 28. Natura, inquit, jus commune generavit. Quoniam hoc jus fluit ex eſſentia & natura hominum ac brutorum communi, quemadmodum principia demonſtrationis prioris aperte loquuntur, ſi rite expendantur eorundem demonſtrationes; imaginem hujus juris etiam videmus in brutis, quatenus unumquodque eorum ex iis rebus, quæ uſui ipſius inſerviunt, arripit eas, quæ obviæ ſunt, nulli eorum re quadam in ſingulari per naturam aſſignata. Demonſtratio poſterior communionem rerum omnium deducit ex naturali hominum æqualitate, adeoque dubitari nequit, quod eadem naturali hominum æqualitati conveniat. Quamdiu nimirum res ſunt communes, nemo hominum deterioris conditionis eſt altero: unicuique enim adſunt ea, quibus opus habet ut vitam legi naturæ conformem agere naturalemque felicitatem, cujus capax eſt, conſequi valeat. Æqualitas hominum naturalis æſtimanda eſt ex identitate juris ad ea, quibus indiget, non vero ex quantitate eorum, quibus ad uſus ſuos opus habet. Neque enim communio rerum requirit, ut unicuique tantundem tribuatur, quemadmodum mox clarius eluceſcet.

§. 8.

An natura dentur res ſingulorum.

Natura non dantur res ſingulorum. Etenim natura res quælibet corporalis nullius eſt (§. 7.), conſequenter nemini

ni ad earum quandam in ſingulari jus proprium competit (§. 6.). Quoniam itaque res ſingulorum non ſunt, ad quas nemini in ſingulari jus proprium competit (§. 5.); natura non dantur res ſingulorum.

§. 9.

Rerum omnium corporalium communio natura toti humano generi competens *Communio rerum primæva* dicitur. *Communio primæva quid ſit.*

Realitas hujus definitionis patet per propoſitionem præcedentem, qua evicimus, natura res omnes corporales eſſe communes, quamlibet vero earum eſſe nullius. Dici autem ſuevit communio rerum primæva, quæ natura toti humano generi competit, quia dominiorum origo concipi nequit, niſi præſuppoſita rerum omnium communione, utpote quæ ex eſſentia & natura hominis, ſeu iis, quæ homini naturæ inſunt, deduci nequit, quemadmodum inde fluit communio rerum, nec res ſingulorum dari concipi poteſt, niſi præſupponas, omnes fuiſſe communes, prouti ex ſequentibus conſtabit. Quamvis adeo communio rerum primæva non amplius ſubſiſtat; non tamen ideo ſupervacaneum cenſendum eſt accurate in eandem inquiri, ut tota quanta pateat. Neque enim ſolum origini dominiorum lucem affundit, ſed multa admodum dantur Jurisprudentiæ naturalis capita, quæ ſine iſta non intelliguntur.

§. 10.

Communio rerum primæva eſt jus connatum. Competit enim toti generi humano natura (§. 9.), adeoque per eſſentiam & naturam humanam (§. 32. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter poſita eſſentia & natura hominis ponitur. Quoniam itaque jus connatum omne ponitur poſita eſſentia & natura hominis (§. 28. *part. I. Jur. nat.*), non vero, quod eidem opponitur (§. 26. 35. *part. I. Jur. nat.*), jus acquiſitum (§. 36. *part. I. Jur. nat.*); communio rerum primæva jus connatum eſt. *Quale ſit jus.*

Quodſi

Quodſi definitiones juris connati & acquiſiti (§. 26. 35. *part. I. Jur. nat.*) inter ſe contuleris, ſtatim apparet jus naturale omne vel eſſe connatum, vel acquiſitum, conſequenter cum illud ponatur poſita eſſentia & natura hominis, hoc vero eadem ſola poſita nondum ponatur (§. 28. 36. *part. I. Jur. nat.*), jus illud connatum eſſe, quod eſſentia & natura hominis poſita ponitur, adeoque quod rationem ſufficientem in ea agnoſcit ſola (§. 118. *Ontol.*). Unde patet utramque propoſitionem poſſe converti, ut adeo converſas demum demonſtrari non fuerit opus.

§. 11.

In quo ſtatu communio rerum obtinuerit.

Quoniam ſtatus naturalis originarius determinatur per jura connata connataſque obligationes (§. 128. *part. I. Jur. nat.*), communio autem rerum primæva jus connatum eſt (§. 10.); *communio rerum primæva obtinuit in ſtatu naturali originario.*

Non loquimur hic de qualibet communione, ſed tantummodo primæva. Quamobrem non eſt quod objicias communionem rerum adhuc ſubſiſtere poſſe cum, in ſtatu adventitio, dominiis rerum introductis & imperiis particularibus, tum in ſpecie etiam civili, introductis imperiis civilibus, exemplo Monachorum in cœnobiis, quorum omnia ſunt communia, ſingulorum nihil eſt, etſi cœnobia habeant res in dominio, monachi ſubſint ſuperiori vivantque in civitatibus. Communio enim iſta particularis non eſt eadem cum primæva, etſi eam imitetur. Nec inutilibus objectionibus, quales plures præſertim hodie protruduntur, locus eſt. Diximus enim in propoſitione tantummodo, communionem rerum primævam in ſtatu naturali originario obtinere: id quod impugnari nullo modo poteſt. Poſtea vero videbimus, quid in ea immutet ſtatus adventitius.

§. 12.

§. 12.

Uſus necesſarius quinam dicatur. *Uſum rerum neceſſarium* appellamus eum, qui ad hoc requiritur, ut obligationi noſtræ naturali ſatisfaciamus.

E. gr. Homo corpus ſuum conſervare debet (§. 349. *part. I. Jur. nat.*). Quare cum ſine cibo ac potu idem conſervare nequeat (§. 380. *part. I. Jur. nat.*), uſus earum rerum, quæ cibo ac potui inſerviunt, neceſſarius eſt. Patet idem eodem modo de uſu rerum, quæ ad vitam commode ac jucunde tranſigendam requiruntur (§. 466. 471. *part. I. Jur. nat.*). Dicitur nimirum neceſſarius intuitu ejus, quod ab homine fieri debet. Tolle enim rerum uſum, neque amplius fieri poterit, quod fieri debet.

§. 13.

Quarumnam rerum detur uſus neceſſarius. *Uſus rerum non modo neceſſariarum, verum etiam utilium & voluptuariarum neceſſarius eſt.* Quoniam res neceſſariæ ſunt, quæ ad vitæ ac ſanitatis conſervationem & animam perficiendam requiruntur (§. 449. *part. I. Jur. nat.*), utiles vero, quæ ad vitam commode degendam (§. 500. *part. I. Jur. nat.*), & jucundæ denique, quæ ad eam jucunde tranſigendam faciunt (§. 501. *part. I. Jur. nat.*); rerum neceſſariarum uſus requiritur ad vitæ ac ſanitatis conſervationem & animam perficiendam, uſus vero utilium ad vitæ commoditatem & uſus voluptuariarum ad ejusdem jucunditatem. Enimvero homo non modo obligatur ad vitam & ſanitatem conſervandam (§. 350. 393. *part. I. Jur. nat.*), verum etiam ad vitam commode ac jucunde tranſigendam (§. 466. 471. *part. I. Jur. nat.*). Uſus adeo non modo rerum neceſſariarum, verum etiam utilium & voluptuariarum ad hoc requiritur, ut obligationi naturali ſatisfaciat. Quoniam itaque uſus rerum neceſſarius eſt, qui ad hoc requiritur, ut obligationi noſtræ naturali ſatisfaciamus (§. 12.); uſus non modo

rerum neceſſariarum, verum etiam utilium & voluptuariarum neceſſarius eſt.

Ne præſens propoſitio in perverſum ſenſum trahatur, non modo probe perpendendum eſt, quo ſenſu uſus rerum dicatur neceſſarius (*not.* §. 12.); verum etiam definitiones commoditatis ac jucunditatis vitæ animo ſunt recolendæ (§. 465. 470. *part. I. Jur. nat.*), ut definitiones rerum utilium & voluptuariarum non contra mentem noſtram explicentur. Si vitam commode ac jucunde tranſigere debes, uſus rerum utilium & voluptuariarum non minus neceſſarius eſt, quam uſus neceſſariarum, ſi corpus vivum ac ſanum conſervare velis. Sicuti impoſſibile eſt, ut ſine uſu rerum neceſſariarum vita ac ſanitas conſervetur; ita etiam fieri nequit, ut ſine uſu rerum utilium & voluptuariarum vita ſit commoda & jucunda. Diſtinguendus etiam eſt uſus ab abuſu. Quemadmodum enim rerum neceſſariarum abuſu vita ac ſanitas deſtruitur aut in periculum adducitur; ita etiam abuſu rerum utilium & voluptuariarum non conſulitur commoditati ac jucunditati vitæ. Modo ex notionibus determinatis fluant ratiocinia, omnia ſeſe rite habent.

§. 14.

Qualis rerum uſus lege naturali homini tribuatur.

Lex naturæ homini tribuit uſum neceſſarium rerum non minus utilium & voluptuariarum, quam neceſſariarum. Uſus enim rerum neceſſarius ad hoc requiritur, ut obligationi noſtræ naturali ſatisfiat (§. 12.). Quoniam itaque lex naturæ dat nobis jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfieri nequit (§. 159. *part. I. Phil. nat.*); omnem omnino uſum rerum neceſſarium homini tribuit. Sed uſus rerum non modo neceſſariarum, verum etiam utilium & voluptuariarum neceſſarius (§. 13.). Lex igitur naturæ homini tribuit uſum neceſſarium non minus rerum utilium & voluptuariarum, quam neceſſariarum.

Legi

Legi naturæ non minus convenit, ut neceſſarium faciamus uſum rerum utilium & voluptuariarum, quam neceſſariarum, quantum in poteſtate noſtra eſt. A vero igitur aberrant, qui omnem rerum utilium & voluptuariarum uſum promiſcue damnant & pro abuſu habent, nec niſi neceſſarium licitum pronunciant. Aberrant non alia de cauſa, quam quod confuſa rerum utilium & voluptuariarum notione deludantur, cui tacite admiſcent, quæ ex eadem exulare debent ea non agnoſcentes, quæ homo ſibimetipſi debet.

§. 15.

Rerum omnium neceſſariarum, utilium & voluptuariarum uſus neceſſarius licitus. Lex enim naturæ hominibus tribuit uſum neceſſarium rerum non minus utilium & voluptuariarum, quam neceſſariarum (§. 14.), adeoque jus eum faciendi confert (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque licitum eſt omne, quod agendi jus habemus (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*); rerum omnium neceſſariarum, utilium & voluptuariarum uſus neceſſarius licitus eſt. *Quinam rerum uſus licitus.*

Si uſus rerum utilium aut voluptuariarum eſſet illicitus; ad eum omittendum obligaremur (§. 170. *part. I. Phil. pract univ.*). Quamobrem cum res utiles faciant ad vitæ commoditatem (§ 500. *part. I. Jur. nat.*), voluptuariæ vero ad jucunditatem (§ 501 *part I. Jur nat.*); homini prohibitum eſſet vitam commode ac jucunde tranſigere: contrarium vero oſtendimus (§. 466. 471. *part. I. Jur. nat.*). Poterat earundem rerum uſus licitus etiam oſtendi hoc modo. Homini jus eſt ad omnia, quæ quomodocunque ad vitæ commoditatem & jucunditatem faciunt, & ad omnes actus huc requiſitos (§. 468. 472. *part. I Jur. nat*), adeoque etiam ad uſum neceſſarium faciendum rerum utilium & voluptuariarum (§. 500. 501. *part. I. Jur. nat.*). Quoniam itaque licitum eſt, ad quod faciendum jus habemus (§.

170. *part. I. Phil. pract. univ.*). Rerum utilium & voluptuariarum uſus neceſſarius licitus eſt

§. 16.

Quanam res uſu conſumi dicantur.

Res illæ *uſu conſumi* dicuntur, quarum nullus fieri poteſt uſus, niſi intereant.

Coincidit hæc definitio cum ea, quam tradit *Connanus* lib. 7. c. 3. n. 4. id quod ideo monemus, ne videamur definiviſſe, quæ definiri vulgo non ſolent, ac ideo definitione nulla indigere putantur. Dari autem iſtiusmodi res, experientia docet. Tales nimirum ſunt, quæ uſum alimentorum & medicamentorum præbent. Talia etiam ſunt ligna, quæ caloris neceſſarii cauſa cremantur.

§. 17.

Deſtructio rerum quid ſit.

Res deſtrui dicuntur, quæ facto quodam noſtro intereunt.

Ita deſtruuntur poma, quæ comedimus, cum in ore maſticata & in ventriculo digeſta poma eſſe deſinant. Similiter deſtruuntur ligna, quæ a nobis concremantur.

§. 18.

Quasnam res deſtruere liceat.

Res, quæ uſu conſumuntur, uſus neceſſarii gratia deſtruere licet. Rerum enim, quæ uſu conſumuntur, nullus fieri poteſt uſus, niſi intereant (§. 16.), conſequenter niſi a nobis deſtruantur (§. 17.). Quoniam itaque rerum omnium tam neceſſariarum, quam utilium & voluptuariarum uſus neceſſarius licitus (§. 15.); res quoque omnes, quæ uſu conſumuntur, uſus neceſſarii gratia deſtruere licet.

Imaginem hujus juris videmus in animantibus brutis tam carnivoris, quæ nonniſi carne aliorum animalium aluntur, quam iis, quæ plantis aut fructibus arborum veſcuntur. Natura enim feruntur ad ſui conſervationem: quod ut fieri poſſit, cibo conveniente utantur neceſſe eſt. Quamobrem

rem cum hic uſus obtineri nequeat ſine deſtructione corporum organicorum aliorum, ſive ex regno animali, ſive ex vegetabili; per naturam quoque ſuam ad deſtructionem eorundem tendunt. Ceterum præſens propoſitio principium ſecundum deprehenditur in jure hominis in bruta enucleando.

§. 19.

In communione rerum primæva uſus rerum corporalium neceſſarius promiſcue patet omnibus. Etenim in communione primæva idem jus ad res omnes competit promiſcue omnibus natura (§. 9. 2.). Quoniam itaque lex naturæ omnibus omnino hominibus rerum omnium corporalium, tam neceſſariarum, quam utilium & voluptuariarum uſum neceſſarium tribuit (§. 14.); in communione rerum primæva uſus rerum corporalium neceſſarius promiſcue patet omnibus. *Quomodo ſe habeat uſus rerum neceſſarius in communione primæva.*

Hinc a nonnullis res communes toti generi humano dicuntur, quorum uſus promiſcue patet hominibus omnibus. Etſi autem uſus ſimpliciter dicatur, non tamen alius intelligi poteſt, quam qui nobis neceſſarius vocatur, nempe is, qui obligationi naturali ſatisfaciendæ inſervit (§. 12.). Neque enim aliunde deduci poteſt jus, quod in communione primæva homini natura competit, quam ex obligatione naturali, qua tenentur (§. 23. 25. *part. I Jur. nat.*). Sane brutis nullum tribuitur jus, non alia de cauſa, quam quia in eadem nulla cadit obligatio, & imaginem juris in iis ſpectamus, quatenus neceſſitas quædam phyſica agendi deprehenditur in iisdem, quæ æquipollet morali in homine, hoc eſt, obligationi ejusdem (§. 118. *part. I. Phil. pract. univ.*).

§. 20.

Quoniam in communione rerum primæva uſus rerum corporalium neceſſarius promiſcue patet omnibus (§. 19.), nemo *Communio primæva neminem excludit.*

Digitized by Google

nemo ab uſu rerum corporalium neceſſario in communione primæva arceri poteſt.

In communione primæva res corporales ſingulæ ſunt nullius (§. 7.), uſus vero neceſſarius earundem omnibus promiſcue ſeu indifferenter patet *vi præſentis.* Unde cum res quælibet pertineat per ſe ad nullum, ut nemo dicere poſſit eandem eſſe ſuam ſeu ſibi propriam, cuilibet tamen competat uſus neceſſarius, ut quilibet affirmare poſſit, ſibi perinde competere uſum ejus ac alteri; *Communio* hæc a nonnullis vocari ſolet *negativa.*

§. 21.

Quale ſit jus rerum in communione primæva.

In communione rerum primæva nemini præter uſum rerum corporalium neceſſarium jus quoddam in eas competere poteſt. Jus enim, quod homini in communione primæva tribuitur, natura eidem competit (§. 9.), adeoque a lege naturæ tribuitur (§. 135. *part. I. Phil. pract. univ.*). Sed lex naturæ non tribuit jus ad res corporales, niſi quatenus iisdem opus habemus ad ſatisfaciendum obligationi noſtræ naturali (§. 159. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum uſus rerum corporalium neceſſarius ad hoc ſufficiat (§. 12.); nec jus aliud præter uſum neceſſarium in res corporales homini competere poteſt.

Res non appetuntur, niſi quatenus aliquem habent uſum. Quæ nullum habent uſum, aut quorum uſus ignoratur, ex contemnuntur. Jus adeo circa res nullum concipi poteſt, niſi quatenus aliquis eſt earum uſus. Quamdiu res ſunt communes, uſus rerum neceſſarius promiſcue patet omnibus (§. 19.), nec quisquam rei cujusdam uſum ſibi arrogare poteſt excluſis ceteris hominibus (§. 7.). Unde præter uſum rerum neceſſarium in communione primæva jus nullum concipi poteſt, quod homini competat circa res. Ne forſan dicas dari etiam jus fruendi ſeu percipiendi fructus

ex re

ex re aliqua provenientes, quod ſit a jure utendi diverſum; ſequentes addere lubet propoſitiones.

§. 22.

Quomodo ſpectentur fructus rerum in communione primæva.

In communione primæva fructus rerum tantummodo ſpectantur tanquam res, nec ab iis diſtinguuntur. Cum enim fructus ſint res ex rebus aliis quomodocunque provenientes, veluti poma arborum fructus (§. 956. *part. I. Theol. nat.*), in communione autem rerum primæva uſus rerum corporalium neceſſarius promiſcue pateat omnibus (§. 19.); fructuum quoque uſus promiſcue omnibus patet, immo quilibet eorum nullius eſt (§. 7.). In communione adeo primæva nulla ratio eſt, cur fructus a rebus, unde proveniunt, diſtinguantur, conſequenter tantummodo ſpectantur tanquam res, nec ab iis diſtinguuntur.

Habent nimirum fructus in communione primæva idem commune cum rebus ceteris, quod ad omnes pertineant, nec ſint ſingulorum (§. 8.). Quamobrem cum nemini hominum in aliquem fructum competat aliquod jus, quod non ſimiliter competat alteri cuicunque; nulla ſane ratione fructus a rebus, unde proveniunt, intuitu juris diſtinguerentur. Convenit fructui definitio rerum (§. 495. *part. I Jur. nat.*), ut adeo in numerum rerum recte referantur. Quod vero ex aliis rebus proveniant, in communione primæva attendendum non eſt: neque enim hic quæritur, cujusnam ſint fructus, cum ſint perinde ac res, ex quibus proveniunt, nullius, quoad uſum vero quemadmodum ceteræ communes, adeoque uſus ſolius gratia fructus a rebus, ex quibus proveniunt, diſtingui opus non eſt.

§. 23.

Cur in communione primæva non detur jus fruendi.

Quoniam in communione primæva fructus rerum ſpectantur tanquam res, nec ab iis diſtinguuntur (§. 22.), præter uſum vero rerum corporalium neceſſarium nemini

jus quoddam aliud competere poteſt (§. 21.); *In communione primæva præter uſum neceſſarium fructuum jus nullum aliud concipi poteſt*, conſequenter *nec datur jus fruendi, quod ſit a jure utendi diverſum* (957. 958. *part. I. Theol. nat.*).

Jus fruendi, quo fructus ſingulis acquiruntur & uſus eorum ad ſingulos reſtringitur (§. 958. *part. I. Theol. nat.*), ſupponit res ſingulorum, quales nullas novit communio primæva, quemadmodum facile oſtenditur.

§. 24.

Cur in communione primæva res nullæ dentur ſingulorum.

In communione primæva nullæ dantur res ſingulorum; ſed omnes ſunt communes. Etenim in communione rerum primæva natura toti humano generi competit rerum omnium corporalium communio (§. 9.). Sed natura non dantur res ſingulorum (§. 8.), omnes ſunt communes (§. 7.). Ergo in communione primæva nullæ dantur res ſingulorum, ſed omnes ſunt communes.

Res ſingulorum opponuntur communibus (§. 5. 4.): univerſalis adeo rerum communio, qualis eſt primæva (§. 9.), tollit res ſingulorum, nec ullam eſſe permittit ullius.

§. 25.

Communio fructuum omnium.

In commonione primæva fructus nulli ſunt ſingulorum, ſed omnes communes. Fructus enim tantummodo ſpectantur tanquam res, nec ab iis diſtinguuntur (§. 22.). Quamobrem cum in communione primæva nullæ dentur res ſingulorum, ſed omnes ſint communes (§. 24.); nec fructus ulli ſingulorum ſunt, ſed communes omnes.

In communione primæva nemo uſum fructuum quorundam, veluti arboris cujusdam ſibi ſoli aſſerere poteſt ajens: Ego his fructibus uti volo, ſeu horum fructuum uſus ad me ſolum pertinere debet. Hoc enim pacto ſibi aſſereret jus proprium in fructus illius arboris (§. 2.), conſequenter ex rebus communibus faceret ſingulares (§. 5.).

§. 26.

Digitized by Google

§. 26.

In communione rerum primæva nemo ab uſu fructuum quorumcunque neceſſario arceri poteſt. Etenim fructus tantummodo ſpectantur tanquam res, nec ab aliis rebus diſtinguuntur (§. 22.). Enimvero in communione primæva nemo ab uſu rerum neceſſario arceri poteſt (§. 20.). Ergo nec quisquam arceri poteſt ab uſu fructuum quorumcunque neceſſario.

Nemo ab uſu ullorum fructuum excludendus.

Imaginem hujus juris videmus in brutis animantibus, quæ fructibus arborum veſcuntur. Patent enim iidem indifferenter omnibus, quæ iisdem veſcuntur, nec fructus quidam ita ſunt unius, ut hoc ſolum in ſingulari iisdem veſcatur, nec alteri veluti avi huc advolare iisdemque veſci ſit conceſſum. Eodem prorſus modo ſeſe res habet cum uſu fructuum neceſſario in communione primæva.

§. 27.

In communione primæva uſus rerum neceſſarius unicuique patet in quantum neceſſarius, ſeu prout cuique opus eſt. Etenim in communione primæva unicuique patet uſus rerum neceſſarius (§. 19.), conſequenter is, qui ad hoc requiritur, ut obligationi ſuæ naturali ſatisfaciat (§. 12.). Quoniam vero obligationi ſuæ ſatisfacere nequit, niſi uſus hic eousque extendatur, donec obligationi ſatisfaciendæ ſufficiat, conſequenter in quantum neceſſarius eſt (§. *cit.*), & lex naturæ eousque uſum rerum nobis concedit (§. 159. *part. I. Phil. pract. univ.*); in communione primæva uſus rerum neceſſarius unicuique omnino patet, in quantum neceſſarius, ſeu prout cuique opus eſt.

Quo usque jus uniuscujusque in communione primæva extendatur.

Nimirum ſi æſtimare volueris, prouti cuique opus ſit uſu rerum, reſpiciendum ad obligationem, cujus gratia is conceditur (§. 159. *part. I. Phil. pract. univ*), conſequenter quo reſpectu neceſſarius eſt (§. 12.). Quamobrem ſi eo

eo fine plurium rerum uſu quis opus habet, quam alter, eidem quoque plurium rerum uſus eſt neceſſarius, adeoque conceſſus: ſi cui diuturnior rei, quæ uſu non conſumitur, uſu opus eſt, quam alteri, diuturnior quoque ejusdem uſus ei conceſſus. Hinc primi Chriſtiani communionem primævam imitati diſtribuebant ſingulis de communi, prout cuique opus erat, Act. II, 44. 45. Similiter religioſis de communi, cujus adminiſtratio incumbit ſuperiori, ab eodem indifferenter diſtribuitur, prout cuique opus eſt, juxta regulam *Auguſtini*.

§. 28.

Quomodo natura res utendas diſtribuat.

Quoniam *in communione primæva* uſus rerum neceſſarius unicuique patet, prout unicuique opus eſt (§. 27.); *qui pluribus indiget, ei etiam natura plurium rerum uſus conceſſus, quam qui paucioribus indiget.*

Natura res utendas non diſtribuit æqualiter, quia non omnes indigent æqualiter. Non dat ſuperfluum, ſed quantum unicuique opus eſt. Imitati ſunt naturam primi Chriſtiani, imitantur adhuc ſuperiores in monaſterio aut ad eorum nutum conſtituti officiales, qui, quæ communia ſunt, adminiſtrant. Videmus adeo, doctrinam juris naturæ de communione primæva, etſi ea amplius non ſubſiſtat, lucem tamen affundere Juri Canonico de paupertate Religioſorum.

§. 29.

An in communione primæva res induſtriales & artificiales ſint communes.

In communione primæva etiam res induſtriales & artificiales ſunt communes. Etenim homines operam dare debent, ne deſit ſufficiens copia rerum neceſſariarum, utilium & voluptuariarum, ſive induſtrialium, ſive artificialium (§. 511. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam obligentur ad perfectionem ſuam ſtatusque ſui conjunctis viribus promovendam (§. 221. *part. I. Phil.*

Phil. pract. univ.), in communione vero primæva nullæ dentur res ſingulorum, ſed omnes ſunt communes (§. 24); in multiplicandis rebus neceſſariis, utilibus & voluptuariis tam induſtrialibus, quam artificialibus uſum, præter quem jus nullum in rem quandam ulli competere poteſt (§. 21.), non ſuum tantum, ſed omnium communem intendere debent. Quoniam adeo omnibus ad easdem res induſtriales & artificiales idem jus eſt *per demonſtrata;* res omnes induſtriales & artificiales in communione primæva ſunt communes.

Si natura non ſua ſponte profert res neceſſarias tanta copia, quanta omnibus ſufficit; ad earum proventum opera ſua multiplicandum obligantur homines (§. 506. *part. I. Jur. nat.*). Hinc obligantur ad agros & hortos uſui œconomico deſtinatos colendum (§. 507. *part. I. Jur. nat.*), ad rem pecuariam faciendam, (§. 508. *part. I. Jur. nat.*), ad ſylviculturam (§. 509. *part. I. Jur. nat.*). Et ubi natura non ſua ſponte profert, aut ſola producere nequit, quæ ad vitæ commoditatem ac jucunditatem faciunt; ea arte ſua ac induſtria parare tenentur (§. 510. *part. I. Jur. nat.*). Hæc obligatio non ceſſat in communione primæva, utpote neceſſaria & immutabilis (§. 142. *part. I. Phil. pract. un.*). In communione igitur primæva ſi quis agros & hortos colit, fruges, olera & fructus arborum non ipſius ſunt, ſed omnium promiſcue patent uſui neceſſario, ita ut ſinguli iisdem uti poſſint, prouti unicuique opus eſt (§. 27.). Eodem modo, ſi quis arte parat inſtrumenta ad agriculturam vel horticulturam neceſſaria aut ſaltem utilia, eorum uſus non ipſi proprius eſt, ſed omnium communis, qui eodem indigent. Idem intelligitur de rebus quibuscunque aliis. Quodſi cuidam difficultates quædam objiciantur circa harum rerum uſum communem; eædem per ſequentia evaneſcent. Communio rerum, quæ nihil proprium ſeu ſingulorum eſſe permittit (§. 24.), & omnes æquales facit (§.

3. *part. II. Jur. nat.* & §. 78. *part. I. ejusd.*), non aliter fert, quam ut res induſtriales & artificiales, quarum ne ullus ſit defectus qui poſſunt curare tenentur, ſint communes & promiſcue ac indifferenter pateant uniuscujusque uſibus neceſſariis, prouti unicuique opus eſt.

§. 30.

Incorporatio rerum quid ſit.

Res una dicitur *incorporari rebus aliis*, ſi eidem juri ſubjicitur, cujus ſunt ceteræ.

E. gr. In monaſterio omnia bona Monaſterii ſunt communia & inde indifferenter providetur ſingulorum religioſorum neceſſitatibus, prout cuique opus eſt. Pone autem religioſo uni undecunque obvenire res quascunque, ſive nummos, cum proprii nihil habere poſſit, in commune rediguntur, & perinde ac de ceteris bonis Monaſterii ſingulorum neceſſitatibus inde providetur, prout cuique opus eſt. Res igitur religioſo uni undecunque provenientes dicuntur incorporari bonis Monaſterii. Similiter cum chriſtiani primævi omnia, quæ habebant, ad Apoſtolos referrent, ut fierent communia, de quibus ſingulis diſtribueretur prout unicuique opus eſſet, Act. II, 44. 45 bona, quæ ſinguli afferebant, incorporabantur iis, quæ jam communia erant.

§. 31.

Incorporatio rerum induſtrialium & artificialium in communione primæva.

In communione primæva res induſtriales & artificiales incorporantur pure naturalibus. Cum res pure naturales ſint, quas natura ſua ſponte profert (§. 503. *part. I. Jur. nat.*), quæque adeo dantur, antequam ulla datur res induſtrialis & artificialis (§. 504. 505. *part. I. Jur. nat.*), natura vero res omnes corporales ſint communes (§. 7.); res pure naturales natura, adeoque in communione primæva (§. 9.), communes eſſe, nemo eſt qui dubitet. Enimvero in communione primæva etiam res induſtriales & artificiales ſunt

ſunt communes (§. 29.), adeoque eidem ſubjiciuntur juri, quo pure naturales (§. 4.). Quoniam itaque res incorporantur in res alias, ſi eidem juri ſubjiciuntur, cujus ſunt, ceteræ (§. 30.); in communione primæva res induſtriales & artificiales pure naturalibus incorporantur.

Quamdiu adeo concipitur communio primæva, res induſtriales & artificiales cum pure naturalibus conſtituunt communem omnibus hominibus ſeu toti generi humano maſſam bonorum, ad quam unicuique hominum idem jus eſt, nempe ut eadem qualibet utatur, prout ipſi opus eſt. Pone adeo in communione primæva a te plantari arborem, ut fructus edat. Non ideo dicere licet, ego fructuum gratia hanc arborem plantavi. Ergo eorundem uſum mihi vindico. Sed uſus hic indifferenter patet omnibus, ita ut fructus percipere poſſit quicunque, qui iiſdem opus habet. Sive igitur tu plantaſti arborem, ut fructus ſint res induſtriales; ſive natura ſua ſponte eandem produxit, ut fructus ſint pure naturales; idem in hoſce tibi jus competit, nempe non proprium, ſed quod omnium hominum commune eſt. Intuitu juris hominibus competentis in communione primæva res induſtriales & artificiales æquipollent pure naturalibus, nec ab his diſtinguuntur. Primævam adeo rerum communionem imitati ſunt Chriſtiani primævi in Actis & imitati ſunt Religioſorum Patres & Legislatores, veluti *Baſilius, Auguſtinus, Benedictus* (*not.* §. 30). Etſi enim potiſſimum reſpexerint communionem chriſtianorum primævorum in Actis, cum tamen eadem imitetur communionem primævam, a veritate alienum non eſt, quod communio Religioſorum imitetur primævam rerum communionem. Quamobrem cum jus naturæ ſit fons jurium ceterorum omnium, & nos illud ita tradere intendamus, ut uſus ejus in jure etiam Romano & Canonico eluceſcat, non modo terminos in utroque jure uſitatos in Jure naturæ retinemus, ſed hinc inde etiam, ubi e re videtur, hoc ad illud applicamus.

§. 32.

Quomodo ſe habeat uſus rerum induſtrialium & artificialium in communione primæva.

In communione primæva rerum induſtrialium & artificialium uſus non magis patet iis, quorum induſtriæ ac arti eæ debentur, quam alii cuicunque. Sunt enim communes (§. 29.), adeoque cum primæva communio toti generi humano competat (§. 9.), omnes omnino homines in eas idem jus habent (§. 3.). Quoniam itaque in communione primæva nemini præter uſum neceſſarium jus quoddam competere poteſt (§. 21.), uſus autem neceſſarius omnibus promiſcue patet (§. 19.); rerum quoque induſtrialium & artificialium uſus non magis patet iis, quorum induſtriæ ac arti eæ debentur, quam alii cuicunque.

Incorporantur res induſtriales & artificiales pure naturalibus (§. 31.), adeoque cum iis, quæ natura communes ſunt (§. 7.), in eandem maſſam rediguntur, unde providetur unicuique, prouti opus habet, indifferenter Non igitur ei, cujus induſtriæ ac arti debetur res induſtrialis & artificialis, in ejus uſu ulla competit prærogativa Neque enim in uſu ejus omnibus indifferenter competente attenditur, cujusnam induſtriæ ac arti accepta ferenda. Idem omnino obtinet in communione Religioſorum (*not.* §. 31.), quemadmodum latius deduxit *van Eſpen* loco ſupra (*not.* §. 3.) citato.

§. 33.

Quomodo in ea uſus rerum commenſurandus.

In communione rerum primæva uſus rerum quarumvis proportionatur indigentiæ, ſeu neceſſitati ſatisfaciendi obligationi ſuæ naturali. Etenim in communione primæva uſus rerum neceſſarius unicuique patet, in quantum neceſſarius (§. 27.) conſequenter prout cuique opus eſt ad hoc, ut obligationi ſuæ naturali ſatisfaciat (§. 12.), & hinc qui pluribus indiget, ei etiam natura plurium rerum uſus conceſſus, quam alteri, qui indiget paucioribus (§. 28.). Tantus adeo eſt cuique

cuique competens uſus, quanta indigentia, ſeu quanto opus habet ad ſatisfaciendum obligationi ſuæ naturali. Præterea vero in communione primæva res induſtriales & artificiales non minus communes ſunt (§. 29. 32.), quam pure naturales (§. 7. 9.), rerumque utilium & voluptuariarum uſus perinde neceſſarius ac neceſſariarum (§. 13.). Quamobrem patet in communione primæva uſum rerum quarumvis proportionari indigentiæ, ſeu neceſſitati obligationi naturali ſuæ ſatisfaciendi.

In communione adeo primæva non ſpectatur æqualitas uſus, ſed juris ad res utendas. Quod vero hoc non repugnet æqualitati hominum naturali, oſtendimus jam ſuperius (*not.* §. 7.). Nullius adeo jus violatur, ſi, qui pluribus indiget rebus, pluribus etiam utatur: violaretur vero, ſi æqualis eſſe deberet uſus omnibus, & idem æſtimaretur ex indigentia ejus, qui paucioribus opus habet. Superflua enim in communione primæva nulla ratione appetuntur Non adeo fit injuria ei, qui paucioribus indiget, quando alter pluribus utitur, qui opus pluribus habet (§. 859. *part. I. Jur. nat.*).

§. 34.

Eadem re in ſingulari nonniſi unus actu uti poteſt, ſi uſu conſumitur; eodem tempore vero nonniſi unus, ſi non conſumitur. *Uſus actualis quomodo reſtringatur.* Si enim uſu conſumitur, nullus ejus fieri poteſt uſus, niſi intereat (§. 16.), adeoque finito uſu non amplius extat. Quamobrem præterea alterius uſui inſervire nequit, adeoque nonniſi unus eadem actu uti poteſt. *Quod erat unum.*

Si res uſu non abſumuntur, in ipſo uſu non intereunt (§. 16.), adeoque finito uſu adhuc ſuperſunt, conſequenter poſthac alterius uſui inſervire poſſunt. Quod vero quando tu eadem uteris, non ſimul alius eadem uti poſſit, per ſe patet. *Quod erat alterum.*

Uſus

Uſus pomorum in eo conſiſtit, ut comedantur. Quod tu comedis pomum, idem uumero alius ſimul comedere nequit. Ligna, quæ a te eo fine concremantur, ut corpus tuum calore foveas, non ſimul ab alio eodem fine concremari poſſunt. Si quis præterea igni adſtiterint, poſſunt iidem uſum, quem facis, participare. De eo autem jam non quæſtio eſt, quemadmodum nec de eo, ſi plures in eo conſentiant, ut ſimul faciant uſum rerum conſumbtilium, cujus plures participes fieri poſſunt, veluti ſi ligna congerant & igni injiciant, ut ſimul corpus ſuum calore ejus foveant. In hoc enim caſu poſteriori plures in unum conſentientes habentur pro uno; in priori uſum intendit ac facit nonniſi unus, & ex accidente eſt, quod plures eundem participent. Quæ de rerum conſumtibilium uſu unico, quem actu habere poſſunt, diximus; eadem valent de uſu ſolitario rerum non conſumtibilium, qui actu fieri poteſt. Eo tempore, quo tu uteris cuneo ad findenda ligna, alius eodem uti nequit eodem fine. Et quando tu citharam pulſas, non ſimul alius eandem pulſare poteſt. Cum tamen hoc facias auris oblectandæ cauſa, eundem, quem tuis auribus hauris ſonum, ſi qui adſtiterant, alii ſuis quoque auribus haurire poſſunt. Sed tum participant uſum, quem tu facis & facturus eras, etſi nemo præterea eundem participaret, atque adeo quod participent ex accidente eſt. Quodſi plures in eo conſentiant, quod ſono citarhæ pulſu producto aures ſuas oblectare velint; plures quoque hic habentur pro uno: conſenſus enim in numero idem unam facit perſonam moralem, cum quoad uſum, cujus plures participes fieri poſſunt, nonniſi una adſit voluntas. Præter neceſſitatem adeo præſens propoſitio reſtringeretur.

§. 35.

Quomodo ſe habeat actu-alis rerum

In communione primæva ſi tu re quadam in ſingulari, quæ uſu conſumitur, actu uteris; nemo alius ejusdem uſum licite prætendere poteſt: ſi vero uteris re, quæ uſu non conſumitur, nemo alius

alius eodem tempore ejuſdem uſum prætendere licite poteſt. In communione enim primæva idem omnium eſt jus ad res quaslibet tanquam communes (§. 24. 4.), quatenus nempe uſum neceſſarium habent (§. 21.). Patet earum uſus promiſcue omnibus §. 19.), ut adeo eundem facere poſſit, qui opus habet (§. 27.). Quoniam itaque re, quæ uſu conſumitur, nonniſi unus actu uti poteſt (§. 34.); ſi quis eadem actu utitur, nemo alius ejusdem uſum licite prætendere poteſt. *Quod erat unum.*

In ſingulari uſus in communione primæva.

Et quia re, quæ uſu non conſumitur, eodem tempore nonniſi unus actu uti poteſt (§. *cit.*), nec quisquam alius eodem tempore eundem uſum licite prætendere poteſt. *Quod erat alterum.*

Utrumque etiam oſtenditur hoc modo. Ponamus licitum eſſe, ut, ſi tu re quadam in ſingulari jam actu uteris aut in eo es, ut utaris, alius quicunque eundem uſum prætendat, adeoque te eundem ipſi cedere debere. In communione igitur primæva te ab uſu rei cujuscunque neceſſario licite arcere poteſt, qui voluerit. Enimvero nemo in eadem ab uſu rerum neceſſario arceri poteſt (§. 20.). Ergo nec tu, ſi re quadam in ſingulari actu utaris, ab eo uſu arceri potes licite, conſequenter ſi tu re quadam in ſingulari actu uteris, quæ uſu conſumitur, nemo alius eundem uſum licite prætendere poteſt: ſi vero uteris re, quæ uſu non conſumitur, nemo alius eodem tempore eundem uſum licite prætendere poteſt.

Poterat idem multis adhuc aliis modis oſtendi. Cum in communione omnium idem jus ſit (§ 3.), ſi tu uſum rei alteri relinquere teneris, quando in eo es, ut eadem utaris, vel actu uteris, eidem præ te jus quoddam competere deberet (§ 156. *part. I. Phil. pract. un.*), conſequenter prærogativam quandam natura haberet (§. 93. *part. I.*

Jur. nat.), cum communio primæva homini natura competat (§. 9.). Hoc vero abſurdum eſt, cum natura homini nulli prærogativa ulla competat (§. 94. *part. I. Jur. nat.*). Cumque æqualitatem tollat prærogativa (§. 97. *part. I. Jur. nat.*), in communione primæva, conſequenter natura (§. 9.) homines omnes non forent æquales: quod denuo abſurdum, cum natura omnes æquales ſint (§. 81. *part. I. Jur. nat.*). Similiter is, qui te arcere licite poteſt ab uſu rei cujusdam, aut plus juris habet (§. 87. *part. I Jur. nat.*), aut majus (§. 88. *part. I. Jur. nat.*): quod ipſum quoque abſurdum, cum natura nemo hominum plus juris habeat, quam alter, nec ullus hominum jus habeat majus, quam alter (§. 89. *part. I. Jur. nat.*). Natura uſum rerum omnium æqualem facit quoad jus, non quoad factum, nimirum ut quilibet re quacunque uti poſſit, qui ea opus habet, ſed ſinguli rebus utantur non æqualiter, verum prouti unicuique opus fuerit Quod igitur re quadam uteris, hoc facis jure tuo, quod citra injuriam nemo tibi violare poteſt.

§. 36.

Rei apprehenſio quid de efficiat in communione primæva.

Quoniam in communione primæva nemo uſum neceſſarium ejus rei in ſingulari, quem tu facis, prætendere licite poteſt (§. 35.); *ſi uſus neceſſarii gratia rem quandam manu apprehendis, vel quomodocunque in eum ſtatum redigis, quo eam apprehendere potes, eandem ſtatim apprehenſurus, nemini licet eandem tibi invito eripere, vel ab ea apprehendenda vi depellere.*

Actu, quo quis rem utendam apprehendit, vel in eum ſtatum redigit, ut apprehendere poſſit, nullum jus acquiritur, quod quis antea nondum habet; ſed pertinet is ad exercitium juris, quod habet, & ſine quo jus eſſet nullum (§. 156. *part I. Phil. pract. univ.*), nimirum ad actualem uſum. Uſus quoad potentiam, hoc eſt, quatenus fieri poteſt, jus eſt; quoad actum, hoc eſt, quatenus fit, factum, in quo exercitium ejus conſiſtit, & ad hoc etiam pertinent

tinent facta quæcunque alia, ſine quibus uſus obtineri nequit, ad miniſtras actiones, quas diximus (§. 427. *part. I. Jur. nat.*), referenda. Nimirum jus eſt facultas quædam agendi (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*), ut licite quid facere poſſis (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quando igitur actu agis, jus tuum exerces & licite facis, quod licite facere poteras. Quoniam ergo nemo habet jus te impediendi, quo minus jure tuo utaris (§. 180. *part. I. Phil. pract. univ.*), nec quisquam licite te impedire poteſt, ut, quod licite a te fieri poteſt, facias. Quamobrem actu apprehenſionis rei utendæ nullum acquiris jus prioritatis (§. 111. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter nullam præcedentiam (§. 104. *part. I. Jur. nat.*), qualis natura homini nulli competit (§. 106. *part. I. Jur. nat.*) & quæ tollit æqualitatem (§. 107. *part. I. Jur. nat.*) ſtatui originario convenientem (§. 130. *part. I. Jur. nat.*), in quo obtinet communio primæva (§. 11.). Defectum adeo acuminis probant, qui in caſu propoſitionis præſentis jus quoddam prioritatis ex pacto tacito hominum deducunt. Hinc vero ſimul patet, quam ſit neceſſe in Jure naturæ omnia reſecari ad vivum, hoc eſt, in notiones primas reſolvi, ne in iis, quæ magis implicita ſunt, definiendis ceſpites, pro iisdem habens, quæ ad confuſas notiones attento eadem videntur, non ſunt. Ceterum propoſitio præſens principium fœcundum eſt multas quæſtiones particulares reſolvendi, nec hoc inutile cenſeri debet, quoniam communio primæva, etſi non amplius ſubſiſtat, non tamen penitus ſublata occurruntque præterea, quæ ad ejus normam exigenda, aut ſaltem penitus absque ea intelligi nequeunt in jure poſitivo, etiam Romano civili & Canonico. Sed demus adhuc exemplum facile, quo præſens propoſitio illuſtretur. Ponamus Titium in communione primæva decerpere pomum, ut comedat: nemo eum licite impedit, quo minus decerpat, nec licite eripit, ut ipſe comedat. Similiter ponamus, eum ſagitta ferire feram & hanc cadere, ut eam apprehendere poſſit. Nemo eundem licite impedit, quo minus ſagittam in eam

emittere poſſit, aut ſi cadit, eum vi proſternit, ne apprehendere queat, aut cadentem apprehendit, ut caro ejus ſibi uſum cibi præbeat. Quæ in genere diximus ad hoſce caſus particulares applicari poſſunt, ne quid in iis relinquatur quod ſit obſcurum.

§. 37.

Quænam res in uſu maneant communes.

In communione primæva nemo utitur rebus tanquam ſuis, ſed tanquam communibus. Etenim in ea præter uſum rerum neceſſarium nemini in eas jus quoddam competere poteſt (§. 21.). Quamobrem cum nemo prætendere licite poſſit uſum ejus rei in ſingulari, quem tu actu facis (§. 35.), nec ullo modo licite impediat, quo minus eundem facere poſſis (§. 36.); in eas res, quibus actu uteris, non aliquod tibi jus competat neceſſe eſt, quo ceteri carent, ut uti poſſis, conſequenter neceſſe non eſt, ut propter uſum actualem fiant ſingulorum (§. 5.), quæ antea communes erant, non ſingulorum (§. 24.). Manent igitur communes in ipſo uſu, adeoque nemo in communione primæva re utitur tanquam ſua (§. 131. *part. I. Jur. nat.*), ſed tanquam communi.

Idem obtinet in communione religioſorum, quæ perinde ac primæva res ſingulorum non fert. Nemo enim eorum, quæ ad neceſſitatem conceduntur, quicquam poſſidere debet ut proprium, neque uti ut proprio, quemadmodum habent verba *Clementis VIII.* apud ſæpius laudatum *van Eſpen* loc. cit. §. 8. f. 68. b.

§. 38.

Quid inde ſequatur.

Quoniam in communione primæva nemo utitur re quadam tanquam ſua, ſed tanquam communi (§. 37.), conſequenter in ipſo uſu res manent communes, adeoque in eas non tollitur jus ceterorum (§. 4.); *finito rerum uſu, qua*

quæ uſu non conſumuntur, alius quicunque iisdem licite uti poteſt, nec is, qui uſus ante fuerat, eum ab earundem uſu arcere poteſt (§. 20.).

Nimirum ſi uſus rei, quæ uſu non conſumitur, propter uſum, quem quis ſemel fecit, jam ſubeſſet ipſius juri proprio, ut de eodem pro ſuo arbitrio diſponere poſſit; jus, quod natura omnibus competit, exſpirare deberet. Nulla vero eſt ratio, cur hoc fieri debeat, cum quis jure ſuo uti poſſit, quod cum aliis commune habet, ſalvo jure ceterorum, quibus idem commune eſt Exercitium juris unius non permittit juris ejusdem exercitium alteri una, cum hoc per ſe fieri nequeat; non tamen tollit jus alterius, cum alter eodem tempore eadem re uti potuiſſet, ſi antequam alter id faceret ad hoc faciendum voluntatem ſuam determinaſſet, & poſthac uti poterit, quando libuerit, ſi quidem uſu unius non abſumitur res. Et hoc ipſo comprobatur, non inanem eſſe diſtinctionem inter uſum rei tanquam propriæ & tanquam communis. Ut quoad votum paupertatis illibatam conſcientiam ſervet religioſus, diſtinctio hæc maximi momenti eſt, juri naturæ convenienter facta, non temere conficta a Pontifice (*not.* 37.).

§. 39.

Quoniam res artificiales *in communione primæva* incorporantur pure naturalibus (§. 31.), conſequenter cum pure naturalibus eidem juri ſubjiciuntur (§. 30.); *finito uſu rei artificialis quem fecit, qui eam arte paravit ſua* (§. 505. *les. part. I. Jur. nat.*), *alii cuicunque concedere tenetur actualem ejusdem, nec ab eo quemquam licite arcere poteſt* (§. 38.). *Idem juris etiam quoad res artificiales.*

Paradoxum hoc nobis videtur, poſtquam dominia introducta, & res artificiales ſunt propriæ ejus, qui arte ſua easdem paravit, neque ſatis aperta eſt obligatio naturalis communem perfectionem conjunctis viribus promovendi (§. 221. *part. I. Phil. pract. univ.*), a qua proprietatis co-

gitatio animum avertit. In præſenti utique ſtatu hoc abſonum foret: in ſtatu autem originario, in quo communio primæva regnat (§. 11.), nullum locum habet ſenſus repugnantiæ æquitati, neque enim adeſt confuſa perceptio, quæ proprietatem miſcet rei artificiali. Diſcant igitur, quam fallax ſit ſenſus moralis, quem ſenſus communis quandam ſpeciem nonnulli habent, & ad diſcernendum bonum a malo, æquum ab iniquo nobis datum ſibi imaginantur, ſicuti odoratus externi ſenſus ſpecies ad diſcernendos odores natura hominibus ac animantibus brutis perfectis conceſſus. Quamdiu primæva communio ſubſiſtit, nullus proprietatis ſenſus animos hominum obſedit; quid ſit meum, quid tuum ignoratur; præter rerum uſum nil appetitur. Quamobrem rerum artificialium perceptionibus nec cogitatio proprietatis mei ac tui admiſceri poteſt, nec actu admiſcetur.

§. 40.

Participatio uſus rerum communium.

Si in communione primæva uſum rei, quem actu facis, adhuc alii participare poſſunt; quo minus volentes participent impedire non debes, ſed participatio promiſcue omnibus volentibus permittenda. Etenim in communione primæva rerum omnium neceſſarius uſus promiſcue patet omnibus (§. 19.), nec quiſquam ab eodem arceri poteſt (§. 20.), & ubi re quadam actu uteris, non uteris tanquam tua, ſed tanquam communi (§. 37.), conſequenter uſu, quem tu facis, non tollitur jus alterius. Quamobrem ſi uſus, quem tu actu facis, alii adhuc participes fieri poſſunt, qui ſoli eundem facere jure ſuo poterant, quod non impediri poſſint, quo minus volentes eundem participent, ſed participatio potius volentibus omnibus promiſcue permittenda ſit, oppido manifeſtum eſt.

Dedimus jam ſupra *not.* §. 34. exempla, quibus præſens propoſitio illuſtratur. Nimirum ſi ligna a te concremantur corporis calefaciendi gratia, nemo prohiberi poteſt ne

Digitized by Google

ne eodem fini accedens igni adſtet. Quæ enim a te concremantur ligna, eadem ab alio quocunque eodem jure concremari poterant, neque hoc actu ligna fiunt tua, ſed manent communia. Quamobrem nullum jus tuum violatur, ſi alter corporis ſui calefaciendi gratia ad ignem accedat eidemque adſtet, quamdiu libuerit; violaretur vero jus alterius, ſi ferre nolles, ut eodem tecum calore frueretur. In communione primæva calor ignis non minus communis eſt, quam radiorum ſolarium. Etſi enim ille in numerum rerum induſtrialium referendus ſit (§. 504. *part. I. Jur. nat.*), cum hic ſit pure naturalis (§. 503. *part. I. Jur. nat.*); in primæva tamen communione res induſtriales incorporantur pure naturalibus (§. 31.), adeoque cum his eodem jure cenſentur (§. 30.).

§. 41.

Cur laborandum in communione primæva.

In communione primæva omnibus laborandum communis utilitatis gratia, nemini otiandum. Etenim hominibus laborandum eſt (§. 514. *part. I. Jur. nat.*), adeoque opera danda, ut res ſive corporales, ſive incorporales producantur, vel comparentur, aut ut ad eas producendas ſaltem concurratur, quæ ad vitam commode, jucunde ac decore agendam quomodocunque requiruntur (§. 512. *part. I. Jur. nat.*). Quoniam res corporales induſtriales ſunt, quæ natura nonniſi interveniente opera humana producit (§. 504. *part. I. Jur. nat.*), artificiales vero, quæ arte humana parantur (§. 505. *part. I. Jur. nat.*); laborandum eſt, ne deſit ſufficiens rerum induſtrialium & artificialium copia, quam uſus neceſſarius exigit (§. 12.). Enimvero in communione primæva rerum induſtrialium & artificialium uſus non magis patet iis, quorum induſtriæ ac arti eæ debentur, quam alii cuicunque (§. 32.) & proportionatur cujusvis indigentiæ (§. 33.). Quoad res adeo corporales laborandum eſt communis utilitatis

litatis gratia. Porro opera danda eſt unicuique, ut homines etiam alii conſequantur omnem habitum facultatis cujuslibet animæ acquiſitu ſibi poſſibilem (§. 637. *part. I. Jur. nat.*), nec quisquam in propagandis virtutibus intellectualibus & moralibus induſtriam ſuam deſiderari patiatur opus eſt (§. 638. *part. I. Jur. nat.*), immo exemplo ſuo virtutes intellectuales & morales docere & ad earum ſtudium incitare debet alios (§. 639. *part. I. Jur. nat.*). Virtutes intellectuales & morales referendæ in numerum rerum incorporalium (§. 497. *part. I. Jur. nat.*). Cum adeo in iis acquirendis reſpiciendum ſit quoque ad alios & dum aliorum animis eas inſtillmus, aliorum utilitati velificamus; evidens eſt, laborem, qui impenditur virtutibus intellectualibus ac moralibus acquirendis & propagandis, communis utilitatis fieri. Quamobrem quia præter res corporales & incorporales non dantur aliæ (§. 496. 497. *part. I. Jur. nat.*); labor vero, qui tam illis, quam hiſce impenditur, communis utilitatis gratia fieri debet *per demonſtrata*; in communione primæva omnibus laborandum communis utilitatis gratia. *Quod erat unum.*

Quoniam itaque utilitatis communis gratia in communione primæva omnibus laborandum eſt *per demonſtrata*; nemini otiandum. *Quod erat alterum.*

In communione primæva nemo quærit quod ſuum eſt, ſed unusquisque quærit quod eſt commune, adeoque in omni labore communem utilitatem intendit. Dum vero unusquisque quærit quod aliorum eſt, ſingulis providetur abunde, ne deſit quicquam, quo indiget. Unde ſi omnes pro virili laborant, cuivis, etſi nihil habeat nec labore ſuo quicquam acquirat proprii, nihil tamen deeſt, ſed abunde ſuppetunt omnia, quibus opus habet. Status adeo communionis primævæ non eſt ſtatus indigentiæ, modo homines

mines obligationi ſuæ naturali ſatisfaciant in univerſum omnes. Per ſe communioni primævæ non repugnat, ut homines quoque commode ac jucunde vitam tranſigant, immo etiam decore, neque opus eſt, ut eam degant vitam, quam in gentibus incultis conſpicimus, quemadmodum quibusdam videtur. Cur vero difficile ſit, aliunde eſt, prouti ſequentia docebunt. Cum communio primæva nobis explicanda ſit, non ſufficit demonſtrare, quid in ea juris ſit, verum etiam quænam juri reſpondeat obligatio oſtendendum.

§. 42.

Quinam labor unicuique conveniat in communione primæva.

In communione primæva eo unusquisque defungi debet labore, quo maxime opus eſt, & quem recte perficere valet. Homines enim operam dare debent, ne deſit ſufficiens copia rerum neceſſariarum, utilium & voluptuariarum, ſive induſtrialium, ſive artificialium (§. 511. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum in communione primæva omnibus laborandum ſit communis utilitatis gratia (§. 41.), res neceſſariæ autem voluptuariis & utilibus præferendæ (§. 502. *part. Jur. nat.*) & quilibet obligetur ad laborem ſuum recte perficiendum (§. 522. *part. I. Jur. nat.*); in ea unusquisque eo defungi debet labore, quo maxime opus eſt & quem recte perficere valet.

In communione primæva nemini eſſe otiandum, paulo ante oſtendimus (§. 41.). Quodſi omnes eundem laborem ſuum facerent, utilitati communi non conſuleretur, cum rebus aliis abundarent, aliis carerent, quibus non minus ac illis indigerent, qui in communione vivunt Ut igitur utilitatis communis gratia laborent, duo perpendenda ſunt, antequam laborent. Nimirum inquirendum, quarumnam rerum nondum ſuppetat ſufficiens copia, & quænam ex iis neceſſariæ, quænam utiles, quænam voluptuariæ ſint, ut judicium fieri poſſit, quonam labore maxime opus ſit. Deinde perpendendum, quemnam laborem recte perficere

aut ſaltem aliis rectius perficere quis poſſit. Etſi autem communio primæva hodie non amplius ſubſiſtat, propoſitio tamen præſens non inutilis cenſeri debet. Habet enim non modo uſum in communione Religioſorum, ut ſuperior laborem unicuique convenientem aſſignet; verum etiam in civitate, ubi hoc principio opus habemus non ad unum demonſtrandum. Datur enim etiam aliqua communio in civitate, quæ quidem non eadem eſt cum primæva, ex primæva tamen originem ſuam trahit, ut adeo ſine hoc penitus non intelligatur.

§. 43.

Quinam definire debeant uſum rerum neceſſarium in communione primæva.

In communione primæva uniuscujusque judicio relinquendum, in quantum uſus rerum ſit ipſi neceſſarius, & quanta ſit indigentia ſua. Etenim communio primæva, jus connatum (§. 10.), in ſtatu originario obtinet (§. 11.). In ſtatu autem originario quilibet homo liber eſt (§. 144. *part. I. Jur. nat.*), adeoque ipſi permittendum, ut in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu contra jus alterius nil facit (§. 156. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum ſuo jure utatur dum rebus utitur, in quantum earum uſus ipſi neceſſarius (§. 27.); ipſius quoque judicio relinquendum, in quantum uſus rerum ipſi ſit neceſſarius, ſeu quantum ſit indigentia ſua.

Oſtendi etiam poteſt per indirectum hoc modo. Ponamus Titium in communione primæva definiendi jus habere, quanta ſit uniuscujusque, veluti Caji, Grachi, Sempronii indigentia, conſequenter hos rebus uti non poſſe, niſi in quantum viſum fuerit Titio. In earundem itaque uſu a voluntate Titii erunt dependentes (§. 851. *Ontol.*), conſequenter minime liberi (§. 152. *part. I. Jur. nat.*). Quo-

Digitized by Google

Quoniam itaque communio primæva in ſtatu originario obtinet (§. 11.); in ſtatu originario homines omnes non erunt liberi: quod abſurdum (§. 144. *part. I. Jur. nat.*).

Quodſi fingas, cœtum quendam hominum inter ſe convenire, ut uſum rerum unus quidam definiat, cujus voluntatem ſequi velint; libertati naturali renunciant & imperium introducunt, quale natura nemini competit in alterum. Immo rerum quandam quantitatem ſibi propriam faciunt, communem ſcilicet huic cœtui, non vero amplius integro generi humano, conſequenter a communione primæva recedunt. Non vero jam quæſtio eſt, num melius faciant; ſed quid in communione primæva juris ſit.

§. 44.

Quoniam *in communione primæva* uniuscujusque judicio relinquendum, in quantum uſus rerum ſit ipſi neceſſarius (§. 43.); *quilibet rebus uti poteſt, quibus uti libuerit.* *Actualis rerum uſus quomodo determinetur in primæva communione.*

Quoad exercitium juris in communione primæva nemo dependet a voluntate alterius, ſed quod lubet licet reſpectu ceterorum, ſcilicet ut nemini rationem reddere teneatur uſus, quem facit. Sequitur hoc ex libertate naturali (§. 152. 158. *part. I. Jur. nat.*). Etſi enim libertas non tollat obligationem naturalem (§. 159. *part. I. Jur. nat.*), adeoque nemo quoque uti debeat rebus niſi prout ipſi opus fuerit (§. 27.); uniuscujusque tamen conſcientiæ relinquendum, num jure ſuo utatur, an vero eodem abutatur (§. 157. *part. I. Jur. nat.*). Quamdiu quis non excluditur ab uſu rerum, nec uſus eidem controvertitur; nihil fit contra jus ipſius (§. 20.), conſequenter nec ipſi competit jus exigendi rationem uſus, quem facit alter (§. 158. *part. I. Jur. nat.*).

§. 45.

In communione primæva unicuique competit jus reſiſtendi *Jus reſiſtendi uſum rei*

Digitized by Google

impedire co-nanti in communione primæva.

ei, qui uſum neceſſarium rei quo minus faciat, impedire quomodocunque conatur. Etenim in communione primæva unicuique competit uſus rerum neceſſarius prout cuique opus eſt (§. 27.), ut adeo rebus uti poſſit, quibus uti libuerit & prout libuerit (§. 44.). Ex adverſo nemo alius eum ab hoc uſu arcere poteſt (§. 20.), ut adeo, ſi uſus neceſſarii gratia rem quandam manu apprehendit, vel quomodocunque in eum ſtatum redigit, quo eam apprehendere poteſt eandem ſtatim apprehenſurus, nemini liceat eandem invito eripere, vel ab ea apprehendenda vi depellere (§. 36.), nec alteri liceat prætendere uſum ejus rei, qua tu actu uteris (§. 35.), conſequenter quilibet obligatur ad nullo modo alterum impediendum, quo minus rebus utatur, quibus uti libuerit & prout libuerit. Ponamus itaque homini in communione primæva non competere jus reſiſtendi ei, qui uſum neceſſarium rei quo minus faciat quomodocunque impedire conatur. Nihil ipſum juvabit jus rebus utendi, nil jus independenter ab alterius voluntate utendi natura ipſi conceſſum, nil proderit ipſi obligatio alterius non impediendi uſum, quem facit independenter a voluntate alterius. Quoniam igitur natura homini non fruſtra confert jura, nec fruſtra obligat cæteros ad uſum jurium ſeu exercitium eorundem non impediendum; ferendum non eſt, ſi quis uſum rerum neceſſarium quomodocunque impedire conetur, ubi quis iisdem uti voluerit, conſequenter ipſi, quo minus alter hoc faciat, impedire, adeoque reſiſtere licet (§. 727. *Ontol.*). Unicuique adeo in communione primæva competit jus reſiſtendi ei, qui uſum neceſſarium rei quo minus faciat impedire quomodocunque conatur.

Fluit hoc jus reſiſtendi ex obligatione ad non arcendum alterum ab uſu rerum neceſſario & ad non impediendum actualem

actualem uſum (§. 23. *part. I. Jur. nat.*), quæ obligatio reſpondet juri rebus utendi communi, cujus exercitium independens facit a voluntate alterius jus libertatis. Unde vides ſublato jure reſiſtendi, de quo ſermo eſt in propoſitione præſente, perinde eſſe, ſive tibi ſit aliquod jus, ſive nullum, ſive eidem aliqua reſpondeat obligatio, ſive nulla. Neque enim tibi facere licet, niſi quod voluerit alter, & alteri licebit tibi præſcribere, quid facere debeas, ipſe vero facere poterit, quod libuerit. Tua igitur libertas nulla eſt, libertas vero alterius in licentiam vertitur. Qui dependentiam jurium & obligationum a ſe invicem intime perſpexit, non concipere poteſt jus homini conceſſum, & obligationem ad patientiam, quæ exercitio juris penitus adverſa. Quodſi ad exempla maxime vulgaria animum attendas, quam abſurda foret obligatio ad iſtiusmodi patientiam ſtatim perſpicitur. Ponamus itaque in communione primæva te pomum decerpere, ut comedas. Natura tibi competit jus hoc faciendi, & dum facis, jure tuo uteris. Nemini jus ſub quocunque prætextu pomum tibi eripiendi, quod decerpſiſti, nec licite impedire quisquam poteſt, quo minus decerpas, immo quilibet obligatur, ne eripiat, ne impediat, ſeu eripere aut impedire non debet (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quis ergo dixerit, ferendum tibi, quod alter agat contra obligationem ſuam & contra jus tuum, dum tu tantummodo uteris jure tuo, nihil facis contra jus alterius? ſane ſublato jure reſiſtendi in caſu propoſitionis præſentis, alteri plus juris in te competit, quam tibi in alterum, aut minimum tibi ferendum, ut plus juris in te ſibi arroget, quam tibi in ipſum competit: quod cum naturali hominum æqualitate in ſtatu originario, in quo viget rerum omnium primæva communio (§. 11.), minime conſiſtit (§. 130. 78. *part. I. Jur nat.*). Quodſi dicas patientiam iſtam, qua jus reſiſtendi noſtrum vel tollitur, vel ſaltem inutile redditur aut in effectu nullum, convenire omnibus; jurium & obligationum naturalium pugna multo magis conſpicua evadet. Jure naturæ non datur

tur manu una, quod altera aufertur. Quando igitur jus quoddam natura conceſſum obligatione naturali tolleretur, aut ſaltem inutile redderetur; hanc nullam eſſe & gratis fingi liquet.

§. 46.

Uſus rerum neceſſarius quale ſit jus.

Quoniam in communione primæva unicuique competit jus reſiſtendi ei, qui uſum neceſſarium quo minus faciat impedire quomodocunque conatur (§. 45.), adeoque uſus rerum neceſſarius conjungitur cum jure cogendi alterum, ut obligationi ſuæ naturali de non impediendo uſu rei neceſſario, quem actu facis, nec te arcendo ab eodem ſatisfaciat (§. 36. 20.); *uſus rerum neceſſarius in communione primæva unicuique competens, in quantum neceſſarius, ſeu prout cuique opus eſt* (§. 27.) *jus perfectum eſt* (§. 235. *part. I. Phil. pract. univ.*) & ſimiliter *obligatio neminem arcendi ab uſu rerum neceſſario, nec ullo modo impediendi actualem earum uſum reſpectu eorum, quibus obligaris, perfecta eſt* (§. 236. *part. I. Phil. pract. univ.*).

Scilicet perfecte obligaris alteri in communione primæva, ne ipſum ab uſu rerum neceſſario arceas, nec ullo modo actualem eorum uſum, quem facere vult, aut jam facit, impedias. Et huic perfectæ obligationi reſpondet vis licita, qua contra eandem agenti reſiſtitur ad tuendum jus perfectum rebus utendi, prout opus fuerit.

§. 47.

Alio adhuc modo idem oſtenditur.

Jus in res communes cuilibet competens in communione primæva jus perfectum eſt. Etenim jus, quod unicuique competit in primæva communione in res communes (§. 24.), conſiſtit in uſu earum neceſſario (§. 21.), adeoque lege naturæ eidem tribuitur ad ſatisfaciendum obligationi ſuæ naturali (§. 14. 12.). Enimvero jus omne, quod homini dat

Digitized by Google

dat lex naturæ ad ſatisfaciendum obligationi ſuæ naturali, perfectum jus eſt (§. 905. *part. I. Jur. nat.*). Ergo jus in res communes cuilibet competens in communione primæva jus perfectum eſt.

Uſum rerum neceſſarium in communione primæva eſſe jus perfectum hoc modo patet independenter a jure reſiſtendi illum impedire conanti, ut adeo ſatisfaciat iis, qui in admittendo jure reſiſtendi ſunt ſcrupuloſiores, antequam demonſtraveris eſſe jus perfectum. Non tamen propterea ſuperfluum cenſeri debet, quod eſſe uſum iſtum jus perfectum etiam deduxerimus ex jure reſiſtendi eundem impedire conanti (§. 46.), quoniam hoc pacto magis conſpicua fit jurium & obligationum naturalium mutua dependentia a ſe invicem (*not.* §. 45.): id quod plurimum conducit ad jus naturæ intimius perſpiciendum. Quodſi vero independenter a jure reſiſtendi demonſtres uſum rerum neceſſarium eſſe jus perfectum, inde jus reſiſtendi colligitur.

§. 48.

Uſus impeditus in communione primæva num ſit læſio.

Qui in communione primæva alterum impedire quocunque modo conatur, ne rebus, prouti opus fuerit, utatur; eundem lædit. Uſus enim rerum neceſſarius, prouti cuique opus fuerit, in communione primæva jus perfectum eſt (§. 47.), conſequenter qui alterum quocunque modo impedire conatur, ne rebus, prouti opus fuerit, utatur, contra jus perfectum alterius hoc facit. Sed qui quid facit contra jus alterius, eum lædit (§. 920. *part. I. Jur. nat.*). Qui ergo in communione primæva alterum impedire quocunque modo conatur, ne rebus, prouti opus fuerit, utatur, eundem lædit.

§. 49.

Jus non patiendi impeditionem uſus rerum.

Quoniam in communione primæva alterum lædit, qui quocunque modo impedire conatur, ne rebus, prouti opus

opus fuerit eidem, utatur (§. 48), homini autem jus perfectum competit non patiendi, ut alter ipſum lædat (§. 913. *part. I. Jur. nat.*); *in communione primæva homini jus perfectum competit non patiendi, ut alter ipſum quocunque modo impedire conetur, ne rebus, prouti ipſi opus fuerit, utatur.*

Vides adeo patientiam æquo animo ferendi impeditionem uſus neceſſarii rerum in communione primæva, cui jus reſiſtendi impedire conanti contrariatur, invito jure naturæ fingi, cum independenter a jure reſiſtendi demonſtretur, hominem pati non debere, ut quis alius eum impediat, quo minus rebus utatur, prouti ipſi opus fuerit.

§. 50.

Ad quodnam genus illud referendum. Quia jus non patiendi, ut quis te lædat, jus ſecuritatis eſt (§. 917 *part. I. Jur. nat.*), qui vero impedit, ne rebus in communione utaris primæva, prout tibi opus fuerit, te lædit (§. 48); *jus in communione primæva tibi competens non patiendi, ut quis impedire quocunque modo conetur, ne rebus utaris, ſicuti tibi opus fuerit, ad jus ſecuritatis pertinet homini omni competenti* (§. 918 *part. I. Jur. nat.*), conſequenter *qui in communione primæva alterum impedire quocunque modo conatur, ne rebus utatur, prouti ipſi opus fuerit, jus ſecuritatis violat.*

Qui adeo commendant patientiam ferendi impeditionem uſus neceſſarii in communione primæva, jus ſecuritatis in eadem tollunt, aut minimum liberam faciunt unicuique ejus violationem, ut ſaltem omnis ſecuritatis violatio impune fieri debeat. Hinc facile perſpicitur, quam ſit abſurdum patientiam illam fingi juri naturæ convenientem, quoniam non ſubſiſtit niſi cum violatione ſecuritatis impune facta.

§. 51.

§. 51.

Defenſio ſui in communione primæva in quo conſiſtat.

Qui in communione primæva alteri reſiſtit, qui uſum rerum neceſſarium quo minus faciat impedire quocunque modo conatur, ſe adverſus eum defendit. Etenim qui in communione primæva alterum impedire quomodocunque conatur, ne rebus, prouti ipſi opus fuerit, utatur, eum lædit (§. 48). Qui itaque eidem reſiſtit, lædere conanti reſiſtit, ne lædere poſſit, aut ut læſionem, quantum in ſe eſt, avertat. Qui vero hoc facit, ſe defendit (§. 972 *part. I. Jur. nat*). Ergo qui in communione primæva alteri reſiſtit, qui quomodocunque impedire conatur, quo minus rei cujusdam uſum neceſſarium faciat, adverſus hunc ſe defendit.

§. 52.

Quod ſit licita.

Quoniam itaque homini competit jus ſe defendendi (§. 973. *part. I. Jur. nat.*); *in communione primæva homini competit jus reſiſtendi ei, qui quomodocunque impedire conatur, quo minus uſum rei alicujus neceſſarium faciat* (§. 51.).

Placuit hanc propoſitionem ſuperius (§. 45.) jam demonſtratam adhuc aliter demonſtrare ex hoc principio, in quod demonſtratio præſens reſolvitur, quod jus in res homini competens in communione primæva ſit perfectum (§. 47.), ne forſan juſto ſcrupuloſiores in demonſtratione ſuperiore difficultates comminiſcantur, etſi præter neceſſitatem. Securitas non minus inter ea jura refertur, quæ homini natura competunt, quam libertas & uſus rerum neceſſarius, prout cuique opus eſt. Et Juris iſtius imaginem etiam conſpicere licet in animantibus brutis, quatenus unumquodque eorum natura fertur ad ſui defenſionem, conſequenter ſecuritatem appetit, quodque natura ſingulorum ſecuritati conſulit organica corporis conſtructione

Digitized by Google

§. 53.

Quos habeat limites.

Jus ſe defendendi adverſus eum, qui quocunque modo uſum rerum neceſſarium impedire conatur, ſeu eidem reſiſtendi infinitum eſt. Jus enim ſe defendendi omne infinitum eſt (§. 978. *part. I. Jur. nat.*). Ergo etiam jus ſe defendendi adverſus eum, qui quocunque modo uſum rerum neceſſarium alicui impedire conatur, ſeu eidem reſiſtendi infinitum eſt (§. 52.).

Quo ſenſu jus dicatur infinitum, diximus alias (§. 977. *part. I. Jur. nat.*), atque inde patet, quomodo interpretanda ſit propoſitio præſens. Nimirum in genere præſcribi nequeunt limites, intra quos coerceri debeat; ſed tantundem licet, quantum ad vim repellendum ſufficit. Datur enim hoc jus, ne uſu rerum neceſſario excidamus, adeoque in caſu dato menſuram accipit a vi, quæ ſuperanda, ne hoc fiat.

§. 54.

Vis quænam licita in eum, qui neceſſarium rerum uſum alicui impedit in communione primæva.

Vis omnis licita in eum, qui in communione primæva quocunque modo impedit uſum rerum neceſſarium actualem, ſine qua conatus ejus irritus fieri nequit. Etenim qui uſum rerum neceſſarium actualem quocunque modo impedire conatur in communione primæva alterum lædit (§. 48.), adeoque aggreſſor eſt (§. 979. *part. I. Jur. nat.*). Enimvero in aggreſſorem tantundem licet, quantum læſioni arcendæ ſufficit (§. 980. *part. I. Jur. nat.*). Ergo vis omnis licita in eum, qui in communione primæva quocunque modo impedire conatur, ne rebus prouti opus fuerit utatur, ſine qua conatus irritus fieri nequit.

Quoniam jus reſiſtendi uſum rerum neceſſarium actualem in communione primæva impedire conanti ad jus ſe defendendi pertinet (§. 51.); quæ de hoc jure demonſtravimus (§. 982. & ſeqq. *part. I. Jur. nat.*), ad illud quoque appli-

applicanda ſunt, ut adeo nobis non opus ſit præter neceſſitatem eſſe prolixioribus. Relegenda igitur ſunt, quæ ibidem tradidimus: ita enim fore confidimus, ne quid in præſenti ſuperſit vel obſcuri, vel dubii.

§. 55.

Num puniri poſſit in communione primæva, qui alterum impedivit, quo minus rebus uti potuerit, prouti opus erat.

In communione primæva homini competit jus puniendi eum, qui ipſum quocunque modo impedivit, quo minus rebus uti potuerit, prout ipſi opus erat. Etenim homini cuilibet natura competit jus puniendi eum, qui ipſum læſit (§. 1061. *part. I. Jur. nat.*). Lædit vero alterum in communione primæva, qui quocunque modo impedit, quo minus rebus utatur, prouti ipſi opus fuerit (§. 48.). Ergo homini quoque in communione primæva competit jus puniendi eum, qui ipſum quocunque modo impedivit, quo minus rebus uti potuerit, prout ipſi opus erat.

Quoniam de jure puniendi homini natura competente prolixe jam egimus (§. 1061. & ſeqq. *part. I. Jur. nat*.); quæ ibidem in genere demonſtravimus, ad jus puniendi in caſu propoſitionis præſentis quoque applicanda ſunt. Ne jus hoc paradoxum videatur, pœnarum tantummodo ſpecies ad animum revocandæ (§. 1062. *part. I. Jur. nat.*). Pœna enim emendatrix repetitur ab eo, qui læſit, ut animum lædendi mutet; exemplaris vero, ut aliis metus incutiatur, quo a te aliisve lædendis deterreantur. Facile hinc intelligitur, pœnis provideri ſecuritati in futurum. Natura homini conceſſus eſt uſus rerum neceſſarius, prouti ipſi opus fuerit (§. 27.). Natura etiam ipſi competit ſecuritatis jus (§. 918. *part. I Jur. nat.*), vi cujus pati non tenetur, ut quis ipſum lædat (§. 917. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter ut ipſum impediat, quo minus rebus utatur, prouti ipſi opus fuerit. Quodſi igitur quis eum actu impedivit, nec is impedire conanti reſiſtere potuit, ut vim vi repelleret, nec uſu, quem intendebat, excideret; non modo metuendum ipſi eſt, ne,

ſi factum impune ferat, in poſterum denuo ab eodem lædatur, verum etiam ne exemplum ſequantur alii. Jus adeo ſecuritatis in futurum admodum vacillat. Ad hoc igitur firmandum pœnis & emendatricibus, & exemplaribus opus eſt. Natura igitur, quæ jus ſecuritatis tribuit, pœnis quoque emendatricibus & exemplaribus locum facit, ſine quibus iſtud in tuto collocari nequit.

§. 56.

Quos habeat limites.

Jus puniendi eum, qui alterum impedivit, quo minus rebus uti potuerit, prouti ipſi opus erat, infinitum eſt. Jus enim puniendi omne, quod homini natura competit, infinitum eſt (§. 1063. *part. I. Jur. nat.*). Ergo etiam jus puniendi eum, qui alterum impedivit, quo minus rebus uti potuerit, prouti ipſi opus erat, homini in communione primæva competens (§. 55.), infinitum eſt.

Quæ de interpretatione juris ſeſe defendendi in communione primæva diximus (*not.* §. 53.), de interpretatione quoque juris puniendi tenenda ſunt. Nulli in genere eidem præſcribi poſſunt limites; ſed tantundem licet, quantum ſecuritas in futurum exigit. Datur enim ſecuritatis in futurum gratia (*not.* §. 55.); adeoque menſuram recipit in caſu dato ex ſpe probabili ſecuritatis in futurum obtinendæ.

§. 57.

Bellum in communione primæva juſtum.

Si quis impedire conatur, quo minus rebus, prouti tibi opus fuerit, utaris, vel actu impedivit, quo minus uti potueris; in eum jus belli tibi competit in communione primæva. Etenim in communione primæva tibi competit jus te defendendi adverſus eum, qui quocunque modo te impedire conatur, ne rebus utaris, prout tibi opus fuerit (§. 52.), & jus puniendi eum, qui te actu impedivit, quo minus rebus uti potueris, prouti tibi opus erat (§. 55.). Enimvero qui ſe defendit

Digitized by Google

ſendit & pœnam ab eo, qui ipſum læſit, ſumit, bellum gerit (§. 1114. *part. I. Jur. nat.*). In communione igitur primæva in eum tibi competit jus belli, qui te impedire conatur, quo minus rebus, prouti tibi opus fuerit, utaris, vel actu impedivit, quo minus uti potueris.

Videmus adeo bellum in communione primæva evitari non poſſe, niſi permittendum ſit, ut pravorum licentia jus communionis, libertatis, æqualitatis, ſecuritatis continuo violetur. Ratio hæc fuiſſe videtur, quod ſtatum originarium ſibi imaginatus fuerit *Hobbeſius* inſtar belli continui omnium contra omnes, cujus finiendi gratia homines introduxerint dominia & imperia, adeoque jura ſibi conſtituerint, eaque de cauſa ex bello omnium contra omnes jus naturæ derivaverit. Animum nimirum non advertit ad jura connata, per quæ ſtatus originarius determinatur (§. 128. *part. I. Jur. nat.*); ſed eum finxit omnis juris expertem, in quo mera licentia regnat, bellorum non jure, ſed ipſo facto genetrix, quaſi bellum ſit vis, qua quis ab altero extorquere conatur, quod libet.

§. 58.

Bellum in communione primæva quodnam juſtum ſit.

Bellum in communione primæva juſtum eſt, quod geritur in eum, qui alterum vel impedivit, quo minus rebus uti potuerit, quemadmodum ipſi opus erat, vel impedire conatur, quo minus utatur. Etenim ſi quis te impedivit, quo minus rebus uti potueris, prouti tibi opus erat, cum uſus rerum neceſſarius in communione primæva tibi competat prouti tibi opus eſt (§. 27.), & idem jus perfectum ſit (§. 47.), evidens eſt eundem jus perfectum tuum violaſſe, adeoque injuriam feciſſe (§. 859. *part. I. Jur. nat.*). Eodem patet modo, ſi quis te impedire conatur, quo minus rebus utaris, prouti opus tibi fuerit, eum injuriam tibi facere velle. Belli adeo, quod geritur in illum, cauſa eſt injuria facta; quod adverſus hunc,

injuria facienda, conſequenter juſta §. 1109. *part. I. Jur. nat.*). Bellum juſtum eſt, quod juſtam habet cauſam (§. 1110. *part. I. Jur. nat.*). Juſtum igitur eſt bellum in communione primæva, quod geritur in eum, qui alterum vel impedivit, quo minus rebus uti potuerit, prout ipſi opus erat, vel impedire conatur, quo minus utatur.

Nos hic tantummodo loquimur de bello, quod nonniſi in communione primæva locum habet, non vero de bello omni, quod in ſtatu originario obtinet. De omni enim bello in genere, quod in ſtatu naturali locum habet, egimus in parte prima juris naturæ, ut ibi dicta valeant non minus in adventitio, quam in originario. Quemadmodum vero hic oſtenditur, quomodo applicatione principiorum generalium facta pateat, quodnam bellum juſtum ſit violato jure communionis; ita etiam eodem modo oſtendi poteſt, quænam bella ſint juſta violatis juribus aliis perfectis.

§. 59.

Bellum injuſtum in communione primæva. *Qui in communione primæva alterum ab uſu rei cujusdam actuali vi depellere conatur; bellum injuſtum gerit.* Etenim quod unicuique in communione primæva competit jus perfectum eſt (§. 47.), conſequenter qui alterum ab uſu rei actuali vi depellere conatur jus ejus perfectum violat, conſequenter injuriam ipſi facit (§. 859. *part. I. Jur. nat.*). Enimvero injuria omnis illicita eſt (§. 911. *part. I. Jur. nat.*), adeoque injuriæ inferendæ cauſa bellare non licet. Quoniam itaque injuſta belli cauſa eſt, ob quam bellare non licet (§. 1108. *part. I. Jur. nat.*); qui in communione primæva alterum ab uſu rei cujusdam actuali vi depellere conatur, juſtam belli cauſam non habet. Quamobrem cum injuſtum bellum ſit, cujus cauſa juſta non eſt (§. 1110. *part. I. Jur. nat.*); qui in communione primæva alterum ab uſu rei cujusdam

Digitized by Google

juſdam actuali vi depellere conatur, bellum injuſtum gerit.

In bello perſequimur jus noſtrum adverſus eum, qui idem nobis tribuere non vult (§. 1103. *part. I. Jur. nat.*), veluti in communione primæva uſum rerum neceſſarium actualem. In bello itaque, quod obtinet in communione primæva, duo de uſu rei ejusdem per vim certant. Bellum ex parte ejus juſtum eſt, qui uſum ſibi competentem vi vindicat; injuſtum ex parte alterius, qui eundem alteri vi eripere tentat, aut ubi eripuit, pœnæ, quæ licite exigitur, ſeſe ſubmittere non vult. Qui bellum injuſtum gerit, jus, quod ſibi fingit, vel arrogat, perſequitur; qui juſtum, quod ſibi revera competit.

§. 60.

Auxilium in bello communionis primævæ.

Si quis in communione primæva vim ejus vi repellere conatur, qui ipſum ab uſu rei actuali neceſſario depellere conatur, vel eum, qui hoc fecit, punire vult; qui poſſunt alii ad opem ipſi ferendam obligantur. Etenim qui in communione primæva alterum vi ab uſu rei cujusdam neceſſario actuali depellere conatur, vel actu hoc fecit, in eum, quod geritur, bellum juſtum eſt (§. 58.). Enimvero ad ferendam opem bellum juſtum gerenti, ſiquidem eadem opus habet, obligatur qui poteſt (§. 1116. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem ſi quis in communione primæva vim ejus vi repellere conatur, qui ipſum ab uſu rei actuali neceſſario depellere conatur, vel eum, qui hoc fecit, punire vult; qui poſſunt alii ad opem ipſi ferendam obligantur.

Videmus adeo, quomodo licite, immo debite implicentur alii bello, quod inter duos geritur: id quod probe notandum eſt. Per ſe autem patet, quomodo nullo quidem jure, ipſo tamen facto eidem implicentur alii ex parte ejus, qui bellum injuſtum gerit. Abſit autem ut hinc inferas, com-

munionem

munionem primævam perperam inter jura referri homini natura competentia, cum ex levi cauſa in eadem naſcantur bella, quibus multi implicari poſſunt, immo ſubinde debent, cumque belli jus infinitum ſit (§. 1107. *part. I. Jur. nat.*), leviſſima de cauſa damna multa dari poſſint multis. Neque enim hoc communioni primævæ per ſe convenit, ſed ex accidente eſt, ut tanta inde ſequantur mala, quemadmodum ex ſequentibus conſtabit.

§. 61.

Turbator communionis primævæ quinam ſit.

Communionis primævæ turbator dicitur, qui vi impedire conatur ſive per ſe, ſive per alios, quo minus quis rebus uti poſſit, prouti ipſi opus fuerit.

Nimirum per ſe communionem primævam turbat, qui ipſe vi utitur ad impediendum uſum rerum actualem, prouti huic vel iſti opus fuerit; turbat per alios, qui eos ad hoc inducit, inſtigat, vel alio quocunque modo concurrit, veluti conſilium dando, turbatorem adjuvando, & ita porro, quemadmodum alibi docuimus (§. 111. & ſeqq. *part. II. Phil. pract. univ.*).

§. 62.

Auxilium ferre belligeranti quando in communione primæva non liceat.

Quicquid in communione primæva in gratiam turbatoris fit, illicitum eſt ac injuſtum. Qui enim communionem primævam turbat, is impedire conatur ſive per ſe, ſive per alios, quo minus quis rebus uti poſſit, prout ipſi opus fuerit (§. 61.). Sed qui in communione primæva alterum ab uſu rei cujusdam actuali vi depellere conatur, bellum injuſtum gerit (§. 59.). Communionis adeo primævæ turbamentum bellum injuſtum eſt. Quoniam itaque illicitum & injuſtum eſt, quicquid alius quicunque in gratiam ejus facit, qui bellum injuſtum gerit (§. 1115. *part. I. Jur. nat.*); quicquid in communione primæva in gratiam turbatoris fit, illicitum eſt ac injuſtum.

Quando

Quando igitur quis ſe defendit adverſus turbatorem, vel eundem punit, nemo huic licite fert opem, neque enim alia de cauſa fieret, quam ut defenſor & punitor fine ſuo excideret, quem tamen licite proſequitur, ut adeo illicitum ſit eidem adverſari.

§. 63.

Quando licet turbatori belligeranti opem ferre.

Si quis in defenſione ſui adverſus turbatorem communionis primæva vel in eodem puniendo modum excedit; alii, qui poſſunt, eidem licite opem ferunt, immo ferre debent. Si enim in defenſione ſui modum excedit, turbatorem communionis primævæ adjuvandi jus habet unusquisque, immo ſi ipſe, qui fuerat turbator, adverſus exceſſum ſeſe defendere nequit, ad eum defendendum ſeu adjuvandum obligatur, quantum in poteſtate ſua poſitum (§. 1007. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem eidem licite opem fert, immo quantum poteſt ferre debet (§. 170 *part. I. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Similiter ſi quis in puniendo turbatore communionis primævæ modum excedit, eum lædit (§. 1067. *part. I. Jur. nat.*). Quare cum qui alterum lædit aggreſſor ſit (§. 979. *part. I. Jur. nat.*); punitor, quam primum modum puniendi excedit, fit aggreſſor. Quoniam itaque homini competit jus defendendi alterum, quantum poteſt, immo etiam obligatur ad defendendum alterum, quantum in poteſtate ſua poſitum, ſi ipſe ſibi defendendo non ſufficit (§. 990. *part. I. Jur. nat.*); ſi punitor in puniendo turbatore communionis primævæ modum excedit, alii qui poſſunt eidem licite opem ferunt, immo ferre debent. *Quod erat alterum.*

Videmus adeo, quomodo in communione primæva bella ex bellis naſcantur & bellum, quod erat ab initio duorum, fiat

fiat multorum commune: id quod probe notandum eſt, ut poſthac rectius intelligatur, cur a communione primæva fuerit recedendum. Qui propoſitionem præſentem perpendit, haud obſcure animadvertet, fieri quoque poſſe ut turbatori opem ferentes adverſus exceſſum defenſionis vel punitionis & ipſi modum excedant: quo facto aggreſſoris perſonam induunt, adeoque denuo jus dant aliis defenſori & punitori ſuccurrendi. Hoc modo progreſſus belli patet in infinitum, raro, immo raſſime jure terminandi, nonniſi caſu finiendi, eventu prorſus ancipiti, ut non ſemper finem, quem licite intenderat is, cui juſta belli cauſa initio fuerat, conſequatur, quin potius eodem excidat plurima inſuper damna perpeſſus. Ceterum qui ad animum revocat, quæ de bello in communione primæva dicta ſunt; is abunde intelliget, cur votum paupertatis cum voto obedientiæ conjunctum ſit a Patribus religioſorum. Etenim voto paupertatis renunciant omni proprietati & hoc jus cum jure communionis commutant. Voto autem obœdientiæ renunciant juri libertatis & id in ſuperiorem transferunt. Unde etiam quoad exercitium juris communionis ſeu uſum facti non dependent a propria, ſed a ſuperioris voluntate, ſicque evitatur omnis juris abuſus, evitantur omnia bella, quibus in communione primæva locus eſt. Communio adeo religioſorum etſi imitetur communionem primævam (*not.* §. 31.), non tamen eſt mater diſcordiarum & bellorum genitrix, quemadmodum communio primæva. Tolluntur enim diſcordiæ, tolluntur bella voto obedientiæ.

§. 64.

Jus communi-ne ad actus. *In communione primæva homini competit jus ad omnes actus, ſine quibus uſus rerum neceſſarius obtineri nequit.* Sine uſu rerum neceſſario, qui in communione primæva lege naturæ homini tribuitur (§. 14.), obligationi ſuæ naturali ſatisfacere nequit (§. 12.). Quamobrem nec eidem ſatisfacere

facere poteſt abſque iis actibus, ſine quibus uſus rerum neceſſarius obtineri nequit. Quoniam itaque jus naturæ dat nobis jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatis fieri nequit (§. 159. *part. I. Phil. pract. univ.*); jus etiam dat ad eos actus, ſine quibus uſus rerum neceſſarius obtineri nequit, conſequenter in communione primæva homini competit jus ad omnes actus, ſine quibus uſus rerum neceſſarius obtineri nequit.

Oſtenditur etiam indirecte hoc modo. Ponamus homini non competere jus ad omnes actus, ſine quibus uſus rerum neceſſarius obtineri nequit. Qui ergo hos actus impedit, nil facit contra jus alterius, conſequenter nec contra jus alterius quicquam facit, qui impedit, quo minus alter rebus utatur, prouti ipſi opus fuerit. Vi libertatis naturalis homo facere poteſt, quod libet, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 156. *part. I. Jur. nat.*). Ergo in communione primæva, quæ datur in ſtatu originario (§. 11.), in quo viget libertas naturalis (§. 155. *part. I. Jur. nat.*), quilibet impedire poteſt, quo minus alter utatur rebus, prouti opus ipſi fuerit, ubi libuerit. Quod abſurdum (§. 20.).

Indirecte brevius etiam oſtenditur hoc modo. Ponamus denuo homini in communione primæva nullum competere jus ad eos actus, ſine quibus uſus rerum neceſſarius obtineri nequit. Qui ergo hos actus impedit, nil facit contra jus alterius, conſequenter nec eum lædit (§. 920. 921. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem alterum non lædit, qui impedit quo minus rebus utatur, prouti opus fuerit: quod denuo abſurdum (§. 48.).

Propoſitio hæc probe notanda eſt: utemur enim ea in ſequentibus ad alia demonſtranda, neque ſuperflua aut nul-

lius momenti cenſeri debet. Ceterum nec in ſe propoſitio ſterilis ac nullius uſus exiſtimari debet: fluunt enim ex eodem per modum corollariorum multa jura particularia, quod ut appareat ſequens corollarium ſubnectere viſum eſt.

§. 65.

Jura particularia ad actus communia.

Quoniam *in communione primæva* homini competit jus ad omnes actus, ſine quibus rerum uſus obtineri nequit (§. 64.); per ſe patet, quod *ipſi competat jus venandi, piſcandi, aucupandi, poma decerpendi, ligna cadendi* & ita porro.

Non opus eſt, ut plura jura particularia ad actus recenſeamus: vi enim propoſitionis præcedentis dato quocunque actu ſtatim patet, num homini in communione primæva ad eundem jus conveniat.

§. 66.

Jus commorandi, habitandi & tranſitus.

In communione primæva homini commorari ac habitare ubivis terrarum licet, ubi libuerit & quamdiu libuerit, tranſire quoque per loca quacunque, prout ipſi opus viſumque fuerit. In communione enim primæva uſus rerum corporalium neceſſarius promiſcue patet omnibus (§. 19.). Quoniam res corporales ſunt, quæ ſenſu percipi poſſunt (§. 496. *part. I. Jur. nat.*), & in rerum numerum referenda ſunt, quæcunque homini uſui eſſe poſſunt (§. 495. *part. I. Jur. nat.*); terra quoque tota in rerum corporalium numero eſt, adeoque tota patet promiſcue omnium uſibus. Quamobrem ubivis terrarum homini cuicunque in communione primæva commorari ac habitare licet, ubi & quamdiu libuerit, & per quaſcunque terræ partes ſive loca tranſire, prout ipſi opus fuerit. *Quod erat primum.*

In

Digitized by Google

In communione primæva uniuscujusque judicio relinquendum, in quantum uſus rerum ſit neceſſarius, & quanta ſit indigentia ſua (§. 43.). Quamobrem cum tota terra pateat promiſcue omnium uſibus *per demonſtrata*; in quantum uſus quidam ejus ſit ipſi neceſſarius, conſequenter, cur hic potius, quam alibi commorari, aut habitare ipſi opus videatur, & quamdiu hoc ſibi videatur, & per quænam loca tranſire ipſi e re ſua videatur, immo cur tranſitu opus habeat, ipſius judicio relinquendum. *Quod erat alterum.*

Videmus imaginem hujus juris in brutis animantibus, veluti in feris & avibus, quarum illæ huc illuc circumvagantur, hæ circumvolitant, loca quærunt, in quibus ſomno indulgent & ab aëris injuriis tutæ ſunt, nidos etiam extruunt, ubi commodum fuerit. Ceterum quemadmodum in genere notandum eſt, jura hominis in communione probe eſſe excutienda, cum hinc definienda ſint jura, quæ obtinent dominiis & imperiis introductis; ita idem etiam de jure commorandi, habitandi & tranſitus tenenda ſunt, quod adeo quale fuerit in ſtatu originario, in quo vigebat rerum omnium communio (§. 11.), hic demonſtrandum fuit, ne deſint in ſequentibus demonſtrandi principia. Fons enim jurium in ſtatu adventitio ſunt jura in ſtatu originario. Abſit itaque, ut tibi perſuadeas, quia communio primæva non amplius ſubſiſtit, inutilem eſſe tantam ejus diſcuſſionem.

§. 67.

Si quis in communione primæva in iis locis, ad quæ accedit, videt ædes a nemine inhabitatas, aut quæ plures habitatores recipere poſſunt: in iis habitandi jus habet, quamdiu ipſi opus viſumque fuerit. Etenim in communione primæva etiam res artificiales, adeoque etiam ædes (§. 505. *part. I. Jur. nat.*)

Ædium ubicunque extructarum uſus in communione primæva.

ſi factum impune ferat, in poſterum denuo ab eodem lædatur, verum etiam ne exemplum ſequantur alii. Jus adeo ſecuritatis in futurum admodum vacillat. Ad hoc igitur firmandum pœnis & emendatricibus, & exemplaribus opus eſt. Natura igitur, quæ jus ſecuritatis tribuit, pœnis quoque emendatricibus & exemplaribus locum facit, ſine quibus iſtud in tuto collocari nequit.

§. 56.

Quos habeat limites.

Jus puniendi eum, qui alterum impedivit, quo minus rebus uti potuerit, prouti ipſi opus erat, infinitum eſt. Jus enim puniendi omne, quod homini natura competit, infinitum eſt (§. 1063. *part. I. Jur. nat.*). Ergo etiam jus puniendi eum, qui alterum impedivit, quo minus rebus uti potuerit, prouti ipſi opus erat, homini in communione primæva competens (§. 55.), infinitum eſt.

Quæ de interpretatione juris ſeſe defendendi in communione primæva diximus (*not.* §. 53.), de interpretatione quoque juris puniendi tenenda ſunt. Nulli in genere eidem præſcribi poſſunt limites; ſed tantundem licet, quantum ſecuritas in futurum exigit. Datur enim ſecuritatis in futurum gratia (*not.* §. 55.); adeoque menſuram recipit in caſu dato ex ſpe probabili ſecuritatis in futurum obtinendæ.

§. 57.

Bellum in communione primæva juſtum.

Si quis impedire conatur, quo minus rebus, prouti tibi opus fuerit, utaris, vel actu impedivit, quo minus uti potueris; in eum jus belli tibi competit in communione primæva. Etenim in communione primæva tibi competit jus te defendendi adverſus eum, qui quocunque modo te impedire conatur, ne rebus utaris, prout tibi opus fuerit (§. 52.), & jus puniendi eum, qui te actu impedivit, quo minus rebus uti potueris, prouti tibi opus erat (§. 55.). Enimvero qui ſe defendit

ſendit & pœnam ab eo, qui ipſum læſit, ſumit, bellum gerit (§. 1114. *part. I. Jur. nat.*). In communione igitur primæva in eum tibi competit jus belli, qui te impedire conatur, quo minus rebus, prouti tibi opus fuerit, utaris, vel actu impedivit, quo minus uti potueris.

Videmus adeo bellum in communione primæva evitari non poſſe, niſi permittendum ſit, ut pravorum licentia jus communionis, libertatis, æqualitatis, ſecuritatis continuo violetur. Ratio hæc fuiſſe videtur, quod ſtatum originarium ſibi imaginatus fuerit *Hobbeſius* inſtar belli continui omnium contra omnes, cujus finiendi gratia homines introduxerint dominia & imperia, adeoque jura ſibi conſtituerint, eaque de cauſa ex bello omnium contra omnes jus naturæ derivaverit. Animum nimirum non advertit ad jura connata, per quæ ſtatus originarius determinatur (§. 128. *part. I. Jur. nat.*); ſed eum finxit omnis juris expertem, in quo mera licentia regnat, bellorum non jure, ſed ipſo facto genetrix, quaſi bellum ſit vis, qua quis ab altero extorquere conatur, quod libet.

§. 58.

Bellum in communione primæva juſtum eſt, quod geritur in eum, qui alterum vel impedivit, quo minus rebus uti potuerit, quemadmodum ipſi opus erat, vel impedire conatur, quo minus utatur. Etenim ſi quis te impedivit, quo minus rebus uti potueris, prouti tibi opus erat, cum uſus rerum neceſſarius in communione primæva tibi competat prouti tibi opus eſt (§. 27.), & idem jus perfectum ſit (§. 47.), evidens eſt eundem jus perfectum tuum violaſſe, adeoque injuriam feciſſe (§. 859. *part. I. Jur. nat.*). Eodem patet modo, ſi quis te impedire conatur, quo minus rebus utaris, prouti opus tibi fuerit, eum injuriam tibi facere velle. Belli adeo, quod geritur in illum, cauſa eſt injuria facta; quod adverſus hunc,

Bellum in primæva communione quodnam juſtum ſit.

injuria facienda, conſequenter juſta §. 1109. *part. I. Jur. nat.*). Bellum juſtum eſt, quod juſtam habet cauſam (§. 1110. *part. I. Jur. nat.*). Juſtum igitur eſt bellum in communione primæva, quod geritur in eum, qui alterum vel impedivit, quo minus rebus uti potuerit, prout ipſi opus erat, vel impedire conatur, quo minus utatur.

Nos hic tantummodo loquimur de bello, quod nonniſi in communione primæva locum habet, non vero de bello omni, quod in ſtatu originario obtinet. De omni enim bello in genere, quod in ſtatu naturali locum habet, egimus in parte prima juris naturæ, ut ibi dicta valeant non minus in adventitio, quam in originario. Quemadmodum vero hic oſtenditur, quomodo applicatione principiorum generalium facta pateat, quodnam bellum juſtum ſit violato jure communionis; ita etiam eodem modo oſtendi poteſt, quænam bella ſint juſta violatis juribus aliis perfectis.

§. 59.

Bellum injuſtum in communione primæva.

Qui in communione primæva alterum ab uſu rei cujusdam actuali vi depellere conatur; bellum injuſtum gerit. Etenim quod unicuique in communione primæva competit jus perfectum eſt (§. 47.), conſequenter qui alterum ab uſu rei actuali vi depellere conatur jus ejus perfectum violat, conſequenter injuriam ipſi facit (§. 859. *part. I. Jur. nat.*). Enimvero injuria omnis illicita eſt (§. 911. *part. I. Jur. nat.*), adeoque injuriæ inferendæ cauſa bellare non licet. Quoniam itaque injuſta belli cauſa eſt, ob quam bellare non licet (§. 1108. *part. I. Jur. nat.*); qui in communione primæva alterum ab uſu rei cujusdam actuali vi depellere conatur, juſtam belli cauſam non habet. Quamobrem cum injuſtum bellum ſit, cujus cauſa juſta non eſt (§. 1110. *part. I. Jur. nat.*); qui in communione primæva alterum ab uſu rei cujusdam

Digitized by Google

juſdam actuali vi depellere conatur, bellum injuſtum gerit.

In bello perſequimur jus noſtrum adverſus eum, qui idem nobis tribuere non vult (§. 1103. *part. I. Jur. nat.*), veluti in communione primæva uſum rerum neceſſarium actualem. In bello itaque, quod obtinet in communione primæva, duo de uſu rei ejusdem per vim certant. Bellum ex parte ejus juſtum eſt, qui uſum ſibi competentem vi vindicat; injuſtum ex parte alterius, qui eundem alteri vi eripere tentat, aut ubi eripuit, pœnæ, quæ licite exigitur, ſeſe ſubmittere non vult. Qui bellum injuſtum gerit, jus, quod ſibi fingit, vel arrogat, perſequitur; qui juſtum, quod ſibi revera competit.

§. 60.

Auxilium in bello communionis primævæ.

Si quis in communione primæva vim ejus vi repellere conatur, qui ipſum ab uſu rei actuali neceſſario depellere conatur, vel eum, qui hoc fecit, punire vult; qui poſſunt alii ad opem ipſi ferendam obligantur. Etenim qui in communione primæva alterum vi ab uſu rei cujusdam neceſſario actuali depellere conatur, vel actu hoc fecit, in eum, quod geritur, bellum juſtum eſt (§. 58.). Enimvero ad ferendam opem bellum juſtum gerenti, ſiquidem eadem opus habet, obligatur qui poteſt (§. 1116. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem ſi quis in communione primæva vim ejus vi repellere conatur, qui ipſum ab uſu rei actuali neceſſario depellere conatur, vel eum, qui hoc fecit, punire vult; qui poſſunt alii ad opem ipſi ferendam obligantur.

Videmus adeo, quomodo licite, immo debite implicentur alii bello, quod inter duos geritur: id quod probe notandum eſt. Per ſe autem patet, quomodo nullo quidem jure, ipſo tamen facto eidem implicentur alii ex parte ejus, qui bellum injuſtum gerit. Abſit autem ut hinc inferas, communionem

munionem primævam perperam inter jura referri homini natura competentia, cum ex levi cauſa in eadem naſcantur bella, quibus multi implicari poſſunt, immo ſubinde debent, cumque belli jus infinitum ſit (§. 1107. *part. I. Jur. nat.*), leviſſima de cauſa damna multa dari poſſint multis. Neque enim hoc communioni primævæ per ſe convenit, ſed ex accidente eſt, ut tanta inde ſequantur mala, quemadmodum ex ſequentibus conſtabit.

§. 61.

Turbator communionis primævæ quinam ſit.

Communionis primævæ turbator dicitur, qui vi impedire conatur ſive per ſe, ſive per alios, quo minus quis rebus uti poſſit, prouti ipſi opus fuerit.

Nimirum per ſe communionem primævam turbat, qui ipſe vi utitur ad impediendum uſum rerum actualem, prouti huic vel iſti opus fuerit; turbat per alios, qui eos ad hoc inducit, inſtigat, vel alio quocunque modo concurrit, veluti conſilium dando, turbatorem adjuvando, & ita porro, quemadmodum alibi docuimus (§. 111. & ſeqq. *part. II. Phil. pract. univ.*).

§. 62.

Auxilium ferre belligeranti quando in communione primæva non liceat.

Quicquid in communione primæva in gratiam turbatoris fit, illicitum eſt ac injuſtum. Qui enim communionem primævam turbat, is impedire conatur ſive per ſe, ſive per alios, quo minus quis rebus uti poſſit, prout ipſi opus fuerit (§. 61.). Sed qui in communione primæva alterum ab uſu rei cujusdam actuali vi depellere conatur, bellum injuſtum gerit (§. 59.). Communionis adeo primævæ turbamentum bellum injuſtum eſt. Quoniam itaque illicitum & injuſtum eſt, quicquid alius quicunque in gratiam ejus facit, qui bellum injuſtum gerit (§. 1115. *part. I. Jur. nat.*); quicquid in communione primæva in gratiam turbatoris fit, illicitum eſt ac injuſtum.

Quando

Digitized by Google

Quando igitur quis ſe defendit adverſus turbatorem, vel eundem punit, nemo huic licite fert opem, neque enim alia de cauſa fieret, quam ut defenſor & punitor fine ſuo excideret, quem tamen licite proſequitur, ut adeo illicitum ſit eidem adverſari.

§. 63.

Quando licet turbatori belligeranti opem ferre.

Si quis in defenſione ſui adverſus turbatorem communionis primævæ vel in eodem puniendo modum excedit; alii, qui poſſunt, eidem licite opem ferunt, immo ferre debent. Si enim in defenſione ſui modum excedit, turbatorem communionis primævæ adjuvandi jus habet unusquisque, immo ſi ipſe, qui fuerat turbator, adverſus exceſſum ſeſe defendere nequit, ad eum defendendum ſeu adjuvandum obligatur, quantum in poteſtate ſua poſitum (§. 1007. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem eidem licite opem fert, immo quantum poteſt ferre debet (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Similiter ſi quis in puniendo turbatore communionis primævæ modum excedit, eum lædit (§. 1067. *part. I. Jur. nat.*). Quare cum qui alterum lædit aggreſſor ſit (§. 979. *part. I. Jur. nat.*); punitor, quam primum modum puniendi excedit, ſit aggreſſor. Quoniam itaque homini competit jus defendendi alterum, quantum poteſt, immo etiam obligatur ad defendendum alterum, quantum in poteſtate ſua poſitum, ſi ipſe ſibi defendendo non ſufficit (§. 990. *part. I. Jur. nat.*); ſi punitor in puniendo turbatore communionis primævæ modum excedit, alii qui poſſunt eidem licite opem ferunt, immo ferre debent. *Quod erat alterum.*

Videmus adeo, quomodo in communione primæva bella ex bellis naſcantur & bellum, quod erat ab initio duorum,

fiat multorum commune: id quod probe notandum eſt, ut poſthac rectius intelligatur, cur a communione primæva fuerit recedendum. Qui propoſitionem præſentem perpendit, haud obſcure animadvertet, fieri quoque poſſe ut turbatori opem ferentes adverſus exceſſum defenſionis vel punitionis & ipſi modum excedant: quo facto aggreſſoris perſonam induunt, adeoque denuo jus dant aliis defenſori & punitori ſuccurrendi. Hoc modo progreſſus belli patet in infinitum, raro, immo rariſſime jure terminandi, nonniſi caſu finiendi, eventu prorſus ancipiti, ut non ſemper finem, quem licite intenderat is, cui juſta belli cauſa initio fuerat, conſequatur, quin potius eodem excidat plurima inſuper damna perpeſſus. Ceterum qui ad animum revocat, quæ de bello in communione primæva dicta ſunt; is abunde intelliget, cur votum paupertatis cum voto obedientiæ conjunctum ſit a Patribus religioſorum. Etenim voto paupertatis renunciant omni proprietati & hoc jus cum jure communionis commutant. Voto autem obœdientiæ renunciant juri libertatis & id in ſuperiorem transferunt. Unde etiam quoad exercitium juris communionis ſeu uſum facti non dependent a propria, ſed a ſuperioris voluntate, ſicque evitatur omnis juris abuſus, evitantur omnia bella, quibus in communione primæva locus eſt. Communio adeo religioſorum etſi imitetur communionem primævam (*not.* §. 31.), non tamen eſt mater diſcordiarum & bellorum genitrix, quemadmodum communio primæva. Tolluntur enim diſcordiæ, tolluntur bella voto obedientiæ.

§. 64.

Jus communione ad actus. *In communione primæva homini competit jus ad omnes actus, ſine quibus uſus rerum neceſſarius obtineri nequit.* Sine uſu rerum neceſſario, qui in communione primæva lege naturæ homini tribuitur (§. 14.), obligationi ſuæ naturali ſatisfacere nequit (§. 12.). Quamobrem nec eidem ſatisfacere

facere poteſt absque iis actibus,ſine quibus uſus rerum neceſſarius obtineri nequit. Quoniam itaque jus naturæ dat nobis jus ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatis fieri nequit (§. 159.*part.I.Phil.pract.univ.*); jus etiam dat ad eos actus,ſine quibus uſus rerum neceſſarius obtineri nequit, conſequenter in communione primæva homini competit jus ad omnes actus, ſine quibus uſus rerum neceſſarius obtineri nequit.

Oſtenditur etiam indirecte hoc modo. Ponamus homini non competere jus ad omnes actus, ſine quibus uſus rerum neceſſarius obtineri nequit. Qui ergo hos actus impedit, nil facit contra jus alterius, conſequenter nec contra jus alterius quicquam facit, qui impedit, quo minus alter rebus utatur, prouti ipſi opus fuerit. Vi libertatis naturalis homo facere poteſt, quod libet, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 156. *part. I. Jur. nat.*). Ergo in communione primæva, quæ datur in ſtatu originario (§. 11.), in quo viget libertas naturalis (§. 155. *part. I. Jur. nat.*), quilibet impedire poteſt, quo minus alter utatur rebus, prouti opus ipſi fuerit, ubi libuerit. Quod abſurdum (§. 20.).

Indirecte brevius etiam oſtenditur hoc modo. Ponamus denuo homini in communione primæva nullum competere jus ad eos actus, ſine quibus uſus rerum neceſſarius obtineri nequit. Qui ergo hos actus impedit, nil facit contra jus alterius, conſequenter nec eum lædit (§. 920. 921 *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem alterum non lædit, qui impedit quo minus rebus utatur, prouti opus fuerit: quod denuo abſurdum (§. 48.).

Propoſitio hæc probe notanda eſt: utemur enim ea in ſequentibus ad alia demonſtranda, neque ſuperflua aut nul-

Digitized by Google

lius momenti cenſeri debet. Ceterum nec in ſe propoſitio ſterilis ac nullius uſus exiſtimari debet: fluunt enim ex eodem per modum corollariorum multa jura particularia, quod ut appareat ſequens corollarium ſubnectere viſum eſt.

§. 65.

Jura particularia ad actus communia. Quoniam *in communione primæva* homini competit jus ad omnes actus, ſine quibus rerum uſus obtineri nequit (§. 64.); per ſe patet, quod *ipſi competat jus venandi, piſcandi, aucupandi, poma decerpendi, ligna cadendi* & ita porro.

Non opus eſt, ut plura jura particularia ad actus recenſeamus: vi enim propoſitionis præcedentis dato quocunque actu ſtatim patet, num homini in communione primæva ad eundem jus conveniat.

§. 66.

Jus commorandi, habitandi & tranſitus. *In communione primæva homini commorari ac habitare ubivis terrarum licet, ubi libuerit & quamdiu libuerit, tranſire quoque per loca quacunque, prout ipſi opus viſumque fuerit.* In communione enim primæva uſus rerum corporalium neceſſarius promiſcue patet omnibus (§. 19.). Quoniam res corporales ſunt, quæ ſenſu percipi poſſunt (§. 496. *part. I. Jur. nat.*), & in rerum numerum referenda ſunt, quæcunque homini uſui eſſe poſſunt (§. 495. *part. I. Jur. nat.*); terra quoque tota in rerum corporalium numero eſt, adeoque tota patet promiſcue omnium uſibus. Quamobrem ubivis terrarum homini cuicunque in communione primæva commorari ac habitare licet, ubi & quamdiu libuerit, & per quaſcunque terræ partes ſive loca tranſire, prout ipſi opus fuerit. *Quod erat primum.*

In

In communione primæva uniuscujusque judicio relinquendum, in quantum uſus rerum ſit neceſſarius, & quanta ſit indigentia ſua (§. 43.). Quamobrem cum tota terra pateat promiſcue omnium uſibus *per demonſtrata*; in quantum uſus quidam ejus ſit ipſi neceſſarius, conſequenter, cur hic potius, quam alibi commorari, aut habitare ipſi opus videatur, & quamdiu hoc ſibi videatur, & per quænam loca tranſire ipſi e re ſua videatur, immo cur tranſitu opus habeat, ipſius judicio relinquendum. *Quod erat alterum.*

Videmus imaginem hujus juris in brutis animantibus, veluti in feris & avibus, quarum illæ huc illuc circumvagantur, hæ circumvolitant, loca quærunt, in quibus ſomno indulgent & ab aëris injuriis tutæ ſunt, nidos etiam extruunt, ubi commodum fuerit. Ceterum quemadmodum in genere notandum eſt, jura hominis in communione probe eſſe excutienda, cum hinc definienda ſint jura, quæ obtinent dominiis & imperiis introductis; ita idem etiam de jure commorandi, habitandi & tranſitus tenenda ſunt, quod adeo quale fuerit in ſtatu originario, in quo vigebat rerum omnium communio (§. 11.), hic demonſtrandum fuit, ne deſint in ſequentibus demonſtrandi principia. Fons enim jurium in ſtatu adventitio ſunt jura in ſtatu originario. Abſit itaque, ut tibi perſuadeas, quia communio primæva non amplius ſubſiſtit, inutilem eſſe tantam ejus diſcuſſionem.

§. 67.

Si quis in communione primæva in iis locis, ad quæ accedit, videt ædes a nemine inhabitatas, aut quæ plures habitatores recipere poſſunt: in iis habitandi jus habet, quamdiu ipſi opus fuerit. Etenim in communione primæva etiam res artificiales, adeoque etiam ædes (§. 505. *part. I. Jur. nat.*)

Ædium ubicunque extructarum uſus in communione primæva.

ſunt communes (§. 29.); toti nempe generi humano (§. 9.), eorumque uſus non magis patet iis, qui eas extruxerunt, quam alii cuicunque (§. 32.): eodem tamen tempore, quo alius easdem inhabitat, nemo alius licite prætendere poteſt, ut eas ſibi inhabitandas cedat (§. 35.). Quamobrem patet, ſi quis in iis locis, ad quæ accedit, videt ædes a nemine inhabitatas, quod eas licite inhabitare poſſit. *Quod erat primum.*

Porro ſi in communione primæva uſum rei, quem actu facis, adhuc alii participare poſſunt; quo minus volentes participent, impedire non debes, ſed participatio promiſcue omnibus volentibus concedenda (§. 40.). Quamobrem ſi ædes plures habitatores recipere poſſunt, in iis habitandi jus habet in communione primæva, quicunque ad ea loca, in quibus extructa ſunt, accedit. *Quod erat ſecundum.*

Denique in communione primæva uniuscujusque judicio relinquendum, in quantum uſus rerum ſit neceſſarius & quanta ſit indigentia ſua (§. 43.). Quamobrem ubi ad alia loca accedens ædes, quas vacuas videt, inhabitat; eas inhabitare poteſt, quamdiu viſum fuerit. *Quod erat tertium.*

§. 68.

Simplicitas vitæ in quo conſiſtat.

Vita ſimplex dicitur, in qua homines rebus pure naturalibus maxima ſaltem parte contenti non appetunt cibum ac potum, niſi quatenus ad famem explendam & ſitim reſtinguendam ſufficit, nec veſte utuntur, niſi quæ contra injurias tempeſtatum eos defendit, aut in climate mitiori nudi incedunt, nec niſi in caſis humilibus ac tuguriolis quieſcunt.

Simplicitatem vitæ in Scythis deſcribit *Juſtinus* lib. 2. c. 2. Hominibus, inquit, inter ſe nulli fines, neque enim agrum

grum exercent: nec domus illis ulla, aut tectum, aut ſedes eſt, armenta & pecora ſemper paſcentibus, & per incultas ſolitudines errare ſolitis. Uxores liberosque ſecum in plauſtris vehunt, quibus coriis imbrium hiemisque cauſa tectis pro domibus utuntur. - - Aurum & argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt. Lacte & melle veſcuntur. Lanæ iis uſus ac veſtium ignotus; quanquam continuis frigoribus uruntur: pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur. Geminam vitæ ſimplicitatem hodienum obſervare licet in Hottentottis Africæ progenie, nec deſunt exempla gemina in extrema ſeptentrione. Iſtiusmodi quoque vitæ ſimplicitatem olim ſectati ſunt Indorum ſapientes, cujus exemplum memoratu dignum recenſet *Arrianus* lib. 7. Cum enim *Alexander M.* aliquem eorum ſibi adjungi optaret, incredibilem in eis laborum tolerantiam admiratus; inter eos natu maximus, *Dandamis*, reſpondit, neque ſe ad *Alexandrum* venturum, neque aliis ut irent permiſſurum. Se enim etiam Jovis eſſe filium, perinde atque *Alexander*, neque ulla re ab *Alexandro* egere: iis enim, quæ haberet contentum eſſe. - - Nihil ſe expetere eorum, quæ *Alexander* largiri poſſet; ſed nec timere quidem, ne iis, quæ poſſideret, prohiberetur. Quamdiu enim viveret, Indorum regionem tempeſtivos ſtatis anni partibus fructus ferentem ipſi ſufficere. Notandum vero, Indorum ſapientes inceſſiſſe nudos, adeoque nullam ipſis veſtium curam fuiſſe.

§. 69.

In ſimplicitate vitæ homines paucis indigent. Quoniam enim cibum ac potum non appetunt, niſi qui fami explendæ ac ſiti reſtinguendæ ſufficit (§. 68.), huic autem aqua, illi quæ ſponte naſcuntur abunde ſufficiunt; ad alendum corpus paucis admodum opus habent homines in ſimplicitate vitæ. Jam vero qui in ea perſiſtunt, aut nudi incedunt,

Quanta ſit indigentia in vita ſimplici.

dunt, aut corpus non veſtiunt, niſi quantum ad idem contra tempeſtatis injurias tegendum ſufficit (§. *cit.*), veluti pellibus ferinis (*not.* §. 68.); veſtitus adeo gratia paucis opus habent. Denique in caſis humilibus ac taguriolis quieſcunt (§. 68.), aut Scytharum more in plauſtris corio tectis. Habitationis adeo cauſa paucis opus habent. Cum ad vitam tolerandam præter cibum ac potum, veſtem, qua corpus in climate immitiori adverſus injurias tempeſtatis defenditur, & locum, in quo quieti ac ſomno indulgetur, nulla re alia ſit opus; qui in ſimplicitate vitæ perſiſtunt, paucis admodum indigent.

Hinc intelligitur, quid ſibi velit illud pervulgatum: Natura paucis contenta. Reſpicit nimirum vitæ ſimplicitatem, qualis fuit Scytharum & priſcorum ſapientum in India (*not.* §. 68.). Quantum vero ab hac ſimplicitate abeat noſtra vivendi ratio, cuilibet per ſe patet, qui utramque inter ſe conferre voluerit. Simplex iſta vita propius accedit ad vitam animantium brutorum, ut adeo in iis imaginem ejusdem conſpicere detur. Veſcuntur ea ſponte naſcentibus, nec cibum appetunt, niſi quantum ad famem explendam ſufficit. Sitim aqua reſtinguunt. Veſte nulla opus habent, cum natura corpora ſatis munivérit adverſus injurias tempeſtatum, loca, ubi tuta quieſcunt, facile ubivis reperiunt, ut adeo nullis opus habeant ædibus. Et ſi natura talia non offert, ipſamet ſibi arte ac induſtria ea parant, quæ uſus exigit neceſſarius. Ita videmus aves ſibi conſtruere nidos, quibus ad fœtus excludendos & educandos opus habent. Ratio adeo vivendi brutorum cum ſimplicitate vitæ hominum convenit. Quemadmodum itaque hæc paucis indigent; ita etiam homines in ſimplicitate vitæ non multis habent opus.

§. 70.

Si homines in ſimplicitate vitæ perſiſtunt; ob communionem primævam non multum metuenda ſunt bella. Etenim in ſimplicitate vitæ homines contenti ſunt cibo ac potu, qui ad famem explendam & ſitim reſtinguendam ſufficit, veſte utuntur aut nulla, aut ea, quæ corpus contra injurias tempeſtatis defendit, nec niſi in caſa humili facile paranda quieſcunt contenti rebus pure naturalibus, maxima ſaltem ex parte (§. 68.). Cum adeo non modo perpauca ſint, quibus indigent homines, quamdiu in communione primæva perſiſtunt, verum etiam ea ubivis abundanter offerat natura absque illorum induſtria atque arte; raro contingere poteſt, ut quis alterum impediat vel impedire conetur, quo minus rebus utatur communibus, prouti ipſi opus fuerit. Quoniam igitur in communione primæva, quæ præter uſum rerum corporalium neceſſarium jus in eas aliud non novit (§. 21.), neque juſtum, neque injuſtum datur bellum, niſi ubi quis alterum ab uſu rei communis actuali vi depellere conatur (§. 58. 59.); quamdiu homines in ſimplicitate vitæ perſiſtunt, ob communionem primævam non multum metuenda ſunt bella.

Simplicitas vitæ a communione primæva arcet bella.

Quoniam in ſimplicitate vitæ paucis admodum indiget homo (§. 69.); non eſt cur ejus rei uſum in ſingulari prætendat, qua actu utitur alter, aut ut vi ei eandem eripiat. Neque enim deficit altera, qua ipſe uti poteſt. Unde nulla ratio eſt, quæ bellum ſuadeat injuſtum (§. 59.), nec belli juſti cauſa ponitur (§. 58.). Communio adeo primæva, quamdiu in ſimplicitate vitæ perſiſtitur, rarius parit bella. Quodſi hic prolixioribus eſſe liceret; idem multo adhuc evidentius oſtendi poterat, ubi expenſum ante fuiſſet, quænam vitiorum ignoratio cum ſimplicitate iſta ſit conjuncta, &

Digitized by Google

quarumnam virtutum exercitium ſit in ea facile; ſed nec noſtrum eſt in tantas ambages jam deſcendere, nec eas præſentis inſtituti ratio apprime exigit. Ne tamen quis dubitet utrumque eſſe verum, quod hic ſumitur; ad animum tantummodo revocet, quæ de Scythis refert *Juſtinus* lib. 2. c. 2.

§. 71.

An res pure naturales vitæ ſimplicitati ſufficiant.

Si genus humanum multiplicatur, res pure naturales ſimplicitati vitæ non ſufficiunt. Etenim noſtro, quo vivimus, tempore in Europa genus humanum multiplicatum eſt. Ecquis vero noſtrûm eſt, qui neſciat, etiamſi agri ubivis exerceantur & horti colantur, ſi ſterilitates contingant, ea, quæ terra profert, non ſufficere hominibus? Quodſi adeo ponamus, per univerſam Europam nullos exerceri agros, nec hortos coli, ut ſponte naſcentibus tantummodo veſcendum ſit; nemo non fatebitur, hæc tantæ hominum multitudini, quæ nunc eſt, non ſuffectura. Quamobrem cum, quas terra ſua ſponte edit, res purę naturales ſint (§. 503. *part. I. Jur. nat.*); ſi genus humanum multiplicatur, res pure naturales non ſufficiunt victui & amictui eorundem, conſequenter nec ſimplicitati vitæ.

Nemo a nobis exigat, ut calculo definiamus, quænam ad ſimplicitaem vitæ homini uni neceſſaria ſint, & quantus ſit ſponte naſcentium proventus in regione quandam inculta, ut inde probabiliter colligatur, quanta foret ſponte naſcentium copia apud nos, agricultura & horticultura, immo omni œconomia rurali neglecta: ut hinc porro determinetur, quanto hominum numero apud nos ſponte naſcentia ſufficerent: ut denique oſtendatur hominum nunc viventium numerum hunc longe ſuperare. Quamvis enim iſtiusmodi probatio magis convenire videatur ſcientiæ philoſophicæ, magis etiam ſatisfacere nonniſi evidentibus aſ-

ſentiri

ſentiri ſolitis; ea tamen nec facilis eſt, nec hic loci neceſſaria, ubi ſumere licet, quæ levi attentione ad ea, quæ ipſimet experti ſumus, & adhuc experimur, cognoſcuntur. Ipſe ſane *Euclides* notiones communes ſumit domeſtica uniuscujusque experientia confirmandas, ut ex iis tanquam principiis demonſtret, quæ ad Geometriam & Arithmeticam pertinent. Quidni etiam nos in Jure naturæ demonſtrando ſumamus, quæ domeſtica experientia nobis offert, ſi ad eam animum attendere velimus? Probationem ſcrupuloſam oſtentationi ingenii magis inſervituram, quam aſſenſui extorquendo neceſſariam eſſe, haud obſcure intelligitur.

§. 72.

Multiplicato genere humano vitæ ſimplicitas exigit res induſtriales. Multiplicato enim genere humano res pure natu- *Quando-*
rales ſimplicitati vitæ non ſufficiunt (§. 71.), adeoque ter- *nam ea exi-*
ra tantam earum copiam non producit ſua ſponte, quanta *gat res indu-*
omnibus ſufficit (§. 503. *part. I. Jur. nat.*). Neceſſe igitur *ſtriales.*
eſt, ut opera ſua rerum neceſſariarum proventum multiplicare ſtudeant homines. Quoniam res induſtriales ſunt, quas natura nonniſi interveniente opera humana producit (§. 504. *part. I. Jur. nat.*); evidens omnino eſt, multiplicato genere humano vitæ ſimplicitatem exigere res induſtriales.

Immo non alia de cauſa homines de agris exercendis & hortis in uſum œconomicum colendis, de re item pecuaria facienda cogitare cœperunt, quam quod ſponte naſcentia ſimplicitati etiam vitæ non amplius ſufficere animadverterent, genere humano multiplicato. Immo videas Scythas, etſi per incultas ſolitudines errare ſolitos in ſumma vitæ ſimplicitate rei tamen pecuariæ operam dediſſe (*not.* §. 68.), manifeſto indicio, ſponte naſcentia ipſis non ſuffeciſſe, quamvis adeo non multiplicatus eſſet eorum numerus, quemadmodum hodie in noſtris oris humanum genus multiplicatum vide-

 mus,

Digitized by Google

mus, quippe ubi nullæ ſunt ſolitudines incultæ, quæ incolis deſtituuntur.

§. 73.

An vitæ ſimplicitas ſufficiat ad commoditatem & jucunditatem vitæ.

In ſimplicitate vitæ neceſſitati vitæ tantummodo proſpicitur, nulla propemodum eſt cogitatio de ejus commoditate ac jucunditate. Etenim in ſimplicitate vitæ homines non appetunt cibum ac potum, niſi quatenus ad famem explendam & ſitim reſtinguendam ſufficit, nec utuntur veſte, niſi quæ contra injurias tempeſtatis eos defendit, aut in climatibus mitioribus prorſus nudi incedunt, nec niſi in caſis humilibus ac tuguriolis quieſcunt (§. 68.), conſequenter eos unice tangit corporis ſui conſervandi cura. Patet igitur, quod in ſimplicitate vitæ tantummodo vitæ neceſſitati proſpiciatur. *Quod erat unum.*

Porro quoniam in vitæ ſimplicitate rebus pure naturalibus maxima ſaltem ex parte contenti ſunt homines (§. 68.), ac vitæ tantummodo neceſſitati proſpiciunt *per demonſtrata*, experientia autem docemur, naturam ſua ſponte non offerre ea, quæ ab actionibus noſtris omnem moleſtiam removent, & ex quibus veram, aut ſaltem innocuam percipere licet voluptatem, præterea caſæ humiles & tuguriola non comparanda veniunt cum ædibus commode ac pulchre extructis, quales ignorat vitæ ſimplicitas (§. 68.); in vitæ ſimplicitate homines parum tangit cura omnem ab actionibus ſuis moleſtiam removendi & voluptate, qua frui licite poterant, fruendi. In ea igitur nulla propemodum eſt de vitæ commoditate ac jucunditate cogitatio (§. 465. 470. *part. I. Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Quæ ad vitæ commoditatem & jucunditatem faciunt, non eſſe negligenda, non modo alias demonſtravimus (§. 466. 471.

471.*part. I. Jur. nat.*); verum etiam natura indicat, quid homini conveniat, dum non modo neceſſitati, ſed & commoditati brutorum animantium proſpexit. Conſuluit neceſſitati, quatenus ſufficiente copia offert unicuique bruto propria alimenta, ſine quibus conſervari non poterant. Conſuluit commoditati ipſa organorum ſtructura, quæ talis præciſe deprehenditur, qualis ad eorundem uſum in capiendo cibo ac potu aliisque eo aut alio fine edendis actionibus requiritur. Ita in avibus deprehendimus roſtra ea præciſe figura ac magnitudine, quæ cibo ipſorum capiendo convenit, ut ſcilicet commode capi poſſit. Per naturam ſuam ipſis ineſt induſtria, qua ad commode nonnulla facienda opus eſt. Exemplo ſunto aves, quarum unaquæque commodum ſibi nidum loco commodo extruit, quando eodem opus habet. Exemplo etiam ſunto araneæ, dum rete ſuum muſcarum capiendarum cauſa perficiunt. Proſtant exempla alia inſectorum, quæ ex viri ſummi *de Reaumur* hiſtoria inſectorum peti poterunt. Sed de hiſce nobis agendum erit in Teleologia. Conſuluit vero etiam natura jucunditati vitæ, quatenus ſingulis brutis conceſſit arma ad copus ſuum defendendum, & veſtitum dedit, quo corpus adverſus aëris injurias munitur, conſequenter doloris ac moleſtiæ ſenſum ab iis abeſſe vult. Jucunditati adeo vitæ brutorum providet natura, quantum ea in ipſa cadit. Quamobrem falluntur, qui in vita brutorum nullam commoditatis ac jucunditatis rationem haberi arbitrantur. Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat, naturam magis proſpexiſſe brutis, quam hominibus, ne deſint ad vitam conſervandam eamque commode ac jucunde degendam neceſſaria. Largita enim homini eſt eas animæ facultates præter apta corporis organa, quarum legitimo uſu obtineri poteſt, quicquid non modo vitæ neceſſitas, verum etiam commoditas & jucunditas exigit.

§. 74.

Scientiarum & artium cultura neglecta in vita ſimplicitate.

Si homines omnes in ſimplicitate vitæ perſiſtunt, artes & ſcientias parum excolunt. Etenim in ſimplicitate vitæ tantummodo proſpicitur neceſſitati vitæ, nulla propemodum de ejus commoditate ac jucunditate cogitatio eſt (§. 73.). Quoniam itaque illi ſufficiunt res pure naturales (§. 68.), nec ea induſtriales exigat, niſi in nimium multiplicato genere humano (§. 72.); nulla ipſis ratio eſt, cur de rebus arte parandis, adeoque artificialibus cogitent (§. 505 *part. I. Jur. nat.*). Artes igitur parum excolunt. *Quod erat unum.*

Scientiarum culturam eſſe nullam, ignoratis aut neglectis artibus omnibus, etſi non adeo pronum ſit oſtendere, quamdiu ſcientiarum & artium mutua a ſe invicem dependentia non fuerit perſpecta; hic tamen doceri poteſt, quantum præſenti inſtituto ſufficit. Cum nihil ſit ſine ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit (§. 70. *Ontol.*); ratio etiam aliqua adeſſe debet, cur homines, quos omnium ſcientiarum ac artium rudes ſupponimus, de ſcientiis excolendis cogitent & quæ eos, ubi hæc cogitatio animum ſubit, ad easdem excolendas invitet. In ſimplicitate vitæ homines contenti ſunt rebus pure naturalibus (§. 68.), nec has curant, niſi quatenus eorum uſus vitæ neceſſitati ſervit (§. 73.). Quoniam paucis admodum indigent (§. 69.), & multa in rerum natura vident, quorum nullus ipſis eſt uſus; forſan ſagacior aliquis quæſiverit, quo fine reliqua a natura producantur, & curioſior ſollicitus eſſe poteſt, quomodo Sol, Luna & aſtra reliqua moveantur in cœlo, ut ſtatis temporibus ad priſtina redeant loca; immo quænam ſint meteororum per vices redeuntium cauſæ. Prima igitur cogitatio de Aſtronomia & Phyſi-

Digitized by Google

Phyſica incidit. Hinc etiam videmus Aſtronomiam antiquiſſimis temporibus ubivis gentium fuiſſe excultam, ubi ſcientiis aliquis honor eſſe cœpit, ac deinde de cauſis rerum naturalium eas fuiſſe ſollicitas. Enimvero obſervationes exigit Aſtronomia absque inſtrumentorum ſubſidio non comparandas, ſine quibus nullus datur, nec ſperandus eſt in ea progreſſus. Quamdiu adeo arte parari nequeunt inſtrumenta, vana eſt de Aſtronomia excolenda cogitatio, quam admiratio parit. Quam multas vero artes ſupponat inſtrumentorum aſtronomicorum conſtructio, nemo ignorat, niſi qui nunquam perpendit, quanam cauſarum ſerie actus rerum artificialium determinetur. Si quis in cauſas rerum naturalium earundemque uſum latentem inquirere voluerit, uſu facultatum cognoſcendi pollere debet, qui homini naturalis non eſt, ſed ipſo earum uſu ac quirendus, quam neceſſitas quædam exigit, ut adeo veluti ſponte ſua elici videatur. Quamobrem dubium non eſt, quin primum homines de vitæ commoditate cogitare cœperint moleſtiam ab actionibus ſuis remoturi (§. 465. *part. I. Jur. nat.*), ſicque ad artium culturam fuerint adducti, qua facultatum cognoſcendi uſus aliquis fuit obtentus, ad Aſtronomiam primum, deinde & Phyſicam excolendam adhibitus non ſine omni prorſus ſucceſſu, donec ipſa ſui continuatione ſucceſſive fuerit perfectus. Patet itaque, antequam artes manuariæ fuerunt excultæ, nullam quoque fuiſſe ſcientiarum culturam. Quare cum homines, quamdiu in ſimplicitate vitæ perſiſtunt, artes parum excolant *per num. 1.* quamdiu in eadem perſiſtunt, ſcientias quoque parum excolunt. *Quod erat alterum.*

Ne

Ne quæ hic dicuntur in perverſum ſenſum trahantur, unum alterumque moneri conſultum ducimus. Notandum itaque eſt, nos in præſenti, ubi de ſtatu originario agimus, qualis hominum fuerit neceſſe eſt, cum primi exiſtere cœperunt in hiſce terris, ſupponere totum humanum genus omnium ſcientiarum ac artium rude, nec res ullas iis coëxiſtentes præter eas, quæ natura ſua ſponte producit, hoc eſt, pure naturales (§ 503. *part. I. Jur nat.*) In hac hypotheſi nihil ſumitur, quod ſit a veritate alienum. Antequam enim ſupponas homines in terra exiſtentes, præter res pure naturales nullæ in ea exiſtentes concipi poſſunt, quæ ipſorum induſtriæ ac arti debentur hoc eſt, artificiales & induſtriales nullæ (§. 504. 505. *part. I. Jur. nat.*). Ipſa natura homines perinde ac animantia bruta ducuntur ad uſum earum rerum, quibus vitæ neceſſitati proſpicitur. Uſus autem initio nullus in poteſtate eſt niſi rerum pure naturalium Quamobrem hic quæritur, quænam ratio ipſos impulerit, ut de rebus artificialibus & induſtrialibus cogitare cœperint, & ad ſcientias ac artes excolendas animum appulerint. Ratio iſta petenda omnino eſt ex ſtatu originario, qualis fuiſſe concipitur, cum primum cœperit humanum genus. Quilibet adeo facile perſpicit, quamdiu res pure naturales ſufſecerunt, nullam hominibus fuiſſe rationem, cur de rebus naturalibus opera ſua multiplicandis cogitarent, adeoque non ante rebus induſtrialibus ullum concedi poſſe locum. Arte quæ parantur, commoditati vitæ ac jucunditati ejusdem inſerviunt. In ſtatu originario nulla dari poteſt ratio, cur de rebus artificialibus cogitare cœperint homines, quam ſenſus moleſtiæ actiones quasdam ipſorum comitans ob defectum rerum artificialium: cui quomodo mederi poſſent cogitare cœperunt natura ingenio & ſagacitate ceteros vincentes. Similiter in ſtatu originario, quo ſenſu non perceperunt res alias præter pure naturales, nulla alia datur, immo ne fingi quidem poteſt ratio, quæ cupidinem ſciendi exci-

Digitized by Google

excitarit in animis hominum, quam admiratio orta ex conſideratione eorum, quorum cauſas ignorabant: id quod dudum agnitum fuit ab iis, quibus debetur pervulgatum iſtud: Propter admirari cœperunt homines philoſophari. Nullum vero in ſtatu originario fuit objectum, ad quod animum adverterent, præter ſidera cœli & corpora partialia in Tellure una cum meteoris. Quamprimum vero rebus induſtrialibus operam navare cœperunt, propior jam aderat ratio, cur de motu ſolis ac ſtellarum cognoſcendo eſſent ſolliciti. Unde non mirum, quod Aſtronomia primo omnium fuerit exculta. Videmus adeo, quæ a nobis dicta ſunt (§. 72.73.74.) ſatis ſibi conſtare. Quodſi antiqua ſatis de viciſſitudinibus ſtatus humani generis monumenta proſtarent; nullus dubito, quin ſingula, quæ diximus, a poſteriori quoque confirmare liceret. Quamvis vero hiſce adminiculis deſtituamur, manifeſta tamen indicia deprehendimus in iis gentibus, quæ a vitæ ſimplicitate parum receſſerunt. Exempli loco pau o ante adduximus Scythas, quos *Juſtinus* deſcribit. Non exercebant agros: lacte & melle veſcebantur, per incultas ſolitudines errare ſoliti. De rebus adeo induſtrialibus non cogitarunt, multo minus iisdem operam navarunt, quia pure naturales in iſta vitæ ſimplicitate ſufficiebant. Eadem de cauſa lanæ ipſis uſus ac veſtium ignotus erat, quod pellibus ferinis ac murinis utebantur, quia rebus naturalibus ſufficientibus de artificialibus non cogitabant. Et dum juſtitiam ingeniis cultam, non legibus, iisdem tribuit *Juſtinus*, & naturam quoad mores quosdam illis dediſſe affirmat, quod Græci longa ſapientium doctrina præceptisque philoſophorum conſequi non potuerint; abunde hinc intelligitur, eos de ſcientiarum cultura parum fuiſſe ſollicitos. Unicum exemplum cum ſufficiat ad ea confirmanda, quæ a nobis dicta ſunt; cur de pluribus anxie laboremus non eſt. Nullum igitur dubium ſupereſt, artes & ſcientias in eo, in quo nunc ſunt, ſtatu non-

nondum extituras fuiſſe, ſiquidem ad noſtra usque tempora totum humanum genus in prima ſimplicitate vitæ perſtitiſſet. Alia vero longe quæſtio eſt, num hodie, qui in vitæ ſimplicitate unus perſiſtit, arte ac ſcientia præſtare poſſit aliis. Sed cum ea in præſenti nihil nobis negotii.

§. 75.

Quando in communione primæva nulla metuenda ſint bella, nullus defectus rerum induſtrialium & artificialium.

Si in charitate mutua perſiſtunt homines, etiamſi in ſimplicitate vitæ non perſiſtant; nulla in communione metuenda ſunt bella, nec metuendus eſt rerum induſtrialium & artificialium defectus. Quoniam enim charitas virtus eſt, qua alios diligimus tanquam nos metipſos (§. 620. *part. I. Jur. nat.*), alterum vero tanquam ſe ipſum diligit is, cui conſtans & perpetua eſt voluntas felicitatem alterius promovendi, hoc eſt, omni ſtudio id agendi, ut alter ſit felix, ac cavendi, ne fiat infelix (§. 617. *part. I. Jur. nat.*); ſi in charitate mutua perſiſtunt homines, unusquisque ad alterius felicitatem pro virili confert, quod poteſt, conſequenter in communione primæva, in qua uſus rerum neceſſarius unicuique patet, prout cuique opus eſt (§. 27.), & unicuique laborandum communis utilitatis gratia, nemini otiandum (§. 41.), unusquisque vero eo defungi debet labore, quo maxime opus eſt, & quem recte perficere valet (§. 42.), nemo alterum quocunque modo impedit, ne rebus utatur, prout ipſi opus videtur, communis utilitatis gratia lubentiſſime laborat, eoque defungitur labore, quo maxime opus habent omnes, & quem rectius alio labore & rectius quam alii perficere valet. Quamobrem cum in communione primæva non oriantur bella, niſi quatenus quis quocunque modo impeditur, ne rebus utatur, prout ipſi opus fuerit (§. 57. & ſeqq.), & res induſtriales interveniente opera humana a natura (§. 504. *part. I. Jur. nat.*), res autem artificiales

arte

arte humana producantur (§. 505. *part. I. Jur. nat.*); ſi homines in charitate mutua perſiſtunt, nulla in communione primæva metuenda ſunt bella, nullus metuendus eſt rerum induſtrialium & artificialium defectus. *Quod erat unum.*

In ſimplicitate vitæ tantummodo proſpicitur vitæ neceſſitati, nulla propemadum eſt de ejus commoditate ac jucunditate cogitatio (§. 73.). Enimvero cum homines non modo operam dare debeant, ne deſit ſufficiens copia rerum neceſſariarum, ſed etiam ne deſit utilium & voluptuariarum, ſive induſtrialium, ſive artificialium (§. 511. *part. I. Jur. nat.*), quamdiu vero in mutua charitate perſiſtunt, omnes ſimul in communione primæva huic obligationi pro virili ſatisfaciunt *per demonſtrata;* quamdiu in mutua charitate perſiſtunt, nec ullus in communione primæva metuendus eſt defectus rerum utilium & voluptuariarum, conſequenter earum, quæ ad vitam commode ac jucunde tranſigendam requiruntur (§. 500. 501. *part. I. Jur. nat.*), etiamſi in ſimplicitate vitæ non perſiſtunt. *Quod erat alterum.*

Non eſt quod objicias, fingi ſtatum, qui dari nequit. Neque enim affirmamus, ſtatum iſtum pro præſenti humani generis conditione poſſibilem eſſe. Sed hoc tantummodo quæritur, quid in tali ſtatu evenire debeat, ubi res omnes fuerint communes, nec in ſimplicitate vitæ perſiſtant homines, ſive is poſſibilis ponatur, ſive impoſſibilis. Intereſt autem noſſe, qualis eſſe debeat hominum ſtatus, ut in communione rerum omnium ſinguli vitam commode ac jucunde tranſigere poſſint, & ne communio degeneret in ſtatum indigentiæ, quo vix ac ne vix quidem ſuppetunt quæ ad vitæ neceſſitatem requiruntur. Rara omnino eſt charitas, qua quis alterum quemvis diligit tanquam ſeipſum & eodem ſtudio quærit quæ alteri proſunt, quo quæ ſibi,

Digitized by Google

nullo facto inter ſe ac alios diſcrimine. Hac charitate imbuti fuerunt primi chriſtiani, nec alia cauſa eos impulit, ut omnia, quæ ſinguli habebant, ad Apoſtolos deferrent in communem maſſam redigenda, unde ſingulorum neceſſitati provideretur, prout cuique opus foret Act. II. 44. 45. Primorum chriſtianorum communio cum ex ſincera charitate proficiſceretur, & uſus adeo communium continuum eſſet ejus exercitium, ſimulque ſignum infallibile virtutis in animis latentis; Patres Religioſorum ſanctiſſimam illam diſciplinam appellarunt, & ideo in Ordinibus Religioſorum eandem introduxerunt, ut non modo ipſis charitatis exercitium redderetur familiare, ſed ſuo etiam exemplo charitatem docerent ceteros eosque ad eandem excitarent. Charitas lege naturali præcepta (§. 621. *part. I Jur. nat.*), quæ cum a natura proficiſcatur (§. 135. *part. I. Phil. pract. univ.*), non abſonum videri poteſt, quod natura etiam res omnes tam pure naturales (§. 24.), quam induſtriales & artificiales ſint communes (§. 29.). Lex naturæ vult homines mutuo amoris vinculo copulari, quos ita fecit naturæ autor Deus, ut non niſi conjunctis viribus eam conſequi valeant perfectionem, quæ in ipſos cadit (§. 220. *part. I. Phil. pract. univ*). Quodſi adeo legi naturæ convenienter viverent homines, rerum omnium tam naturalium, quam induſtrialium & artificialium communio nihil haberet incommodi, nec bellis mutuis anſam præberet. Communio itaque primæva, qualem depinximus in anterioribus, cuſtodiæ legum naturalium maxime convenit, & per eam ac cum ea ſubſiſtit.

§. 76.

Continentia quando obtineat in communione primæva.

Si homines in ſimplicitate vitæ perſiſtunt, nondum multiplicati in nimium in communione præſertim primæva nullum rerum affluxum appetunt, multo minus autem aurum atque argentum. Etenim ſi in ſimplicitate vitæ perſiſtunt, rebus admodum pau-

paucis indigent (§. 69.), quæ nondum in nimium multiplicato genere humano pure naturales ſunt (§. 71.), adeoque a natura ſponte ſua offeruntur (§. 503. *part. I. Jur. nat.*): in communione autem primæva earum uſus neceſſarius unicuique patet, prouti cuique opus eſt (§. 27.), nec res ullæ ſunt ſingulorum, communes omnes (§. 24.). Præterea vitæ tantummodo neceſſitati proſpicitur in vitæ ſimplicitate, nec ulla de ejus commoditate ac jucunditate cogitatio eſt (§. 73.). Quamobrem nulla prorſus ratio eſt, cur homines, rerum multarum affluxus, argentum præſertim ac aurum cui ſit uſui ignorantes, rerum affluxum, aurum inprimis ac argentum appeterent (§. 56. *Ontol.*). Quando itaque homines in ſimplicitate vitæ perſiſtunt, in nimium nondum multiplicati in communione præſertim primæva nullum rerum affluxum, multo minus autem aurum & argentum appetunt (§. 70. *Ontol.*).

Quilibet in ſeipſo experitur, ſe rem nullam appetere, cujus uſum ignorat. Ecquis appetit herbas in pratis ſponte naſcentes, quarum nullus ipſi eſt uſus? Quis appetit lapillos in arena jacentes, quorum nullum perſpicit uſum? Quis inſidiatur ranis, quas eſui eſſe poſſe ignorat, aut a quarum eſu abhorret? Poſtquam rebus, quarum datur aliquis uſus, pretium ſtatutum eſt; inter uſus etiam recenſeri debet, quod ex iis locupletiores fieri poſſimus, etſi nulli nobis ſint uſui. Hæc vero ratio non locum habet in communione primæva: immo nec dominiis introductis, quamdiu ob vitæ ſimplicitatem permutationi ſoli locus eſt, emtio venditio ignoratur. Quamvis vero idem eodem modo ſeſe habeat, quamdiu homines in ſimplicitate vitæ perſiſtunt, ſive in communione vivant, ſive aliquid ſaltem proprii habeant; in communione tamen primæva abundat ratio, propterea quod nulla proprietatis cogitatio homi-

num animos ſubire poteſt, & natura ubivis ſponte offert quod unicuique opus eſt.

§. 77.

Communio primæva quando absque charitate ſubſiſtat, quando non.

Si homines nondum in nimium multiplicati, absque charitate ſubſiſtere poteſt primæva communio in vitæ ſimplicitate: ſi vero in nimium multiplicatur, communio ſubſiſtere nequit, ne quidem in ſimplicitate absque charitate, immo nec ſubſiſtere poteſt, nondum in nimium multiplicato genere humano, absque charitate, ſi vitam quoque commode ac jucunde tranſigere velint. Etenim quamdiu genus humanum non multiplicatur in nimium, res pure naturales ſimplicitati ſufficiunt, non amplius ſuffecturæ, ubi in nimium fuerit multiplicatum (§. 71.). Quoniam itaque natura ſua ſponte unicuique offert, quibus ad vitæ neceſſitatem ſuſtentandam opus habet (§. 503. *part. I. Jur. nat.*); nemo ad amplificandam rerum neceſſariarum copiam quicquam conferre tenetur, adeoque nemini laborandum communis utilitatis gratia in communione primæva (§. 29.), conſequenter ne in ea deſit rerum neceſſariarum copia, neceſſe non eſt ut unusquisque alios diligat tanquam ſemetipſum (§. 617. *part. I. Jur. nat.*). Quoniam itaque charitas virtus illa eſt, qua quis alterum diligit tanquam ſeipſum (§. 620. *part. I. Jur. nat.*); in communione primæva, quamdiu homines in nimium nondum multiplicati in ſimplicitate vitæ perſiſtunt, charitas huc non facit, ne quis ſit rerum neceſſariarum defectus, conſequenter absque charitate eadem perſiſtere poteſt. *Quod erat primum.*

Quodſi vero genus humanum multiplicetur, vitæ etiam ſimplicitas res induſtriales exigit (§. 72.), conſequenter ut natura res neceſſarias tanta copia producat, quanta neceſ-

Digitized by Google

neceſſitati vitæ omnium ſufficit, homines operam ſuam huc conferre tenentur (§. 504. *part. I. Jur. nat.*), agros & hortos uſui œconomico deſtinatos colendo (§. 507. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter laborandum (§. 512. *part. I. Jur. nat.*). Enimvero in communione primæva omnibus laborandum communis utilitatis gratia (§. 41.) & unusquisque eo defungi debet labore, quo maxime opus eſt, & quem recte perficere valet (§. 42.), cumque communio primæva ſit in ſtatu originario (§. 11.), in quo homines omnes liberi ſunt (§. 144. *part. I. Jur. nat.*), in laborando nemo dependet ab alio homine, ſed a ſe ipſo (§. 153. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter ipſius judicio relinquendum, num ſibi laborare conveniens exiſtimet, ac quo labore defungi velit. Quamobrem cum communis utilitatis gratia ſua ſponte ſit laborandum & quidem non ſuus, ſed aliorum ſubinde unice intendendus ſit uſus *per demonſtrata*; unusquisque in communione primæva, multiplicato genere humano, etiamſi in ſimplicitate vitæ perſiſtatur, ad aliorum felicitatem promte conferre debet, quod poteſt, conſequenter homines ceteros omnes diligat neceſſe eſt tanquam ſemetipſum (§. 617. *part. I. Jur. nat.*). Virtus illa charitas eſt, qua homines alios diligimus tanquam nosmetipſos (§. 620. *part. I. Jur. nat.*). Patet itaque multiplicato in nimium genere humano, etiamſi in ſimplicitate vitæ perſiſtatur, communionem primævam absque charitate ſubſiſtere non poſſe. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi in vitæ ſimplicitate non perſiſtitur, in qua tantummodo proſpicitur vitæ neceſſitati (§. 73.), & artes ac ſcientiæ parum excoluntur (§. 74.), ſed de vita etiam commode ac jucunde degenda cogitatio eſt: rebus quo-

que

que utilibus & voluptuariis opus habent (§. 500. 501. *part. I. Jur. nat.*), ipſarumque rerum neceſſariarum major requiritur varietas (§. 499. *part. I. Jur. nat.*). Experientia in eo, quo nunc vivimus, ſtatu obvia conſtat, naturam res utiles ac voluptuarias non ſua ſponte producere tanta copia, quæ ſufficiat omnibus, immo eas maxima parte induſtriæ ac arti hominum deberi. Quamobrem etiamſi non in nimium multiplicetur genus humanum, ſi in communione primæva recedatur a vitæ ſimplicitate, hominibus ſingulis utilitatis communis gratia laborandum eſt & ſinguli non ſuum, ſed aliorum plerumque intendere debent uſum. Unde porro eodem, quo ante modo *n.* 2. conficitur, communionem primævam non poſſe ſubſiſtere absque charitate, genere humano in nimium non multiplicato, ſi in vitæ ſimplicitate non perſiſtatur. *Quod erat tertium.*

Charitas etſi lege naturali omnibus præcepta ſit, rara tamen avis eſt in hiſce terris. Et quamvis major humani generis concipi non poſſit felicitas, quam quando omnium animi charitate uniuntur, ut totum humanum genus ſit una quaſi perſona & corpori aſſimiletur, cujus ſingula organa dum agunt quod ſuum eſt, toti corpori bene eſt; pauci tamen ſunt, qui hoc capiunt. Quoniam itaque communio primæva non ſubſiſtere poteſt absque charitate, ſi non modo neceſſitati, verum etiam commoditati & jucunditati vitæ proſpiciendum, etſi genus humanum non fuerit multiplicatum; nemo non intelligit, quam parum conveniat communio primæva ſtatui præſenti generis humani, ut adeo vana ſint illorum conſilia, qui communionem univerſalem introducere intendunt ſeu primævam rerum omnium communionem revocare conantur, dominiis prorſus ſublatis. Adeo parum convenit primæva communio ſtatui præſenti, ut, quando demonſtratur, in communione primæ-

primæva omnibus utilitatis communis gratia eſſe laborandum, omnes etiam res induſtriales & artificiales communes eſſe debere, ita ut iis uti poſſit unusquisque, prouti ipſi opus fuerit, nec jure potior ſit, cujus induſtriæ & arti res debetur, quam alius quicunque, hæc omnia adeo abſona videantur, ut vix ſibi a riſu temperare poſſint bene multi. Aut enim animum avertunt a charitate, quæ eam poſſibilem facit; aut charitatem perfectam omnibus animis inſtillare non poſſe perpendunt, conſequenter eam nonniſi in hypotheſi impoſſibili poſſibilem agnoſcunt, adeoque inter ideas Platonicas referunt. Quicquid ſit, mox tamen conſtabit, nos non ſine ratione hanc de communione primæva tractationem doctrinæ de dominio præmiſiſſe, immo præmittere debuiſſe. Ceterum abſit, ut primævam iſtam communionem univerſalem, quæ totius generis humani eſt, aut, ſaltem hominum, regiones quasdam incolentium, in quibus ipſis cum aliis gentibus, apud quas dominia rerum introducta ſunt, nullum eſt commercium, cum communione particulari cœtus cujusdam inter alios homines, quibus dominia ſunt, degentis in eundem cenſum referas & ex hoc de illa judicium feras. Magnum enim inter utramque intercedit diſcrimen, ut promiſcue ab una ad alteram non valeat argumentatio.

§. 78.

Neglectus animæ perficiendæ in ſimplicitate vitæ.

In vitæ ſimplicitate homines tantummodo corporis conſervandi, nullam vero animæ perficiendæ rationem habent. Quamdiu enim in vitæ ſimplicitate perſiſtunt, contenti ſunt famem expleviſſe & ſitim reſtinxiſſe, corpus utcunque contra injurias aëris muniviſſe, & in loco ab imbribus tuto quieviſſe (§. 68.), vitæ tantummodo neceſſitati proſpicientes (§. 73.). Patet adeo, quod nonniſi corporis conſervandi curam habeant, de anima autem perficienda artes

& ſcientias minime excolentes (§. 74.) nullam prorſus habeant cogitationem.

Experientia propoſitionem præſentem ſatis ſuperque confirmat. Videmus enim adhuc hodie, gentes a vitæ ſimplicitate parum recedentes craſſa rerum omnium ignorantia aborare & ab eo facultatum animæ uſu procul abeſſe, qui apud gentes cultiores obſervatur, ubi artes ac ſcientiæ excoluntur. Cavendum vero etiam hic eſt, ne perſonas ſingulares inter gentes cultiores degentes aut etiam inter incultas, quibus cum cultioribus commercium eſt, & vitæ ſimplicitatem affectantes, atque gentes integras in ſimplicitate vitæ perſiſtentes, nec cum aliis gentibus cultioribus commercium quoddam habentes in eundem cenſum referas: neque enim ab illis ad has valet argumentatio, cum ingens admodum diſcrimen inter utrasque intercedat. Supponimus hic totum humanum genus perſiſtere in vitæ ſimplicitate & nihil adhuc artium, nihil ſcientiarum ulli innotuiſſe, & quid ex hac hypotheſi ſequatur, quales ſint homines in hoc ſtatu diſquirimus.

§. 79.

An vita ſimplicitas conveniat cum lege naturali.

In Vita ſimplicitate homines non ſatisfaciunt obligationi ſua naturali. In vitæ ſimplicitate homines tantummodo corporis ſui conſervandi, nullam vero animæ perficiendæ rationem habent (§. 78.). Enimvero lege naturali præcipitur, ut officia erga animam & quoad ſtatum externum cum officiis quoad corpus conjungantur (§. 170. *part. I. Jur. nat.*), & cura corporis cum neglectu animæ ac ſtatus externi conjuncta improbatur (§. 171. *part. I. Jur. nat.*). Quoniam itaque obligatio, quæ a lege naturæ venit, naturalis eſt (§. 141. *part. I. Phil pract. univ.*); in vitæ ſimplicitate homines non ſatisfaciunt obligationi ſuæ naturali.

Non:

Digitized by Google

Non negamus, curam corporis conſervandi eſſe obligationi naturali conformem (§. 349. *part. I. Jur. nat.*), & hominem cibum ac potum nonniſi ſanitatis conſervandæ gratia appetere debere (§. 408. *part. I. Jur. nat.*), nec niſi ea quantitate, quæ corpori conſervando ſufficit (§. 403. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter quatenus hoc faciunt qui in ſimplicitate vitæ perſiſtunt, eos obligationi naturali ſatisfacere. Enim vero obligatio naturalis latius extenditur: cetera igitur qui negligit, eidem minime ſatisfacit.

§. 80.

Prima naturæ dicuntur ea, ad quæ animalia ſua natura feruntur. Unde *quænam ſint prima naturæ patet, ſi ad primas animalium, imo etiam hominum, ſimul atque nati ſunt, actiones animum advertimus.* *Prima naturæ quænam ſint.*

Stoici prima naturæ diſtinxerunt in homine ab iis, quæ ea conſequuntur, quando uſu rationis pollet, quemadmodum videre eſt apud *Ciceronem* lib. 3. de finib. bon. & mal. Et reſpectu primorum naturæ ipſa etiam animantia bruta juris naturæ quadam peritia cenſentur *l. 1. ff. de J. & J.* quaſi brutis inſit natura notitia quædam eorum, quæ ad prima naturæ faciunt. Et quatenus prima illa naturæ hominibus ac brutis communia ſunt; imago quædam juris naturæ etiam in brutis conſpicitur.

§. 81.

Quoniam animalia, ſimulatque in lucem edita ſunt, cibum ac potum appetunt, non aliunde edocta ſe defendunt, & ubi ad generandum apta ſunt, ea faciunt, quæ ad generationem atque educationem fœtus neceſſaria ſunt; *prima naturæ ſunt conſervatio & defenſio ſui, generatio & educatio prolis, ſeu conſervatio ſui, ſtatus ſui ac ſpeciei ſuæ.* *Prima naturæ quænam ſint.*

Quod animantia bruta aliunde non edocta faciant ea, quæ ad prima naturæ ſpectant; exemplis facile docetur, & dudum docuere veteres. Si pullus ex ovo excluſus a gallina ovis incubante removetur, granula milii objecta roſtro ſtatim colligit, quamvis hoc nondum fieri viderit ab alio. Erucæ ex ovulis excluſæ foliola recentia arborum ſtatim depaſcunt, etſi non viderint ab alio. Quamobrem cum cibo ac potu, ſeu alimentis corpus conſervetur; hinc patet animalia bruta natura ad ſui conſervationem ferri. *Galenus* jam obſervavit, animantium quodque eo ad ſui tutelam uti, quo maxime valet. Vitulos nondum enatis cornibus ea parte minari, ut hinc *Lucretius* argute cornua nota prius vitulo dixerit, quam frontibus exſtant, & equuleos nondum firmatis ungulis calcitrare & catellos dentibus nondum robuſtis morſitare. Unde denuo patet, bruta animantia non aliunde edocta facere, quæ fieri neceſſe eſt ſui defendendi cauſa. Nec multa attentione opus eſt, ut obſerves, brutis eſſe perſpectum coëundi modum, etſi coitum alterius nondum viderint; aves exſtruere nidos, quorum ſtructuram nemo eos docuit; quid fieri debeant in partu, canes noſſe, etſi partui alterius non adſtiterint. Omitto cetera, quæ ad educationem partus faciunt. Undenam fit, ut bruta natura ferantur ad ſui ſtatusque ſui ac ſpeciei ſuæ conſervationem, & quomodo fieri poſſit, ut huc facientes edant actiones non edocta ab aliis; noſtrum non eſt in præſenti diſquirere. Ea enim quæſtio ad Phyſicam pertinet. Nobis hic ſufficit noſſe, prima naturæ non gratis eſſe conficta, ſed revera dari.

§. 82.

Simplicitatis vitæ termini.

Simplicitas vitæ intra terminos primorum naturæ ſubſiſtit. Etenim in vitæ ſimplicitate homines tantummodo corporis conſervandi, nullam vero animæ perficiendæ rationem habent (§. 78.), conſequenter non curant niſi ea, quæ

ad

Digitized by Google

ad ſui & ſtatus ſui, quem natura habent, conſervationem faciunt. Quod vero etiam in ſimplicitate vitæ generationi prolis operam navent homines, nemo eſt qui dubitat, nec vitæ ſimplicitas huic ullo modo contrariatur: quod per ſe patet. Quamobrem in vitæ ſimplicitate locum quoque habet cura conſervandi ſpeciem ſuam. Enimvero prima naturæ ſunt conſervatio ſui, ſtatus ſui ac ſpeciei ſuæ (§. 81.). Vitæ adeo ſimplicitas intra terminos primorum naturæ ſubſiſtit.

Primis naturæ ſatisfit a brutis, & ab homine ſatisfieri poſſet, etiamſi nullo rationis uſu polleret. Simplicitas adeo vitæ non convenit homini, quia intra terminos primorum naturæ ſubſiſtit.

§. 83.

An prima naturæ conveniant cum jure naturæ.

Prima naturæ cum jure naturæ conſentiunt. Etenim prima naturæ ſunt conſervatio ſui & ſtatus ſui, defenſio ſui, & conſervatio ſpeciei ſuæ (§. 81.). Enimvero lex naturæ hominem obligat ad corpus ſuum (§. 349. *part. I. Jur. nat.*), & integritatem omnium organorum corporis conſervandum (§. 372. *part. I. Jur. nat.*), datque eidem jus ſe defendendi (§. 973. *part. I. Jur. nat.*). Eſt igitur conſervatio ſui, & ejus, quem natura corpus noſtrum habet, ſtatus ſuique defenſio legi naturæ conveniens. Quod vero eidem quoque conveniat conſervatio ſpeciei ſuæ, oſtendetur ſuo loco. Atque adeo patet, prima naturæ cum jure naturæ conſentire.

Idem etiam in genere ex ipſa primorum naturæ notione, non eundo per ſpecies, oſtenditur hoc modo. Ad prima naturæ animalia & homo ante omnem rationis uſum aut abſque hoc uſu ſua natura feruntur (§. 80.), conſequenter

ter ea conſiderari poſſunt tanquam rationes finales, per quas determinantur actiones ad eadem tendentes (§. 932. *Ontol.*). Quoniam homo actiones haſce cum brutis habet communes, quæ libertate agendi deſtituuntur (§. 763. *Pſych. rat.*); quin ex naturalibus æquipolleant, dubitandum non eſt (§. 12. *part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero actiones, quæ per easdem rationes finales cum naturalibus determinantur, lege naturali præcipiuntur (§. 179. *part. I. Phil. pract. univ.*). Actiones itaque ad prima naturæ tendentes legi naturali conformes ſunt, conſequenter prima naturæ cum eadem conſentiunt.

Inde eſt, quod homines in ſimplicitate vitæ facientes ea, quæ primis naturæ conveniunt (§. 82.), faciant quæ juri naturæ conformia ſunt, ſed non ea intentione, ut legi naturæ voluntatem ſuam ſubmittant ac obligationi ſuæ naturali ſatisfaciant. Similiter & bruta, quatenus primis naturæ conformiter vivunt, faciunt, quæ juri naturæ conveniunt, non tamen quia conveniunt, ut adeo non opus habeant juris naturæ notitia, quæ nec in ipſa cadit. Quamobrem non proprie intelligendum eſt, quando *Ulpianus* affirmat naturam jus naturæ omnia animalia docuiſſe & ea hujus juris peritia cenſeri. Quo ſenſu autem hoc accipiendum ſit, docuimus in Horis Subſecivis A. 1729. trim. brum. n. 2. §. 8. Ceterum hinc jam uberius intelligitur, quod in ſimplicitate vitæ non ſatisfaciant homines obligationi ſuæ naturali. Etſi enim faciant nonnulla, ad quæ naturaliter ſunt obligati, non tamen faciunt ideo, quia ad hoc faciendum ſeſe obligatos agnoſcunt.

§. 84.

An detur virtutis co-

In vitæ ſimplicitate non eſt cognitio virtutis. Etenim in vitæ ſimplicitate homines intra terminos primorum naturæ

ræ ſubſiſtunt (§. 82.): quæ quoniam cum jure naturæ conſentiunt (§. 83.), aliqua quidem faciunt perinde ac animantia bruta, quæ juri naturæ conveniunt, non tamen ideo, quia eidem conveniunt, nec ea intentione, ut obligationi ſuæ naturali ſatisfaciant (*not.* §. 83.), quemadmodum nec ceteroquin cogitant, quomodo obligationi ſuæ naturali, præſertim quoad animam (§. 78.), ſatisfaciant (§. 79.). Enimvero cum virtutis ſit habitus actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi (§. 321. *part. I. Phil. pract. univ.*); ubi fiunt, quæ juri naturæ conveniunt, non quia eidem conveniunt, nec ea intentione, ut obligationi naturali ſatisfiat, immo de actionibus ſuis legi naturali conformandis parum cogitatur, ibi nulla virtutis cognito eſt. In vitæ igitur ſimplicitate cognitio virtutis non eſt.

Cognitio in ſimplicitate vitæ.

Probe hic tenendum, quod ſupra jam annotavimus (*not.* §. 74.), nobis hic ſermonem eſſe de toto humano genere in ſimplicitate vitæ perſiſtente, vel natione aliqua integra, cui cum aliis gentibus cultioribus nullum eſt commercium. Sane de Scythis commemorat *Juſtinus* lib. 2. c. 2, quod nulla ipſis fuerit virtutis cognitio, quos ſimplicitati vitæ deditos fuiſſe ſupra monuimus (*not.* §. 68.). Sed nulla hic foret *Juſtini* autoritas, niſi ratione corroboraretur, cum judicio, quod diſcurſivum vocamus in Logicis, cognitionem virtutis deneget, non vero factum ſenſu percipiendum narret. Nemo igitur temere reprehendat, quod ea rationibus evincamus, quæ fide veterum monumentorum conſtare poterant.

§. 85.

In ſimplicitate vitæ non alia homini boni notio eſt, quam quod bonum exiſtimet, quod a tædio ſive moleſtia vel dolore liberat, adeoque malum, quod tædium ſive moleſtiam creat aut dolorem.

Qualis boni & mali notio in primæva ſimplicitate.

Digitized by Google

lorem parit. Etenim in vitæ ſimplicitate homines rebus pure naturalibus contenti maxima ſaltem parte, non appetunt cibum ac potum, niſi quatenus ad famem explendam & ſitim reſtinguendam ſufficit, nec veſte utuntur, niſi quæ contra injurias tempeſtatum eos defendit, aut in climate mitiori nudi incedunt, nec niſi in caſis humilibus aut tuguriolis quieſcunt (§. 68.). Facile adeo patet, quod averſentur ob ſenſum moleſtum, qui ex fame ac ſiti eſt, & quem injuriæ tempeſtatum creant, famem, ſitim, injurias tempeſtatum. Enimvero quoties quid averſamur, id nobis repræſentamus tanquam malum, etiamſi ſenſitiva fuerit averſatio (§. 893. *Pſych. empir.*). In ſimplicitate adeo primæva non alia mali notio eſt, quam quod tædium ſive moleſtiam creet, aut dolorem pariat. *Quod erat unum.*

Appetunt vero cibum ac potum, ut a fame ac ſiti liberentur, vel eandem evitent; appetunt veſtes, appetunt quietem in caſis humilibus, ut ab injuriis tempeſtatis ſint liberi & laſſitudo ſedetur. Quamobrem cum nobis tanquam bonum repræſentemus, quod appetimus, etiamſi appetitus fuerit ſenſitivus (§. 893. *Pſych. empir.*); patet in ſimplicitate vitæ bonum cenſeri, quod a tædio ſive moleſtia & dolore nos liberat. *Quod erat alterum.*

Habent homines in ſimplicitate vitæ notionem mali poſitivam, quatenus moleſtiam ac dolorem ex nonnullis percipiunt: aſt boni nonniſi negativam, quatenus id cenſetur bonum, quod a malo nos liberat, vel idem arcet. Propoſitio præſens fœcundum principium eſt diſtincte explicandi, quomodo animantia bruta & homines ante rationis uſum ſua natura ferantur ad appetenda primis naturæ convenientia, ut nulla requiratur de conſervatione ſui ac ſpeciei ſuæ cogitatio, conſequenter nulla opus ſit notitia inſita,

quod-

quod animal ſeipſum & ſpeciem ſuam conſervare debeat, quodque habeat jus adverſus vim conſervationi oppoſitam ſe defendendi: quæ ſunt principia illa Juris naturæ, quod hominum ac animalium proprium appellari ſolet. Atque vi hujus ipſius propoſitionis porro adhuc clarius intelligitur, quod in propoſitione præcedente evicimus, in vitæ ſimplicitate non eſſe cognitionem virtutis, nec virtutis amore paucis contentos eſſe homines. Immo hinc tandem intelligitur, quid ſentiendum ſit de illa Stoicorum opinione, quod prima naturæ antecedant omnem voluptatis notionem, qua de cauſa appetitio eorum, quæ ipſis conformia ſunt, non videtur ſubeſſe legi appetitus generali. Unde amorem quendam naturalem ſuipſius tanquam animanti cuicunque inſitum commenti ſunt, qui ſit ſtimulus ſui conſervandi ac ſpeciei ſuæ. Stoicis vero vix condonandum videtur, quod in negativa boni notione, qualem in vitæ ſimplicitate obtinere oſtendimus & cui convenienter determinantur primæ omnium hominum ac animantium appetitiones, acquieſcentes in praxi morali nonniſi de vitanda moleſtia, non vero de percipienda voluptate animi cogitaverint. Ceterum hæc obiter: ſuo enim loco de hiſce ex inſtituto agendum.

§. 86.

Lex naturæ qualis in ſimplicitate vitæ utatur.

In ſimplicitate vitæ actiones humanæ determinantur juxta hanc regulam: Quæ moleſtiam vel dolorem creant, vitanda; quæ avertunt, aut inde nos liberant, facienda. In vitæ enim ſimplicitate non alia erat hominibus notio mali, quam quod moleſtiam vel dolorem creet, nec boni alia, quam quod a moleſtia vel dolore liberet (§. 85.). Quod vero tanquam bonum cognoſcimus, id appetimus (§. 589. *Pſych. empir.*); quod tanquam malum, id averſamur (§. 590. *Pſych. empir.*). Patet itaque in ſimplicitate vitæ actiones

humanas determinari juxta hanc regulam: Ea eſſe vitanda, quæ moleſtiam vel dolorem creant; facienda vero, quæ avertunt, aut inde nos liberant.

Hæc regula videtur in ſimplicitate vitæ lex naturæ ipſis hominum animis natura inſcripta. Fallit tamen, ſi univerſaliter intelligatur de omni moleſtia in caſu moleſtiæ innocuæ (§. 386. *part. I. Phil. pract. univ.*), quæ apparens tantummodo eſt, non vera. Ubi vero veram ab apparente ſeu innocua diſtinguere noveris, non ſatisfacit, cum in notione boni negativa ſubſiſtat, nec ad poſitivam extendatur (*not.* §. 85.).

§. 87.

Vitiorum ignoratio in vita ſimplicitate.

In vita ſimplicitate pleruntunque, ſi non omnium vitiorum ignoratio eſt. In vitæ ſimplicitate homines una viventes actiones ſuas determinant juxta hanc regulam: Quæ moleſtiam vel dolorem creant, vitanda; quæ avertunt, aut inde nos liberant, facienda (§. 86.). Quamdiu in vitæ ſimplicitate perſiſtunt, neceſſitati tantummodo vitæ proſpiciunt, de commoditate vero ejusdem ac jucunditate non cogitant (§. 73.), & neglectis artibus ac ſcientiis (§. 74.), corporis ſolum conſervandi, nullam vero animæ perficiendæ rationem habent (§. 78.). Quamobrem regula iſta agenti imponere nequit, ut, quod malum eſt, appeteret ſub ratione boni, vel etiam, quod bonum eſt, averſaretur ſub ratione mali. Quamdiu itaque malum non allicit appetitum ſub ratione boni, nec bonum averſationem ciet ſub ratione mali; ignoratur, quinam ſint actus legi naturæ contrarii (§. 153. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque vitium conſiſtit in habitu actiones ſuas ratione contraria determinandi, quam lege naturali præſcribitur (§.

322.

322. *part. I. Phil. pract. univ.*), evidens eſt in ſimplicitate vitæ ſi non omnium, ſaltem plerorumque vitiorum eſſe ignorationem.

Ignorationem vitiorum Scythis tribuit ob vitæ ſimplicitatem *Juſtinus* lib. 2. c. 2. & eam plus in ipſis profeciſſe affirmat, quam in Græcis virtutis cognitionem. Ex demonſtratione propoſitionis præſentis non modo liquet, ignorationem vitiorum ob vitæ ſimplicitatem recte tribui Scythis; verum etiam per eandem patet ratio, cur in ea vitiorum cognitio nulla ipſis eſſe potuerit. Probe autem tenendum eſt, nos hic loqui de ignorantia ſimplici, quam vocant Scholaſtici, non vero de compoſita, quæ cum errore eadem eſt. Nimirum vi propoſitionis præſentis in ſimplicitate vitæ nullam eſſe hominibus notionem vitiorum contenditur (hoc enim eſt, quod ſimpliciter ignoratur); non vero defenditur, quod per errorem vitioſos actus non habuerint pro talibus. Si notio aliqua vitiorum hominibus in ſimplicitate vitæ perſiſtentibus eſſe deberet, aut eam haberent a priori, aut a poſteriori. A priori habere nequeunt, neque enim ſcientias excolunt (§. 74.), immo nec intellectum perficiunt (§. 78.). Fruſtra igitur affirmatur, ipſis aliquam vitiorum notionem a priori venire potuiſſe (§. 438. *Pſych. empir.*). Neque etiam a poſteriori vitia cognoſcere ipſis datur, quia in ſimplicitate vitæ deeſt actus vitioſos patrandi occaſio, quemadmodum quivis facile admittit, qui tantummodo cogitat, in ſimplicitate vitæ hominem paucis contentum eſſe, quæ unicuivis abunde ſuppeditat natura, omnesque eſſe æquales & eodem vivere modo. Quodſi Philoſophia moralis jam extaret, in qua vitiorum origo demonſtranda venit; multo adhuc clarius oſtendi poſſet, quamdiu homines in primæva communione viventes in vitæ ſimplicitate perſiſtunt, vitiorum deeſſe fomitem, conſequenter vitia exulare, nec fieri poſſe, ut eorum hominibus ulla ſit

notio a poſteriori. Quoniam vero nec virtutis cognitio eſt (§. 84.), vitia una cum virtute exulant, ſi non omnia, pleraque certe. Non tamen ideo boni ſunt, qui mala non faciunt, quod deſit faciendi occaſio, & quod ignoti nulla ſit cupido. Secus enim & bruta laudem mererentur, quæ tamen nemo laudaverit, nec laudum capaces judicaverit. Id demum virtutis eſt ac laudem meretur, ſi a vitiis abhorreas ob eorum, quam cognoſcis, turpitudinem virtutis amore. Abſit adeo, ut vitæ ſimplicitatem, de qua nobis in præſenti ſermo eſt, ob vitiorum ignorantiam vitæ cultiori præferas.

§. 88.

Quando in primæva communione nil fiat contra charitatem.

Si in communione primæva in vita ſimplicitate perſiſtunt homines, nulla fere ipſis ratio eſt, cur edant actus charitati contrarios, aut eidem contrarii oriantur affectus, non in nimium multiplicato genere humano. Etenim in vitæ ſimplicitate homines tantummodo corporis conſervandi rationem habent, animæ autem perficiendæ nullam (§. 78.), & vitæ tantummodo neceſſitati proſpicitur, nulla propemodum eſt de ejus commoditate ac jucunditate cogitatio (§. 73.). Non modo paucis indigent homines (§. 69.), ſed etiam nondum multiplicato genere humano rebus induſtrialibus non indigent (§. 72.), pure naturalibus contenti (§. 68.). Quamobrem homo unus raro indiget ope alterius, cumque omnes eodem modo vivant & eodem fruantur jure (§. 39.), nulla ſane ratio eſt, cur unus alterum ſe exiſtimet feliciorem, conſequenter nullus triſtitiæ locus eſt ob felicitatem alterius, adeoque nec invidia locum habet (§. 705. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque charitas virtus eſt, qua alios diligimus tanquam nosmetipſos (§. 620. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter conſtantem & perpetuam exigit voluntatem al-

terius

Digitized by Google

terius felicitatem promovendi, hæc eſt, omni ſtudio id agendi, ut alter ſit felix, ac cavendi, ne fiat infelix (§. 617. *part. I. Jur. nat.*); patet omnino in communione primæva, quamdiu homines in nimium nondum multiplicati in ſimplicitate vitæ perſiſtunt, nullam fere ipſis eſſe rationem, cur edant actiones charitati contrarias, aut cur eidem contrarii oriantur affectus.

In eo ſtatu, quem ſupponimus in propoſitione præſente, nulla vero occaſio ad charitatis exercitium homines invitat, immo vix reperire licet in eodem, per quæ idea charitatis in animis hominum ſuſcitetur, ut adeo quemadmodum virtutum ceterarum, ita hujus quoque tam eximiæ virtutis nulla ſit cognitio (§. 84.). Nemo de charitate cogitat. Accedit, quod ob actionem boni nonniſi negativam (§. 85.) nec felicitatis notio ab omni defectu libera ſit (§. 636. *Pſych. empir.*), ſine qua tamen quid ſit charitas non intelligitur (§. 617. 620. *part. I. Jur. nat.*). Quemadmodum vero nulla propemodum occaſio eſt charitatem exercendi; ita nec facile datur aliqua eidem contrarios actus edendi. Si Philoſophia moralis jam proſtaret, qualem animo conceptam tenemus, multo evidentius ac uberius hæc omnia demonſtrari poterant. Enimvero cum nunc iis contenti eſſe debeamus, quæ unicuique domeſtica experientia ſuggerit; ad confirmandam propoſitionem præſentem hæc annotaſſe ſufficiat. Quoties videmus homines actus charitati contrarios edentes vel affectibus eidem adverſis indulgentes; inquirendum tantummodo eſt in rationem tam illorum actuum, quam horum affectuum, ſeu cur iſtos edant, hiſce indulgeant. Nemo non deprehendet ſtatim abſque ulla difficultate, rationem non eſſe aliam, quam inæqualitatem quoad opes, honores ſeu dignitates & vivendi modum. Inæqualitas iſta prorſus ceſſat in communione primæva, quæ in ſtatu originario obtinet, quamdiu in ſimplicitate vitæ perſi-

perſiſtitur, nec in nimium multiplicatur genus humanum, ut induſtria ſua quid conferre debeant ſinguli ad communem utilitatem, prouti abunde perſpectum eſt ei, qui anteriora animo probe comprehendit. Ceſſat itaque ratio, cur charitati contrarios actus edant homines, & cur adverſis eidem affectibus indulgeant. Non tamen propterea dici poteſt, quod in eo, quem ſupponit præſens propoſitio, ſtatu homines ſeſe diligant mutuo tanquam ſeipſos: nam nil facere contra charitatem non idem eſt ac facere, quod eſt charitatis.

§. 89.

Charitati quinam locus ſit hominibus a ſimplicitate vitæ recedentibus.

Si homines in vitæ ſimplicitate non perſiſtunt; in communione primæva praxis charitatis difficilis eſt, ac facillime oriuntur affectus eidem contrarii. Quodſi enim homines a ſimplicitate vitæ recedunt, non ſolum vitæ neceſſitati proſpiciunt, verum etiam vitam commode ac jucunde tranſigere volunt (§. 73.), nec corporis tantummodo conſervandi, verum etiam animæ perficiendæ rationem habent (§. 78.). Quamobrem non modo rerum neceſſariarum major requiritur varietas (§. 499. *part. I. Jur. nat.*); ſed & utilibus ac voluptuariis opus eſt (§. 500. 501. *part. I. Jur. nat.*). Quoniam itaque experientia in eo, quo nunc vivimus, ſtatu obvia conſtat, naturam res utiles ac voluptuarias non ſua ſponte producere tanta copia, quæ ſufficiat omnibus, immo nec res neceſſarias omnes; eædem induſtriæ ac arti hominum debentur, conſequenter ut proſtent res induſtriales ac artificiales (§. 504. 505. *part. I. Jur. nat.*), omnibus hominibus laborandum eſt (§. 512. *part. I. Jur. nat.*). Enimvero in communione primæva omnibus laborandum eſt communis utilitatis gratia (§. 41.) & eo unusquiſque defungi debet labore, quo maxime opus eſt, & quem recte perficere valet (§. 42.)

(§. 42.). Quamobrem ſi contingat, alium tanto labore defungi vel non poſſe, vel nolle, quo tu defungeris, vel defungi labore, qui tibi alio minus neceſſarius videtur, adeoque eundem non tantundem conferre exiſtimas ad communem utilitatem, quantum a te confertur; cum tamen hoc non obſtante tecum induſtrialium & artificialium uſus eidem non magis pateat quam tibi (§. 32.), immo earundem uſus proportionetur ipſius indigentiæ (§. 33.), ut adeo & plurium, & earum, quæ uſu non conſumuntur, diuturnior uſus eidem ſit concedendus; nemo non facile aſſequitur, quot & quantæ hinc oriantur querelæ de labore alterius, quod & affectet uſum indigentiæ ſuæ proportionatum, qui potius labori communis utilitatis gratia perlato proportionandus videbatur, in æſtimando valore ejus non omnibus conſentientibus. Unde porro intelligitur, quantæ hinc oriantur contentiones, & quod potentiores facile vi impedire conentur, quo minus eis, quem uſu indignum judicant, ab eodem arceant. Hæc omnia eſſe contraria conſtanti ac perpetuæ voluntati omni ſtudio id agendi, ut alter ſit felix, ac cavendi, ne ſit infelix, adeoque dilectioni (§. 617. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter etiam virtuti, qua alios diligimus tanquam nosmetipſos, hoc eſt, charitati (§. 620. *part. I. Jur. nat.*), nemo non intelligit. Abunde igitur patet, ſi homines in ſimplicitate vitæ non perſiſtunt; in communione primæva praxin charitatis admodum difficilem eſſe. *Quod erat primum.*

Si homines in vitæ ſimplicitate non perſiſtunt, in communione primæva iis, qui amore vitæ commode ac jucunde tranſigendæ & artium ac ſcientiarum ducti nulli labori parcunt, iis diſplicet, quod alii, quos rebus communibus

uti,

uti, prouti ipſis opus eſſe videtur (§. 27. 43.); vel otientur, vel non ſatis laborent *per demonſtrata.* Enimvero ſi quod in altero obſervatur, quod diſplicet, odium oritur (§. 677. *Pſych. empir.*). In communione igitur primæva facile oriuntur odia. Si quis alterum videt vel prorſus otiantem, vel ſuo judicio non ſatis laborantem, vel non merentem labore ſuo eum, quem ſibi vindicat, rerum uſum; quin eum indignum judicet jure communibus utendi, prouti ipſi opus videtur, quo una cum ceteris fruitur, qui non modo labore ſeſe magis defatigant, vel plus conferunt earum rerum, quæ ad vitæ commoditatem ac jucunditatem faciunt, vix ac ne vix quidem fieri poteſt. Quoniam itaque invidia oritur, ſi alterum indignum judicamus bono, quo fruitur (§. 714. *Pſych. empir.*); in communione primæva, ſi homines in ſimplicitate vitæ non perſiſtunt, facile invidia oritur. Iisdem poſitis ubi contingit alterum uti re induſtriali & artificiali, qua tu uti volueras, & quæ induſtriæ vel arti tuæ debetur, cum tu ipſi eandem eripere vel ab ea apprehendenda vi depellere non debeas (§. 36. 43.), facile injuriam tibi fieri exiſtimabis (§. 859. *part. I. Jur. nat.*), jus quoddam prælationis in uſu rei, quæ induſtriæ vel arti tuæ debetur, tibi competere opinatus. Quamobrem cum ira naſcatur ex opinione injuriæ nobis factæ (§. 862. *Pſych. empir.*); in communione primæva, a ſimplicitate vitæ recedentibus hominibus, ira facile excandeſcit animus. Et quoniam ira cum cupiditate vindictæ conjungitur (§. 872. *Pſych. empir.*); vindictæ etiam cupidini locus eſt. Affectus hoſce charitati contrarios eſſe, vix opus eſt, ut multis demonſtretur. Ne tamen precario hoc ſumſiſſe videamur; pauca ſaltem indigitanda ſunt. Charitas jubet alterum diligere tanquam ſeipſum (§. 620. *part. I. Jur. nat.*), adeoque con-

conſtanter ac perpetuo omni ſtudio in id eniti, ut alter ſit felix, ac cavere, ne fiat infelix (§. 617. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter voluptatem percipere ex alterius felicitate (§. 904. 558. *Pſych. empir.*). Enimvero qui alterum odit ex ejus infelicitate voluptatem percipit (§. 661. *Pſych. empir.*); qui invidia laborat, ex alterius felicitate tædium percipit (§. 705. *Pſych. empir.*); ira cum cupidine vindictæ conjuncta (§. 872. *Pſych. empir.*), in id, quod malum alteri eſt, fertur (§. 871. *Pſych. empir.*), conſequenter quod tædium ipſi creat (§. 569. *Pſych. empir.*), adeoque infelicem eundem reddit (§. 637. *Pſych. empir.*). Apparet adeo affectus, quas in communione primæva facile oriri poſſe oſtendimus, charitati contrarios eſſe. *Quod erat alterum.*

Qui homines ſupponit, quales ſunt, non quales eſſe debebant, ei nos in evincenda propoſitionis præſentis veritate abunde ſatisfeciſſe exiſtimamus. Adduximus enim rationes ex ipſa communione primæva, qualis eſſe debet hominibus in vitæ ſimplicitate non perſiſtentibus, petitas, cur praxis charitatis ſit difficilis & cur affectus eidem contrarii facile oriantur. An hæ ſufficientes ſint, unusquisque in ſeipſo quodammodo experiri poterit, ſi fingat ſe in ſtatu communionis primævæ eſſe conſtitutum, & in ea obvia caſus conferat cum aliis, quos in ſuo ſtatu ante hac expertus fuerat. Poſterius enim neceſſarium nobis videtur, ne quis plus ſperet de facultatibus ſuis, quam in iis eſt: id quod plerumque accideret ſolet, ubi nos fingimus in iis circumſtantiis poſitos, quæ nondum actu præſentes ſunt. Magna eſt animorum varietas, ſive eos ſpectes quoad ea, quæ natura inſunt, ſive quoad cetera, quæ acquiſita ſunt. Pro hac varietate non ſolum variant hominum judicia, quando de appetibilibus & averſabilibus ferendum eſt judicium; verum etiam ipſæ appetitiones atque averſiones, & iisdem ſo-

cii affectus. Multa adeo diſcuſſione opus foret, quæ nec hujus loci eſt, ſi charitatis deficientis & affectuum eidem contrariorum ortus rationes pro illa varietate determinare vellemus. Diximus tantummodo, charitatis praxin eſſe difficilem in hypotheſi propoſitionis præſentis ac facile oriri affectus eidem contrarios, etſi haud paucos fore arbitror, qui fieri non poſſe exiſtimaturi ſunt, ut charitas mutua vigeat inter homines in eo communionis primævæ ſtatu, quem vi antecedentium in demonſtratione propoſitionis præſentis ſumſimus. Neque inficior, etſi abſolute loquendo impoſſibile non ſit, ut mutua charitate in eo etiam ſtatu, quem ſupponit præſens propoſitio, utantur erga ſe invicem homines, id tamen pro impoſſibili habendum eſſe pro præſenti hominum conditione. Statum integritatis ſupponere non licet, ubi ſtatus corruptionis eſt, ſiquidem cum Theologis loqui volueris. Fingere homines, qui puritate mentis angelis æquipollent, non videtur convenire præſenti inſtituto.

§. 90.

Quando idem magis metuendum.

Quoniam *charitatis praxis difficilis in communione primæva; ſi in vita ſimplicitate non perſiſtunt homines, & facile oriuntur affectus illi contrarii* (§. 89.); utrumque *multo adhuc magis* metuendum eſt, *multiplicato in nimium genere humano.*

Multiplicato enim in nimium genere humano multo major rerum induſtrialium & artificialium copia requiritur ad vitam commode ac jucunde tranſigendam. Et vix credendum eſt, tantam parari poſſe, quanta omnibus ad æque commode ac jucunde vivendum ſufficit. Qamobrem haud difficulter conjectare licet, praxi charitatis mutuæ ſtatum communionis primævæ, qualem hic ſupponimus, magis utique adverſari, ſi genus humanum fuerit multiplicatum, ita ut difficultas exercitii creſcat cum numero hominum, quorum.

Digitized by Google

rum ideuː jus eſt ad vitæ commoditatem & jucunditatem. Querelas continuas de inæqualitate laboris & fruitionis, ſeu uſus rerum, ac inde enatas diſſenſiones, paci communi adverſas, dudum allegarunt, quotquot tam communionem primævam, quam illam *Platonicam* a *Campanella* in Republica Solis renovatam inter ea retulerunt, quæ pro præſenti hominum conditione impoſſibilia ſunt, aut ſubſiſtere non poſſunt.

§. 91.

Vitæ ſimplicitas legi naturæ contrariatur. Etenim in vitæ ſimplicitate tantummodo corporis conſervandi, nulla vero animæ perficiendæ ratio habetur (§. 78.), ac vitæ tantummodo neceſſitati proſpicitur, quæ vero ad vitæ commoditatem ac jucunditatem ſpectant, negliguntur (§. 73.). Enimvero lex naturæ exigit a nobis omnem facultatum noſtrarum uſum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum noſtrum, & ad arcendum omnem ab anima, corpore & ſtatu noſtro imperfectionem requiritur (§. 173. *part. I. Jur. nat.*) ac non uſum prohibet (§. 174. *part. I. Jur. nat.*). Hominem quoque ad vitam commode (§. 466. *part. I. Jur. nat.*) & jucunde tranſigendam obligat (§. 471. *part. I. Jur. nat.*). Vitæ igitur ſimplicitas legi naturæ contrariatur.

Num vitæ ſimplicitas legi naturæ conveniat.

Erunt forſan nonnulli, quibus durum videbitur, vitæ ſimplicitatem inter ea referri, quæ legi naturæ contraria ſunt. Sed hi erunt, qui ex notionibus confuſis de rebus per tranſennam conſpectis judicare ſolent, non expendentes, in quonam vitæ ſimplicitas, in quonam ejus commoditas & jucunditas conſiſtat. Enimvero cum huic dubio jam ſatisfecerimus (*not.* §. 466. 470. *& ſeq. part. I. Jur. nat.*); non opus eſt, ut, quæ ibidem legi poſſunt, repetamus. Quodſi objicias, in vitæ ſimplicitate plerorumque, ſi non omnium

vitiorum eſſe ignorationem (§. 87.), ut adeo parum locus ſit actionibus, quæ legi naturæ adverſantur (§. 322. *part. I. Phil. pract. univ.*), atque hinc porro inferas eſſe eam medium vitia ſi non omnia, ſaltem pleraque exterminandi; cogitandum quoque eſt, in eadem vitæ ſimplicitate non eſſe cognitionem virtutis (§. 84.), adeoque actus poſitivos, qui videntur legi naturæ conformes, eidem non magis convenire, quam actiones brutorum, multasque omitti lege naturali præceptas (§. 321. *part. I. Phil. pract. univ.*), quemadmodum nec actus privativi, quibus vitioſorum omiſſio continetur, legi naturæ reſpondent, quia tales actus non omittuntur tanquam legi naturæ adverſi, ſed quia ignorantur, nec eos edendi occaſio offertur. Neque actus hi privativi virtuti tribui poſſunt, cum virtuoſus actiones legi difformes lubenter ac libere omittere debeat (§. 345. *part. I. Phil. pract. univ.*), vitiorum odio (§. 368. *part I. Phil. pract. univ.*). Ad actionem rectam etiam requiritur notio actionis ſufficienter determinata & judicium verum de ejus malitia, ſi omitti debeat (§. 80. *part. I. Phil. pract. univ*); ad actionum vero rectitudinem ipſa lege naturæ obligamur (§. 189. *part. I. Phil. pract. univ.*). Facultates animæ homini datæ non ſunt fruſtra, ut nullum earum faciat uſum; quin potius naturæ humanæ conforme eſt, ut, quemadmodum organa vitalia corporis ſponte ſua eum faciunt uſum, qui ipſis convenit, ita etiam homo facultatum animæ libere faciat eum uſum, quem habere poſſunt ac vi legis naturalis habere debent. Hinc non per omnia probari poteſt judicium *Juſtini* de Scythis lib. 2. c. 2. quod natura illis dederit, quod Græci longa ſapientium doctrina præceptisque philoſophorum conſequi non potuerunt, cultique mores incultæ barbariæ collatione ſuperentur, neque ſatis ex vero dicitur, ſimplicitatem vitæ eſſe medium exterminandi vitia, cum ſimul exterminetur virtus. Alia vero quæſtio eſt, quantum hominibus in ſimplicitate vitæ ab ineunte ætate perſi-

perſiſtentibus imputari poſſint defectus, quos *per demonſtrata* arguit lex naturæ: quam hic noſtram non facimus.

§. 92.

Quoniam vitæ ſimplicitas legi naturæ contrariatur (§. 91.), juxta legem naturæ autem actiones noſtras determinare obligamur (§. 131. 135. *part. I. Phil. pract. univ.*), hæcque obligatio neceſſaria & immutabilis eſt (§. 142. *part. I. Phil. nat.*); *in vita ſimplicitate hominibus non eſt perſiſtendum.* *An in vita ſimplicitate hominibus perſiſtere liceat.*

Loquimur hic de hominibus in univerſum omnibus ſimul ſumtis aut genere quadam, cui cum aliis cultioribus nullum eſt commercium. Nec vitæ ſimplicitatem aliter interpretari convenit, quam fert definitio ſupra allata (§. 68.) & qualem obſervamus in gentibus incultis.

§. 93.

Si quis in communione primæva ad uſum neceſſarium futurum res quaſdam, quas apprehendit, ſervat, eas ipſi eripere non licet: Si tamen res, quas ſervat, uſu non conſumuntur, interea temporis, quod ipſe iiſdem non utitur, earum uſum aliis concedere tenetur. Etenim in communione primæva uſus rerum unicuique patet, prout ipſi opus eſt (§. 27.), indigentiæ ipſius proportionatus (§. 33.), & uniuſcujusque judicio relinquitur, in quantum uſus rerum ſit neceſſarius & quanto ſit indigentia ſua (§. 43.). Quamobrem ſi cui videtur uſus quarundam rerum neceſſarius in futurum, quin uſus futuri gratia res iſtas apprehendere, conſequenter in eundem ſervare liceat, dubitandum non eſt. Enimvero ſi quis uſus neceſſarii gratia rem quandem manu apprehendit, nemini licet eandem ipſi invito eripere (§. 30.). Ergo nec res eripere licet, qas quis in communione primæva ad uſum neceſſarium futurum ſervat. *Quod erat unum.* *An in communione primæva quadam in futurum uſum ſervari poſſint.*

Porro in communione primæva rerum omnium uſus neceſſarius promiscue patet omnibus (§. 19.), nec quisquam ab eodem arceri poteſt (§. 20.), & ubi re quadam uteris, non uteris tanquam tua; ſed tanquam communi (§. 37.), conſequenter etiam ubi eandem ſervas uſus futuri gratia, non ſervas tanquam tuam, ſed tanquam communem. Quamobrem quod rem quandam in uſum futurum ſervas, eo ipſo non tollitur jus alterius. Quodſi ergo interea temporis re iſta, quam in futurum uſum ſervas, uti poſſit, cum uſu non conſumatur *per hypotheſin*, eidem is omnino concedendus. *Quod erat alterum.*

Equidem non ignoro, quibusdam hoc pacto videri proprietatem in troduci in communione, quia ab uſu ejus rei, quam quis apprehendit, excluduntur ceteri omnes ac idem reſtringitur nonniſi ad unum, eum ſcilicet, qui uſus præſentis vel futuri gratia rem quandam apprehendit; minime tamen hoc inde ſequitur. Neque enim ſolum jam *Grotius* lib. 2. c. 2. §. 2. recte obſervavit, quod talis uſus univerſalis juris ſit vice proprietatis quia quod quisque ſic arripuerat, id ei eripere alter niſi per injuriam non poterat; verum etiam nos ſupra oſtendimus, quod in communione primæva nemo utatur rebus tanquam ſuis, ſed tanquam communibus (§. 37.): id quod clarius conſpicitur in iis rebus, quæ uſu non conſumuntur & quarum uſum plures alii participare poſſunt. Si quæ enim uſu non conſumuntur, finito rerum uſu, alius quicunque iisdem licite uti poteſt, nec is, qui uſus ante fuerat eum ab earundem uſu arcere poteſt (§. 38.), & ſi res in uſum futurum aſſervatur, interea temporis ejus uſum alii cuicunque concedere tenetur, qui futuri uſus gratia eam apprehendit, *vi præſentis*: Si vero alii uſum participare velint, paticipatio omni volenti permittenda (§. 40.). Nullum vero foret jus utendi competens unicuique, niſi idem exercere valeret, conſequen-

quenter ſi alteri liceret impedire uſum rei, quæ eodem conſumitur, & ſibi vindicare, vel ejus, quæ uſu non conſumitur, uſum eodem tempore prætendere licite poſſet. Neque enim rei natura patitur, ut rei, quæ uſu conſumitur, uſum plures ſimul actu faciant, aut, ſi uſu non conſumitur, eodem faciant tempore (§. 34.). Diſtinguendum eſt inter jus & exercitium juris, quod in actu conſiſtit. Jus univerſale eſſe poteſt, etſi actus non ſit niſi ſingularis. Quando autem de proprietate ſermo eſt, non quæritur, num idem actus eodem tempore non poſſit eſſe niſi unius: Sed an jus, hoc eſt facultas moralis edendi iſtius modi actum (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*), uni ſoli competat. In priori caſu phyſice impoſſibile eſt, ut eadem re, quæ uſu conſumitur, utantur plures, ea autem, quæ uſu non conſumitur, utantur ſimul eodem tempore (§. 34.): in poſteriori autem moraliter impoſſibile eſt, ut eadem utantur plures, prout ipſis opus videtur.

§. 94.

An in communione primæva ex peregrinis regionibus res petere liceat & quales inde allatæ ſint.

In communione primæva incolis cujuscunque regionis excurrere licet in regionem quamcunque aliam ut inde petant res, quarum uſus ipſis neceſſarius: ſi vero eas apportent in eam regionem, quam ipſi incolunt, omnium uſibus ibidem promiſcue patent, prouti cuique opus fuerit. Etenim in communione primæva res omnes per totum terrarum orbem communes ſunt (§. 24.) & nemo ab uſu earundem arceri poteſt (§. 20.). Quamobrem rerum, quæ dantur in regione quacunque, uſus non modo patet incolis ejusdem regionis, verum etiam hominibus quibuscunque aliis in aliis regionibus commorantibus, nec quisquam eorum ab earundem uſu arceri licite poteſt. Quodſi ergo homines aliam regionem incolentes excurrant in aliam, ut inde petant res, quarum uſus ipſis neceſſarius eſt; hoc ipſis facere licet. *Quod erat unum.*

Res,

Res, quæ ex regionibus aliis afferuntur in alias, in quibus non naſcuntur, æquipollent iis, quæ natura nonniſi interveniente opera humana producit, adeo induſtrialibus (§. 504. *part. I. Jur. nat.*). Enimvero in communione primæva rerum induſtrialium uſus non magis patet iis, quorum induſtriæ eæ debentur, quam alii cuicunque (§. 32.), prouti ipſi fuerit opus (§. 27.). Ergo ſi quis in communione primæva ex regionibus aliis apportet res in aliam, in hac earum uſus non magis ipſi patet, quam alii cuicunque regionis iſtius incolarum, prouti unicuique opus fuerit. *Quod erat alterum.*

Paradoxum, immo abſurdum hoc videbitur noſtris moribus, ubi ſenſus proprietatis occupavit hominum animos, ut eidem e diametro contraria ſenſui, quem dicunt, communi repugnare arbitrentur. Neque enim acumine ſuo diſcernunt, undenam ſit illa repugnantia. Abſurdum adeo videtur, magno ſudore aliunde allata, aliorum non minus, quam ſuo uſui deſtinata eſſe debere, ita ut unius cujusque indigentia uſum actualem determinet. Enimvero cum ex ipſa demonſtratione pateat, res aliunde allatas æquiparandas eſſe induſtrialibus, non major hic difficultas eſt, quam quod res induſtriales incorporentur pure naturalibus (§. 31.), ut cum pure naturalibus conſtituant communem quandam toti generi humano maſſam bonorum (*not.* §. *cit.*). In communione primæva, qua nullæ res dantur ſingulorum (§. 24.), aliud quid obtinere nequit. Abſit autem ut tibi perſuadeas, humanæ naturæ repugnare, ut ex aliis regionibus apportentur res in communem maſſam redigendæ, ut inde provideatur indifferenter cuicunque prouti ipſi opus fuerit. Contrarium enim loquitur praxis religioſorum (*not.* §. 30.). Quodſi tibi videatur votum obedientiæ & hinc pendentem ſubjectionem libertatem voluntatis non prorſus intactam relinquere, ut faciant, quod ſua ſponte ſibi relicti

relicti non facerent; mihi quidem durum, immo iniquum videtur de religioſis in univerſum omnibus ita ſentire, quaſi nullus eorum infucata charitate fratrum frueretur & cum gaudio quæreret quod aliorum, non quod ſuum eſt: nolo tamen ea de re litigari cum hominibus, quorum animos affectus in transverſum abripit. Ad aliud igitur exemplum provoco omni exceptione majus. Labor non magis moleſtus concipi poteſt homini præſertim erudito & qui acumine intellectus vincit alios, quam conſtructio Tabularum Sinuum & tangentium atque Logarithmorum, ut de aſtronomicis nihil dicam. Tabularum igitur conditores eo fuerunt animo, ut utilitatis alienæ gratia multas calculorum moleſtias ſine ullo ſuo commodo devorare non dubitaverint. Dantur omnino homines, quorum ea eſt indoles, ut de aliis bene mereri magis ipſis volupe ſit, quam propriæ utilitati velificari: qualis animus charitati apprime convenit, & hinc naturæ lege ab omnibus exigitur. Ceterum ſi quis uſus rei a ſe aliunde allati fuerit neceſſarius, cum eam hujus gratia jam arripuerit, nemo eandem ipſi eripere licite poteſt, etiamſi ejus uſus ipſi ſit neceſſarius (§. 36.). Non tamen hoc in caſu re iſta utitur tanquam ea, in quam ipſi jus quoddam potius competit, quod eandem aliunde apportavit, ſed tanquam communi (§. 37.), quatenus ſcilicet contingit ejus ipſi uſum ante neceſſarium eſſe, quam alteri, aut providentiæ convenit eandem in uſum certo futurum aſſervari (§. 93.).

§. 95.

An in communione primæva incolæ regionis unius ſede ſua licite expellantur ab aliis.

In communione primæva non licet incolas regionis cujusque ſede ſua expellere aliis eandem incolere volentibus. Etenim cum res omnes corporales, quorum etiam in numero Terra eſt, commune hominum ac animalium omnium habitaculum (§. 495. 496. *part. I. Jur. nat.*), omnium uſui promiſcue pateant (§. 19.); Terra etiam quoad habitationem promiſcue patet

patet omnibus omnino hominibus, ita ut unusquisque in ea ſedem ſibi eligere poſſit, prouti viſum fuerit (§. 43.). Enimvero in communione primæva nemo alius uſum ejus rei licite prætendit, qua tu actu uteris, eodem tempore (§. 35.), nec ab uſu rerum neceſſario quisquam arceri poteſt (§. 20.). Quamobrem cum regionem, quam alii jam actu incolunt, inhabitare velle alii licite nequeunt, nec incolas ſede ſua expellere eo fine licet.

Non eſt, quod hic fingas proprietatem in communione; quod in primitiva utique abſurdum, quæ res nullas novit niſi communes (§. 24.). Qui tractum quendam Telluris incolunt, eum incolunt tanquam communem, non tanquam ſibi proprium; cujus effectus eſt, ut nec aliis denegent acceſſum in eandem regionem, ibidem commoraturis, quamdiu viſum fuerit (§. 66.), vi juris participandi uſum ejus rei, quem alius actu facit, plures vero participare poſſunt (§. 40.). Quodſi tractus terræ conſideretur tanquam res corporalis, qua jam actu utitur aliquis; nihil difficultatis erit circa propoſitionem præſentem. Quæ enim de uſu cujuscunque rei dicta ſunt, ea etiam de partibus ſuperficiei Telluris, quæ inhabitantur, intelligenda ſunt, modo obſervetur, earum uſum in eo conſiſtere, ut inhabitentur. Pellere adeo alterum ſede ſua, quam ſibi habitaculum commodum elegit, perinde eſt ac pomum eripere e manibus, quod comedere jam cœpit. Cum nemo non fateri debeat in communione primæva hoc non licere; nec affirmare licet, quod incolas regionis cujusdam ſede ſua pellere permiſſum ſit aliis, qui eandem incolere volunt.

§. 96.

In communione primæva nemo eſt — *In communione primæva homines omnes ſimul non ſint niſi uſuarii rerum omnium tam pure naturalium, quam induſtrialium & artificialium; ſive ſua induſtria ac arti, ſive aliena habeantur.*

tur. Etenim in primæva communione nemini præter uſum rerum corporalium neceſſarium jus quoddam in eas competere poteſt (§. 21.) & rerum induſtrialium & artificialium uſus non magis patet iis, quorum induſtriæ ac arti eæ debentur, quam alii cuicunque (§. 32.). Quoniam itaque nonniſi uſuarius eſt, cui præter jus re quadam utendi nullum aliud in eandem ipſi competit (§. 377. *part. I. Jur. nat.*); in communione primæva homines omnes ſimul non ſunt niſi uſuarii rerum omnium tam pure naturalium, quam induſtrialium & artificialium, ſive ſuæ induſtriæ ac arti, ſive alienæ hæ debeantur. *niſi uſuarius.*

Non eſt, quod excipias, in communione primæva homines etiam percipere fructus rerum corporalium, conſequenter iisdem quoque competere debere jus fruendi (§. 958. *part. I. Jur. nat.*), adeoque jus utendi & fruendi ſimul. Dicendos igitur eſſe potius uſufructuarios, quam uſurarios. Etenim jam ſuperius (§. 22.) evicimus, in communione primæva fructus rerum tantummodo ſpectari tanquam res, nec quoad jus inter rem & ejus fructum tum ullam eſſe differentiam.

§. 97.

Quicquid in communione primæva citra uſum neceſſarium circa res quascunque tam induſtriales & artificiales, quam pure naturales fit; id licitum non eſt. Etenim præter uſum rerum neceſſarium in communione primæva homini nullum jus competit (§. 21.), cumque res induſtriales ac artificiales incorporentur pure naturalibus (§. 31.), una cum his eidem juri ſubjiciuntur (§. 30.). Quicquid igitur circa res quascunque tam induſtriales & artificiales, quam pure naturales citra uſum neceſſarium fit, id nullo jure fit. Quamobrem cum licitum non ſit, quod nullo jure fit (§. 170. *Quidnam in communione primæva non ſit licitum.*

part. I. Jur. nat.) ; quicquid in communione primæva citra uſum neceſſarium circa res quaſcunque tam induſtriales & artificiales, quam pure naturales fit, id licitum non eſt.

Habemus adeo principium fœcundum diſcernendi quod licet ab eo, quod non licet in communione primæva. Actus nimirum omnes aſtimantur ex uſu rerum communium neceſſario. Abſit autem ut res neceſſarias cum uſu rerum neceſſario confundas, conſequenter rerum utilium & voluptuariarum uſum, præſertim harum, damnes: quod idem foret ac ad vitæ ſimplicitatem redire velle, in qua tamen hominibus non eſt perſiſtendum (§. 92.). Habent nimirum etiam res utiles ac voluptuariæ uſum neceſſarium, ad hoc requiſitum, ut obligationi noſtræ naturali ſatis faciamus (§. 12.), cum ad vitam quoque commode ac jucunde tranſigendam obligemur (§. 466. 471. *part. I. Jur. nat.*), quo uſus rerum utilium & voluptuariarum facit (500. 501. *part. I. Jur. nat.*).

§. 98.

Idem ulterius explicatur. Quoniam uſus neceſſarius eſt, qui ad hoc requiritur, ut obligationi noſtræ naturali ſatisfaciamus (§. 12.), quicquid vero *in communione primæva* citra uſum neceſſarium *circa res quaſcunque tam induſtriales & artificiales, quam pure naturales* fit, id licitum non eſt (§. 97.); *quicquid* circa easdem, *fit, nec ad ſatisfaciendum obligationi cuidam naturali facit, id licitum non eſt.*

Videmus adeo, quomodo definiendum ſit in caſu quocunque dato, num actus pertineat ad uſum neceſſarium rerum, an citra eundem fiat. Ita temporis fallendi gratia deſtruere res neceſſarias omnino actus eſt, qui ad hoc non requiritur, ut obligationi cuidam naturali ſatisfacias: unde apparet, id licitum non eſſe. Similter nimiam cibi quantitatem capere obligationi naturali repugnat (§. 402. *part.*

part. I. Jur. nat.), adeoque actus hic ad hoc minime requiritur, ut obligationi cuidam naturali ſatisfiat unde apparet nemini licere in communione primæva earum rerum, quæ nobis alimento ſunt, majorem quantitatem arripere, quam quæ corpori conſervando ſufficit. Nimirum etſi in communione primæva uniuscunque judicio relinquendum ſit, quid ipſi opus ſit (§. 43.); non tamen propterea liberaris ab obligatione naturali, cui ſatisfaciendum, etiamſi pro arbitrio tuo rebus communibus utaris. Uſus continetur intra obligationis naturalis limites, quos quamprimum quis tranſilit in abuſum degenerat.

§. 99.

Omnis actus circa res obligationi cuidam noſtræ naturali contrarius abuſus rerum eſt. Abuſus enim cum opponatur uſui (§. 646. *part. I. Theol. nat.*); iis conſtare debet actibus, qui illis, in quibus uſus conſiſtit, contrarii ſunt. Enimvero uſus rerum conſiſtit in actibus, ſine quibus obligationi noſtræ naturali ſatisfacere non poſſumus (§. 12.) atque hoc intuitu eundem homini neceſſarium diximus (§. *cit.*). Ergo abuſus conſiſtere debet in actibus, qui obligationi cuidam noſtræ naturali adverſantur. Patet itaque omnem omnino actum circa res obligationi cuidam noſtræ naturali contrarium eſſe abuſum rerum. *In quonam abuſus rerum conſiſtat.*

E. gr. Solius voluptatis percipiendæ gratia cibum ac potum appetere licitum non eſt (§. 412. *part. I. Jur. nat.*). Abuſus adeo cibi eſt, ſi quis eodem non fruitur niſi voluptatis ſolius gratia. Idem dicendum eſt de vino generoſo, eodem fine hauſto.

§. 100.

In communione primæva nemo majorem vitæ commoditatem ac jucunditatem licite prætendit altero. Etenim in communione *Num diverſum vivendi genus conve-*

nlat communioni primævæ. ne primæva hominibus in univerſum omnibus idem jus eſt ad res omnes corporales (§. 3. 9.), etiam induſtriales & artificiales (§. 29.), nec ultra uſum neceſſarium hoc jus extenditur (§. 21.), ſed quicquid præter eundem circa rem quamcunque fit, id licitum non eſt (§. 97.). Nemo igitur uſum quendam licite prætendit, quem non æque alius quicunque prætendere poſſit (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero rerum uſus facit ad vitam conſervandam & commode ac jucunde tranſigendam, ac ad animæ corporisque perfectionem quomodocunque promovendam (§. 495. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem nemo majorem vitæ commoditatem ac jucunditatem licite prætendit altero in communione primæva.

Diverſum vivendi genus repugnat æqualitati juris in communione primæva. Atque ea ratio eſt, quod vitæ ſimplicitati maxime conveniat, quæ diverſitatem non admittit (§. 68.); quamprimum autem a ſimplicitate vitæ receditur, praxis charitatis reddatur difficilis, ac affectibus ei contrariis frequens detur locus (§. 89.). Experimur quotidie, quomodo homines alii aliorum vivendi genus affectent, ne videri velint deterioris conditionis: ut adeo nihil magis aptum ſit ad gignendam invidiam aliosque charitati adverſos affectus, quam diverſi vivendi generis affectatio in communione primæva.

§. 101.

Quænam circa uſum rerum utilium & voluptuariarum obſervanda. Quoniam in communione primæva nemo majorem vitæ commoditatem ac jucunditatem licite prætendit altero (§. 100.); *ſi quis rebus quibusdam alios indigere novit ad vitæ neceſſitatem, iis uti non licet ad utilitatem & jucunditatem.* Cumque nemo non concedat vitæ commoditatem præſtare

re nuda delectatione; *nec ad jucunditatem vitæ uti licet rebus, quas quis novit alios indigere ad vitæ utilitatem.*

Oſtendimus res utiles voluptuariis, neceſſarias autem & utilibus, & voluptuariis anteponendas eſſe (§. 502. *part. 1 Jur. nat.*). Quemadmodum itaque hæc unusquisque obſervare tenetur reſpectu ſui in quocunque ſtatu; ita idem tenere debet reſpectu cæterorum in communione primæva, ubi omnes ſimul idem jus, quod promiſcue competit ſingulis, unam facit perſonam moralem. Si quis adeo in ea communione ad utilitatem vel jucunditatem utitur rebus, quæ aliorum neceſſitati ſerviunt ac ſervire debent, cum hoc pacto res neceſſarias vertat in utiles vel jucundas, vel etiam utiles in jucundas, utiles & jucundas neceſſariis, jucundas utilibus anteponere dicendus eſt contra id, quod fieri debet. Juſtitia univerſalis jus ſuum tribuit alteri quoad omnes actiones, quatenus reſpiciunt alios (§. 934. *part. 1. Jur. nat.*). Eidem igitur convenit, ne in uſu rerum communium quocunque modo violetur jus alterius. Jubet ea, quemadmodum in omnibus aliis, ita etiam in uſu rerum communium aliorum ſemper haberi rationem, ne cui ſint juſtæ de eo, quem nos facimus, uſu aliorum querelæ. Ceterum neceſſitas vitæ hic æſtimanda eſt non modo quoad corpus, verum etiam quoad animam, quemadmodum fert rerum neceſſariarum definitio (§. 499. *part. I. Jur. nat.*).

§. 102.

In communione primæva non licitus eſt uſus rerum, qui tendit ad minuendum earum numerum indigentiæ communi proportionatum. Homines enim operam dare debent, ne deſit ſufficiens copia rerum neceſſariarum, utilium & voluptuariarum, ſive induſtrialium, ſive artificialium (§. 511. *part. I. Jur. nat.*). Ergo omittere debent ea, quæ tendunt ad minuendam hanc copiam, conſequenter earum numerum in com-

Qui nam uſus in primæva rerum communione illicitus.

communione primæva indigentiæ communi proportionatum. Quamobrem ſi quarundam rerum uſus tendat ad minuendum earum numerum indigentiæ communi proportionatum, quin is in communione primæva ſit omittendus, adeoque lege naturali prohibitus (§. 163. *part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter illicitus (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*), dubitandum non eſt.

Ita in communione primæva non licet cædere arbores frugiferas propter ligni uſum, ſi alimentorum copia non fuerit ſuperflua, ut, quæ natura profert, omnia conſumi minime poſſint, nec quorundam annorum ſterilitas compenſanda ſit fertilitate aliorum. Eadem de cauſa non capere licet piſciculos, antequam præfixam ſibi a natura attigerint metam. Probe hæc notanda ſunt, cum habeant uſum in definiendo jure ſuperiori civitatis competente uſum dominiorum legibus poſitivis limitandi.

§. 103.

An in communione primæva unus quoad jus excludat alterum.

In communione primæva nemo excluditur a jure utendi re quacunque. Etenim in communione primæva omnibus idem jus eſt in res quaſcunque (§. 3. 9.), iisdem nempe utendi (§. 21.), prout ipſi opus fuerit (§. 27.), nec ab uſu rerum corporalium neceſſario quisquam arceri licite poteſt (§. 20.). Patet adeo in communione primæva neminem excludi a jure utendi re quacunque.

Diſtinguendum eſt jus utendi ab uſu actuali, qui in facto conſiſtit. Jus excludit neminem quippe quod commune eſſe non repugnat: aſt uſus actualis ſive factum, quod nonniſi unius eſſe poteſt (§. 34.), excludit ceteros omnes. Nimirum poterant & ipſi eadem re licite uti, niſi jam alius eadem uteretur: ſed ubi alius eadem jam utitur, per ſe patet, quod idem fieri nequeat.

§. 104.

§. 104.

Communio negativa dicitur, in qua res communes ſunt nullius. *Communio negativa quaenam dicatur.*

Ideo nimirum negativa appellatur, quia res, in quas omnibus idem jus competit, nullius ſunt, ut nec omnes ſimul dicere poſſint, eas eſſe ſuas, nec unus eorum dicere queat, quod ſuæ ſint. Equidem quidam communionem negativam dici arbitrantur, quod nemini eorum, qui in communione ſunt, animus ſit alium quemcunque ab uſu earundem rerum excludendi; immo in eo communionem primævam conſiſtere ſibi perſuadent; non tamen hi jus a facto diſtinguunt, quod ex illo ortum trahit. Etenim ſi res ſunt communes omnibus in univerſum hominibus, cuilibet eorum competit jus utendi re quacunque. Ac ideo prohibitum eſt, ne quis alterum ab uſu rei cujuscunque arceat. Factum hoc redditur illicitum a jure alterius, quod eodem violatur. In nulla communione licite ab uſu rei arcetur, qui jus utendi commune habet, ab altero. Atque propterea hoc nihil facit ad ſeparandam communionem negativam a poſitiva. Differentiam hanc peperit rerum nullius & propriarum, ſeu quæ ſunt ſingulorum, differentia: ut adeo negativa communio peculiarem conſtituat communionis ſpeciem, quatenus res communes in ea ſunt nullius.

§. 105.

Communio primæva negativa eſt. Etenim in communione primæva res omnes ſunt communes (§. 24.), etiam induſtriales & artificiales (§. 29.). Nullæ earum ſunt ſingulorum (§. 24.), adeoque nulla datur, ad quod homini cuidam ſoli in ſingulari jus proprium competat (§. 5.). Quamobrem cum res nullius ſint, ad quas nemini hominum competit jus proprium (§. 6.); res in communione primæ- *Communio primæva qualis ſit.*

Digitized by Google

va communes nullius ſunt. Communio negativa eſt, in qua res communes ſunt nullius (§. 104.). Primæva igitur communio negativa eſt.

Patebit deinceps, ere eſſe, ut communio negativa a poſitiva diſtinguatur, ne uni tribuantur, quæ nonniſi alteri propria ſunt. Quamobrem conſultum fuit oſtendere, qualis communio ſit primæva, ne eidem tribuas, quæ communioni nonniſi poſitivæ conveniunt, vel ea, quæ de primæva demonſtrata ſunt, parum congrue ad poſitivam applices. Ceterum cum primæva communio negativa ſit, hoc eſt ea, quæ natura datur, res omnes communes, ſed nullam ullius faciens; quæ de eadem qua primæva oſtendimus, de communione negativa accipienda ſunt.

§. 106.

An communio primæva legi naturæ contrarietur.

Communio primæva per ſe legi naturæ non contrariatur; ſed cum eadem apprime conſentit. Quodſi enim homines in charitate mutua perſiſtunt, etiamſi in vitæ ſimplicitate legi naturæ contraria (§. 91.) non perſiſtant, nulla in communione primæva metuenda ſunt bella, nec metuendus eſt rerum induſtrialium & artificialium defectus (§. 75.), conſequenter ratio nulla eſt, cur in eadem perſiſtere non detur (§. 56. *Ontol.*): absque charitate autem ea ſubſiſtere nequit, ne quidem in ſimplicitate vitæ, multiplicato nimium genere humano (§. 77.). Enimvero homines ad charitatem mutuam colendam ipſa lege naturali obligantur (§. 621. *part. I. Jur. nat.*). Quamdiu itaque actiones ſuas juxta legem naturæ determinant, quemadmodum debent (§. 70. *part. I. Phil. pract. univ.*); nulla datur ratio, cur in ea perſiſtere non poſſint, adeoque ea per ſe legi naturæ non contrariatur. *Quod erat unum.*

Com-

Communio primæva ſubſiſtere poteſt, quamdiu homines in mutua charitate perſiſtunt (§. 75.). Enimvero charitas mutua lege naturali præcipitur (§. 621. *part. I. Jur. nat.*), cumque hominum nullus ſe ſtatumque ſuum ſolus perficere poſſit, quemadmodum urget lex naturæ (§. 167. *part. I. Phil. pract. univ.*), ſed unusquisque aliorum indigeat auxilio, nec niſi conjunctis viribus perfectio iſta obtineri poſſit (§. 220. *part. I. Phil. pract. univ.*), & hinc unus quisque ad perfectionem alterius ſtatusque ipſius conferre teneatur per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam, quantum conferre valet (§. 222. *part. I. Phil. pract. univ.*), omnes autem ſimul obligentur ad perfectionem ſuam ſtatusque ſui conjunctis viribus promovendam (§. 221. *part. I. Phil. pract. univ.*) charitas autem, quæ quemvis alium diligi jubet tanquam ſeipſum (§. 620. *part. I. Jur. nat.*), urgeat ut alterius felicitatem omni ſtudio promoveamus (§. 617. *part. I. Jur. nat.*), charitate nihil naturæ humanæ, conſequenter legi naturæ quæ in ea rationem ſufficientem habet (§. 135. *part. I. Phil. pract. univ.*), convenientius dici poteſt. Quamobrem patet, ipſam quoque primævam communionem cum naturæ lege apprime per ſe conſentire. *Quod erat alterum.*

Conſentit utique cum lege naturæ, quod ejus cuſtodiæ ſubſiſtentiam ſuam debet. Quamobrem nemo non conſenſum communionis primævæ cum lege naturali agnoſcere tenetur, modo animo comprehenſa teneat, quæ in anterioribus demonſtrata ſunt, iisque principiis, quæ in parte prima tam Philoſophiæ practicæ univerſalis, quam Juris naturalis evicimus, animum habuerit imbutum. Quodſi communio primæva per ſe legi naturæ contrarietur; neceſſe omnino foret, ut, ſi homines in eadem perſiſtere vellent, actiones ſuas contraria ratione determinare deberent, quam

juxta legem naturæ determinare debebant. Enimvero communio primæva per ſe non obſtat, quo minus homines actiones ſuas juxta legem naturæ determinent; quin potius mutuam charitatem urget, cum ſine ea ſubſiſtere nequeat (§. 77.). Omnia adeo incommoda, quæ in communione primæva locum habent, ex eo ſunt, quod homines actiones ſuas legi naturæ convenienter determinare nolint, quemadmodum debebant. Conſenſus communionis primævæ cum lege naturali non tollitur niſi ejus transgreſſione (§. 139. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quod vero transgreſſioni legis naturæ contrarium; id ipſi naturæ legi contrarium eſſe nequit, ſed potius cum eodem conſentiat neceſſe eſt.

§. 107.

An in communione primæva perſiſtere, aut eam imitari ſit licitum.

Quoniam communio primæva per ſe legi naturæ non contrariatur, ſed cum eadem apprime conſentit (§. 106.); *legi quoque naturæ non adverſatur, ut in communione primæva perſiſtatur, aut etiam, ubi res ſingulorum eſſe cæperunt, cætus quidam hominum in iis, quæ ipſorum ſunt, aut quorum uſus iisdem proprius eſt, communionem primævam imitentur.*

Patet adeo communionem primævorum Chriſtianorum Hieroſolymis, quæ imitabatur primævam (*not.* §. 27.), non fuiſſe juri naturali adverſam. Et ſimiliter cum communio religioſorum eandem imitetur (*not* §. 31.); nec eadem legi naturæ adverſa dici poteſt, immo vi voti obedientiæ obtinetur, ut cum eadem apprime conſentiat (*not.* §. 63.).

§. 108.

Legi naturali non repugnat, ut res fiant ſingulorum. Etenim lex naturæ hominibus confert jus rebus utendi, prouti cuique opus fuerit, ad ſatisfaciendum obligationi ſuæ naturali (§. 159. *part. I. Phil. nat.*). Quoniam uſus rerum depen-

dependet a rebus ipſis antecedenter ad jus, quod homini in eas competere poteſt (*not.* §. 495. *part. I. Jur. nat.*), non autem a jure, quod homini in eas competit; idem manet, ſive omnibus idem jus in easdem res indifferenter competat, ſive uni ſoli in res certas in ſingulari, quibus opus habet, conſequenter ſive res ſint communes (§. 4.), ſive ſingulorum (§. 5.). Atque adeo cum uſus neceſſarius ad hoc requiratur, ut obligationi ſuæ naturali ſatisfaciat homo (§. 12.); obligationi naturali non minus ſatisfieri poteſt, ſi res fiant ſingulorum, quam ſi communes fierent, earundem uſu. Quamobrem patet legi naturali, quatenus vult nos rebus uti ad ſatisfaciendum obligationi noſtræ naturali (§. 12. 14.), non minus ſatisfieri poſſe, ſive res fuerint communes, ſive fiant ſingulorum. Legi ergo naturali non repugnat, ut res fiant ſingulorum.

Uſus rerum ſpectatur tanquam medium, & obligatio, cui rerum uſu ſatisfieri debet, tanquam finis. Quamdiu itaque uſus rerum invariatus manet, etiamſi jus eodem utendi varier, finem eodem modo conſequi licet. Perinde igitur eſt, ſive indifferenter in res, quibus opus habes, tibi competat jus, ut eas arripias atque iisdem utaris, quando opus habes; ſive res quædam, quibus opus habes, tuæ ſint, nec præterquam tibi jus iisdem utendi ulli jus competat. Finem adeo cum conſequi detur, quem lex naturæ intendit, dum uſum rerum concedit, ſive res ſint communes, ſive ſingulorum fiant, nec primæva rerum communio, nec earum proprietas legi naturæ repugnat. Eadem igitur ſalva & in communione primæva perſiſti, & in proprietatem res deduci poſſunt; modo non aliæ ſint cauſæ, ob quas homines ſive jure communi, ſive proprio utentes legem naturæ transgredi, quam cuſtodire malint. In utroque caſu quæ emergunt incommoda ex ſola transgreſſione legum natura-

tium, non ex differentia juris reſultant. Inde eſt, quod nonnulli affirment, legem naturæ hominum arbitrio relinquere, utrum in communione perſiſtere, an vero res in proprietatem deducere velint, reſpectu nimirum habito ad res ſolas & jus in eas competens, non vero ſimul ad hominum mores, quorum ſi rationem habere velis, non amplius indifferens eſt, ſive jure communi, ſive proprio utantur homines, quemadmodum ex iis liquet, quæ in anterioribus demonſtrata ſunt (§. 77.).

§. 109.

An communionem primævam tollere licuerit.

Quoniam res ſingulorum fieri nequeunt, niſi communes eſſe deſinant (§. 4. 5.), conſequenter niſi communio primæva tollatur (§. 24.), *legi* autem *naturæ* non repugnat, ut res fiant ſingulorum (§. 108.); eidem quoque *non repugnat, ut communio primæva tollatur, ſeu ab eodem diſcedatur.*

Errant adeo, qui ſibi perſuadent non ſine multorum injuria a communione primæva fuiſſe diſceſſum, & charitati adverſum ſtatuunt, quod fuerit ſublata, ideo eandem reduci debere contendentes: id quod facere voluiſſe *Johannem Lugdunenſem*, Anabaptiſtarum ſectæ addictum, *Thuanus* autor eſt lib. 1. & 50. In omni philoſophia, quæ circa actiones hominum verſatur, multa cautione opus eſt, ne judicium præcipitetur, cum ſæpiſſime aliquo reſpectu vera appareant, quæ rite expenſa a veritate procul diſtant. Exemplo præſenti hoc doceri poteſt, modo ſufficiens afferatur attentio. Qui præſentem rerum ſtatum conſiderantes animum ad inæqualitatem in uſu rerum obviam advertunt, & in communione primæva omnibus idem jus fuiſſe perpendunt; hinc protinus inferunt, violatum eſſe jus multorum, dum communione ſublata in proprietatem res fuerunt deductæ. Arbitrantur nimirum quoad uſum rerum perfectam obſervandam eſſe æqualitatem, & abuſus in præſenti rerum ſtatu

tu

tu obvios juri proprio tribuunt, a quibus communionem primævam prorſus liberam ſibi imaginantur. Nemo non vel ex hiſce videt, quomodo confundantur, quæ diſcernenda ſunt; quomodo non conſiderentur, quæ inprimis attentionem merebantur; quomodo fingantur, quæ non ſunt, aut ſaltem ſupponantur tacite, quæ eſſe nequeunt.

CAPUT II.

De dominio & modo idem acquirendi originario.

§. 110.

Quales res eſſe poſſint.

R*es omnes aut communes eſſe debent, aut ſingulorum.* Etenim aut omnibus indifferenter competit jus idem in rem quamcunque, aut in eandem rem jus nullum competit niſi uni ſoli, aut pluribus, quatenus in oppoſitione ad ceteros homines inſtar unius perſonæ conſiderantur. Enimvero ſi idem jus omnibus indifferenter competit in rem eandem, ea communis eſt (§. 4.); ſi vero in eandem rem non competit jus ullum niſi uni ſoli, conſequenter etiam pluribus, quatenus ſimul ſumti inſtar unius perſonæ ſpectantur in oppoſitione ad ceteros homines, ea pertinet ad res ſingulorum (§. 5.). Patet itaque res omnes aut communes eſſe debere, aut ſingulorum.

Natura res omnes communes ſunt, nullæ ſingulorum (§. 7. 5.). Quod adeo uni jus eſt in rem quamcunque, id etiam alteri cuicunque competit (§. 3.). Inde eſt, quod non minus alius quicunque eandem in uſum ſuum arripere licite poſſit, quam tibi hoc facere licet. Enimvero ponamus, eam communem eſſe non debere: neceſſe omnino eſt, ut tibi ſoli hoc jus tribuatur, quod antea competebat

bat indifferenter omnibus. Et hoc modo fit tua (§. 131. *part. I. Jur. nat.*). Quamprimum adeo res communes eſſe deſinunt, ſingulorum fiunt. Quodſi quædam hominum multitudo res quasdam inter ſe communes eſſe velit, ab earum tamen communione ceteros omnes excludat; ſupra jam monuimus (*not.* §. 2.), iſtam hominum multitudinem quoad reliquum genus humanum ac reſpectu aliorum quorumcunque hominum ſpectari inſtar unius individui, ut adeo res ad ipſos pertinentes non amplius referantur in numerum rerum communium, ſed earum potius, quæ factæ ſunt ſingulorum. Non adeo opus eſt, ut inter communionem primævam, quæ jus totius generis humani commune eſt, & inter jus proprium, quo res ſunt ſingulorum, intermedium aliquod admittatur, per quod nonniſi ab uno ad alterum ſit tranſitus. Res communes ſunt juris communis; res ſingulorum vero proprii. A jure communi non datur tranſitus niſi ad proprium, ſive hoc jus proprium plures invicem animo conjuncti velint ſibi eſſe commune, ſive id individuo uni relinquatur. In moralibus individuum phyſicum & morale unum idemque ſunt. Facit autem individuum morale animorum conjunctio, quatenus nimirum plures idem volunt: quale quid non obtinet in communione primæva, ubi juris identitas non derivatur ab omnium hominum in unum conſentiente voluntate.

§. 111.

Quales fiant communione primæva ſublata. Quoniam res vel communes ſunt, vel ſingulorum (§. 110.); *ſublata communione primæva, res, quæ fuerunt communes, fieri debent ſingulorum, aut, quod perinde eſt, quæ erat juris communis, ea ſubjici debent juri proprio* (§. 2. 4. 5.).

Quodſi quem offendat, quod res communes, quales ſpectantur in communione primæva, & res ſingulorum ſibi mutuo opponantur, & ferre nequeat fictionem individui mora-

moralis, quod fit animorum conjunctione, ut ſic conjunctorum non niſi una ſit voluntas (*not.* §. 110.); is rebus juris communis opponat res juris proprii, quamvis ubi omnia ad vivum reſecantur, denuo in fictionem iſtam inciditur, quali poſthac ſæpius utendum erit in argumentis maxime arduis.

§. 112.

Per *Univerſitatem* hic intelligimus multitudinem hominum certo fine conſociatorum. *Conſociari* autem dicuntur, qui in eundem finem conjunctim perſequendum conſentiunt. *Univerſitas quid dicatur.*

De hac hominum conſociatione, quæ apud Philoſophos Societatis nomine venit, dicemus ſuo loco ex inſtituto. Hic tantummodo explicare volumus, quid hoc vocabulo indigitetur, ut ſignificatus Univerſitatis nihil habeat quod ſit obſcurum, quia eodem mox utemur. E. gr. Si plures homines in hoc conſentiant, quod a communione primæva diſcedere & res antea communes juri ſuo proprio ſubjicere velint, quibus tamen ipſi tanquam communibus inter ſe utantur; eo fine conſociati ſimul ſumti univerſitatem conſtituunt. Hoc ſenſu in civitate omnia collegia univerſitatis nomine veniunt, & integer populus univerſitatem conſtituit. Per ſe autem patet nobis hic eſſe ſermonem de univerſitate perſonarum, cui opponitur univerſitas rerum, de qua ſuo loco.

§. 113.

Quoniam qui univerſitatem conſtituunt in eundem finem conſentiunt conjunctim perſequendum (§. 112.), conſequenter univerſi idem facere volunt (§. 658. *part. I. Phil. pract. univ.*); *univerſitas quoad finem conjunctim perſequendum in oppoſitione ad alios homines ſpectatur inſtar unius perſonæ*, conſequenter *hoc reſpectu perſonam unam repræſentat.* *Cur & quatenus univerſitas perſonam unam repræſentet.*

Univerſitati una tantummodo eſt voluntas, & in agendo unum tantummodo repræſentat agens. Quamobrem perinde eſt ac ſi una tantummodo eſſet perſona. Quæ ei tribuuntur, prædicantur de eodem tanquam una perſona. Hoc principio ſæpiſſime utemur, adeoque etiam convenit, ut eodem utamur in declaranda origine dominiorum.

§. 114.

Quomodo uſus rerum reſtringatur ad ſingulos.

Si res fiunt ſingulorum, cujus rei uſus uni competit, is non amplius indifferenter omnibus, immo præter ipſum alii nulli competere poteſt. Etenim ſi res fiunt ſingulorum, nonniſi uni ſoli in eandem rem jus quoddam competere poteſt (§. 5.). Quoniam itaque ſublata communione primæva res, quæ erant communes, ſingulorum fiunt (§. 111.), in primæva autem communione præter uſum rerum nemini jus quoddam in eas competere poteſt (§. 21.); ubi res fiunt ſingulorum, uſus ejusdem rei, qui antea promiſcue omnibus competebat (§. 19.), uni ſoli competit, conſequenter cujus rei uſus uni competit, is non amplius indifferenter omnibus, immo præter ipſum alii nulli competere poteſt.

Communis adeo ac indifferens rerum uſus ad ſingulos ita reſtringitur, dum res fiunt ſingulorum, ut ejusdem rei uſus non pateat niſi uni, nec quisquam alius ſibi eundem arrogare valeat.

§. 115.

Quomodo ad univerſitatem.

Quoniam univerſitas quoad finem conjunctim perſequendum ſpectatur inſtar perſonæ unius (§. 113.); *ſi res univerſitatis fit, cujus rei uſus eidem univerſim competit, is nulli extra illam univerſitatem competere poteſt.*

Notanda hic eſt differentia, quæ inter duas dictiones intercedit, quarum una aliquid affirmatur de omnibus, altera vero

Digitized by Google

vero de univerſis. Quodſi dicas, omnes ſibi rerum quarundam uſum vindicarunt; id ita intelligendum eſt, quod ſinguli eorum rerum ſingularum uſum ſibi vindicaverint. Quodſi vero dicas, univerſi ſibi rerum quarundam uſum vindicarunt; id ita capiendum, quod omnes conjunctim ſibi quarundam rerum uſum aſſeruerint communem. Hæc probe notanda eſt differentia, ut deinceps rectius intelligatur, quale jus univerſitati acquiratur, dum a communione primæva receditur.

§. 116.

Jus alios ab uſu rei cujusdam arcendi unde naſcatur.

Si res factæ ſunt ſingulorum, is, cujus res eſt, ab ejus uſu ceteros omnes licite arcere poteſt. Quando enim res fiunt ſingulorum, cujus rei uſus uni competit, ejusdem uſus præterea alii nulli competere poteſt (§. 114.). Quamobrem cum legi naturali non repugnet, ut res fiant ſingulorum (§. 108.), ubi ſingulorum fiunt, jus quoque unicuique conferat neceſſe eſt ab uſu earum rerum, quæ unius cujusque fiunt, ceteros omnes arcendi. Enimvero licite fit, ad quod agendum homini jus eſt (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi res factæ ſunt ſingulorum, is, cujus res eſt, ab ejus uſu ceteros omnes licite arcere poteſt.

Nimirum jus arcendi ab uſu rei cujusdam ceteros omnes in jure proprio, cui ſubjiciuntur res dum fiunt ſingulorum, continetur, ita ut absque illo hoc foret nullum. Quamobrem ſi jus proprium, quo res fiunt ſingulorum, legi naturali non repugnat, nec jus arcendi ceteros ab uſu rei ejusdem eidem repugnare poteſt. In communione primæva nemo alterum ab uſu rei cujuscunque licite arcere poterat (§. 20.); quod adeo in illa erat illicitum, ea ſublata fit licitum. Hoc minime adverſatur intrinſecæ actionum honeſtati ac turpitudini, quæ jus naturæ immutabile reddit: neque enim honeſtas ac turpitudo intrinſeca actionis intel-

ligitur, niſi de actione ſufficienter determinata. Variatis circumſtantiis notio actionis per eas determinanda non amplius eadem manet. Per notionem autem actionis ejus determinatur moralitas. Abſit adeo, ut hinc contra moralitatem intrinſecam quid inferas, quod ſub aliis circumſtantiis actus illicitus eſſe poſſit, qui ſub aliis licitus.

§. 117.

Jus libere de re aliqua diſponendi unde naſcatur.

Si res factæ ſunt ſingulorum, unicuique competit jus pro arbitrio ſuo diſponendi de rebus juri ipſius proprio ſubjectis. Etenim uſus rerum, quæ proprio uniuscujusque juri ſubjiciuntur, unicuique ſoli competit, nec ulli alii competere præter ipſum poteſt (§. 114.), quin potius eidem jus eſt ceteros omnes ab eodem uſu arcendi, quicunque fuerint (§. 116.). Contra jus igitur alterius non agit, quomodocunque de re iſta diſponat. Enimvero natura homines omnes liberi ſunt (§. 146. *part. I. Jur. nat.*), nec ulli hominum rationem reddere tenentur actionum ſuarum, quamdiu nihil faciunt contra jus alterius (§. 158. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem ubi res factæ ſunt ſingulorum, unus quisque vi libertatis naturalis de rebus juri ſuo proprio ſubjectis ſtatuere poteſt, quod ſibi videtur, conſequenter ipſi competit jus pro arbitrio ſuo diſponendi de rebus juri ipſius proprio ſubjectis.

Ex demonſtratione propoſitionis præſentis patet, jus de re aliqua diſponendi pro arbitratu ſuo naſci ex jure primævæ communionis & libertatis naturalis. Nimirum vi primævæ communionis homini competit jus re, qua indiget, utendi (§. 27.) & jus non patiendi, ut alter ipſum quocunque modo impedire conetur, ne rebus, prouti ipſi opus fuerit, utatur (§. 49.), aut rem, quam uſus neceſſarii gratia apprehendit, invito eripiat (§. 36.). Vi libertatis autem naturalis eidem competit jus de re utenda diſponendi, prouti

prouti ipſi viſum fuerit, quale jus etiam ipſi jam eſt in communione primæva ſtatuendi de uſu rerum neceſſario & indigentia ſua (§. 43.), quod in jus diſponendi de re utenda tranſit, ubi res juri proprio ſubjiciuntur. Factum humanum ſolum jus nullum parere poteſt, quippe cujus fons eſt obligatio paſſiva (§. 23. *part. I. Jur. nat.*), ex qua interveniente facto legi naturali non repugnante reſultare poteſt (§. 35. *part. I Jur. nat.* & §. 163. *part. I. Phil. pract. univ.*), quatenus ſcilicet jus quoddam natura nobis competens & ex obligatione naturali originem ſuam deducens facto iſto licito aliquam mutationem ſubit.

§. 118.

Jus proprium diſponendi de re pro arbitrio ſuo, prouti ſcilicet viſum fuerit, *Dominium* appellamus. *Dominium quid ſit.*

In hunc modum definivimus dominium in Theologia naturali (§. 959 *part. I.*). Et eodem fere modo idem definitum reperio a *Struvio*, ICto magni nominis, Exercit. II. lib. 6. Tit. I. §. 4. niſi quod addat *proprio nomine*; quia etiam tutor de rebus pupilli videtur pro arbitrio ſuo diſponere: id quod fallere patebit ſuo loco. Tutor enim non prorſus pro arbitrio ſuo diſponit; cum rationem reddere teneatur, adeoque alieno judicio ſubjicere debeat, quomodo de rebus pupilli diſpoſuerit: id quod non eſt ejus, qui de re diſponendi jus habet, prouti ſibi viſum fuerit. Immo ſunt alii ICti plures eodem modo dominium definientes; niſi quod ſubinde nonnulla addant, quæ ex definitione exulare debebant, cum per eam demonſtrari poſſint. ICti Romani nullam dominii definitionem dederunt, quod mirum videri poterat, cum maxima pars totius Juris Romani dominio nitatur. Inde eſt, quod ejusdem interpretes non omnes eodem prorſus modo dominium definiverint. Sed noſtrum non eſt eorum definitiones ſub incudem revocare. Quodſi excipias pupillis non competere facultatem libere de re

diſponendi, eadem tamen ipſis ademta manere dominos; jus cum exercitio juris confundis. Competere ipſis jus de rebus ſuis pro arbitrio diſponendi, tanto minus in dubium vocari poteſt, cum tutor, qui de ipſis diſponit, rationem reddere teneatur adminiſtrationis ſuæ: quo ſane opus non erat, ſi jus iſtud in tutorem fuiſſet translatum & pupillo ademtum. Exercitium adeo juris ob judicii immaturitatem ſuſpendit jus civile in ipſorum commodum principiis juris naturalis convenienter, quemadmodum ſuo loco oſtendemus. Qui vero per ætatem vel alia quacunque de cauſa jus ſuum exercere prohibetur, is ideo jus non amiſit. Rex captivus retinet imperium, etiamſi idem adminiſtrare nequeat. Et ſi pupillus idem adminiſtrare nondum valet, jus tamen imperandi ipſi competere nemo in dubium vocare poteſt, cum ejus nomine ideo expediat omnia is, cui adminiſtratio demandata. Ecquis ergo dixerit in gratiam eorum caſuum, quibus Rex imperium adminiſtrare prohibetur, idem aliter definiendum eſſe, quam fert ejus natura. In rebus definiendis id tantummodo ſpectandum eſt, ut ex iis, per quæ definiuntur, cetera de iisdem affirmanda demonſtrari poſſint. In hunc enim uſum conduntur definitiones in ſcientiis, ut ex iis ratio a priori reddi poſſit eorum, quæ rebus conveniunt vi earundem ad ſua genera ſuasque ſpecies reductarum. Demonſtravimus paulo ante (§. 116.), ubi res factæ ſunt ſingulorum, eum, cujus res eſt, ab ejus uſu ceteros omnes licite arcere poſſe. Videtur itaque conſultius eſſe, ut dominium definiatur per jus uſu alicujus rei alios excludendi. Enimvero hoc pacto alienus prorſus introduceretur dominii ſignificatus, vi cujus dominium tribuendum foret iis, quos dominos dici nemo Juris peritus patitur. Etenim uſufructuarius habet jus ceteros omnes uſu rerum excludendi, cum ſolus rebus uti frui poſſit, nec alius quicunque ipſo invito iisdem uti frui queat; non tamen ideo eſt dominus. In communione primæva

ſi quis re quadam in ſingulari, quæ uſu conſumitur, actu utitur, nemo alius ejusdem uſum licite prætendere poteſt, &, ſi uſu non conſumitur, nemo alius eodem tempore ejusdem uſum prætendere licite poteſt (§. 35.), adeoque utenti jus eſt ceteros omnes in caſu priori penitus, in poſteriori ad tempus uſu rei iſtius excludendi. Nemo tamen dixerit, eum eſſe rei, qua utitur, dominum, in poſteriori temporarium, cum in communione primæva nemo utatur rebus tanquam ſuis, ſed tanquam communibus (§. 37.). Idem omnino patet in communione Religioſorum, ubi uſu rerum a ſuperiore ſibi aſſignatæ unus excludit ceteros, etſi re iſta utatur tanquam communi, non tanquam propria, nec dici poſſit dominus ejus, quod a ſuperiore ipſi fuit aſſignatum. Enimvero ut appareat ratio, cur dominium ita definiri nequeat, ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 119.

Jus proprium omne involvit jus alios eodem excludendi. *Jus proprium quodnam involvat.*
Etenim jus proprium uni in ſingulari ſoli competit (§. 2.). Ponamus itaque jus hoc non involvere jus alios eodem excludendi. Neceſſe igitur eſt, ut præterea etiam aliis competat. Quamobrem proprium non erit (*§. cit.*): quod utique abſurdum (§. 28. *Ontol.*).

Videmus itaque exluſionem aliorum ab uſu ejus rei, quæ eſt in dominio, non competere dominio, quatenus dominium eſt, ſed quatenus eſt jus proprium, conſequenter dominium hoc cum omni jure proprio habet commune. Neque ante conſtat, vi dominii ab uſu alicujus rei alios excludi, niſi ante conſtet, quale jus ſit dominium quoad differentiam ſpecificam. Immo cum dominium non tantummodo conferat uſum rei, ſed præterea actus alios faciat licitos dominoque proprios; vi ejusdem non modo uſu rei, verum

verum etiam actibus aliis circa eandem rem alii quicunque excluduntur, prout ex ſequentibus luculentius conſtabit.

§. 120.

Quale jus excluſionis inſit dominio. Quoniam dominium jus proprium eſt (§. 118.), jus proprium autem omne involvit jus alios eodem excludendi (§. 119.); *dominium* quoque *involvit jus excludendi omnes alios eodem jure, in quorum dominio res non eſt.*

Atque ſic videmus, quodcunque licitum eſt circa rem aliquam, in cujus dominio ea eſt, idem illicitum eſſe alii cuicunque, ut adeo jure ſuo is excludat ceteros omnes iis actibus, qui vi dominii ipſi liciti ſunt. Jus adeo excluſionis non reſtringitur ad ſolum uſum, ſed indifferenter ad actus alios quoſcunque circa rem vi dominii licitos.

§. 121.

Dominus & non dominus quinam ſit & quodnam illi in hunc jus competat. *Dominus* dicitur, in cujus dominio res eſt: *Non dominus* vero, in cujus dominio non eſt. Quamobrem cum dominium contineat jus excludendi omnes alios eodem jure, quod domino eſt (§. 120.); *domino competit jus interdicendi cuivis non domino omni actu vi dominii licito, nec patiendi, ut quis alius quicquam faciat ſe invito, quod ſibi vi dominii facere licet.*

Principium hoc admodum fœcundum eſt, cum hinc definiantur omnes actus, a quibus dominiis introductis abſtinendum, cum in communione primæva eſſent liciti. Jus commune & proprium ſibi mutuo opponuntur, ut quod uni convenit alteri contrarietur (§. 2.). Quamobrem cum res a jure communi in proprium fuerint deductæ, ubi in dominia diſtinctæ fuerunt (§. 118.); non mirum videri debet, actus, qui antea fuerunt liciti, jam illicitos eſſe. Omne dubium, quod angit hebetiores, inde eſt, quod tacite ſupponant, actus licitos facto quodam humano, quale eſt introductio

ductio dominiorum, factos fuiſſe illicitos: id quod immutabilitati juris naturalis & intrinſecæ actuum moralitati repugnare videtur. Enimvero introductio dominiorum actum dominio contrarium non demum illicitum fecit; ſed tantummodo efficit, ut actus iſtiusmodi, qui ab omni æternitate illicitus erat, committi poſſet. Ab omni æternitate poſſibile fuit, ut res dominio ſubjicerentur. Ab omni æternitate verum fuit, homines, ſi qui exiſterent, non invita naturæ lege res dominio ſubjicere poſſe. Ab omni quoque æternitate verum fuit, dominiis introductis non licere non domino, quod domino licet. Sed ut non dominus faceret quod non licet, fieri non poterat, antequam eſſet dominus. Jus naturæ non tantum complectitur propoſitiones categoricas, verum etiam hypotheticas; actus vero, qui hypotheticis præcipiuntur, prohibentur aut permittuntur, non ante cum hiſce legibus conferri poſſunt, quam conditione exiſtente. Sub diverſis autem conditionibus idem actus & præceptus, & prohibitus, & permiſſus, & non permiſſus intelligitur. Notandum hoc in genere eſt, cum idem notaſſe proſit ad multas difficultates tollendas, quæ circa theoriam generalem de Jure naturæ ſubinde ſuboriuntur, præſertim in ea latitudine, quam nos huic Juri tribuimus.

§. 122.

Dominium jus perfectum eſt. Continet enim jus interdicendi cuivis non domino omni actu vi dominii licito, nec patiendi, ut quis alius quicquam faciat ſe invito, quod ſibi vi dominii facere licet (§. 121.), conſequenter jus cogendi alterum, ne reſiſtat actibus ſibi domino licitis, & ne quicquam faciat ſe invito, quod ſibi ſoli facere licet. Enimvero jus perfectum eſt, quod conjunctum eſt cum jure cogendi alterum, ſi obligationi ſuæ ſatisfacere noluerit (§. 235 *part. I. Phil. pract. univ.*). Ergo dominium jus perfectum eſt. *Dominium quale ſit jus.*

Quodſi dubites, an recte ſupponatur, quemlibet non dominum obligari, ne reſiſtat actibus domino vi dominii licitis, & ne invito domino faciat, quod ſibi ſoli facere licet; ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 123.

Actus dominio alterius contrarii cur illiciti.

Omnes actus dominio alterius contrarii illiciti ſunt. Etenim nemo quicquam contra jus alterius facere debet (§. 910. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum dominium ſit jus idque perfectum (§. 122.); nemo quoque quicquam facere debet, quod eſt contra dominium alterius. Illicitum eſt, ad quod omittendum obligamur (§. 170. *part. I. Jur. nat.*). Illiciti itaque ſunt actus omnes dominio alterius contrarii.

Nemo non fateri cogitur, dominio alterius contrariari ſi quis reſiſtere velit actibus domino licitis, aut ſi quis eodem invito facere velit, quod eidem ſoli licet facere. Unde manifeſtum eſt actus omnes, quibus reſiſtitur actibus domino licitis, omnesque actus, qui domino invito eduntur ab alio quocunque non domino, illi autem ſoli liciti ſunt, lege naturali prohibitos eſſe, atque ideo non dominum ad eos omittendos obligari. Poterat hoc recte ſumi vi principii generalis (§. 910. *part. I. Jur. nat.*), ex quo etiam hic infertur. Non tamen inconſultum fuit idem demonſtrari ob uſum ſequentem.

§. 124.

Quanam res ſint noſtra.

Res noſtras dicimus, in quibus dominium habemus. Dicimus autem convenienter definitioni ſui in genere, quam dedimus (§. 131. *part. I. Jur. nat.*). Etenim cum dominium ſit jus perfectum (§. 122.) idemque proprium (§. 118.); in iis rebus, in quibus dominium habemus, nobis ſolis jus quod-

quoddam perfectum competit (§. 2.). Quoniam itaque ſuum eſt, in quod homini cuidam ſoli jus perfectum competit (§. 131. *part. I. Jur. nat.*); res utique noſtræ ſunt, in quibus dominium habemus.

Definitio hæc non debet videri ſuperflua. Hinc enim patet, eum, qui contendit rem eſſe ſuam, probare debere, quod ſibi in ea dominium competat: quam probationem non eſſe adeo facilem ex iis, quæ porro de dominio demonſtrabuntur, eluceſcet.

§. 125.

Quoniam dominium, quod nos in re aliqua habemus, eodem jure in re iſta excludit ceteros omnes (§. 120.), res autem ejus non eſſe poſſunt, qui dominium in iis non habet (§. 124.); *Quod noſtrum eſt, alterius eſſe nequit*, ſeu *quod meum eſt, tuum non eſt.* *Cur meum non poſſit eſſe tuum.*

§. 126.

Communio poſitiva eſt, in qua plures in re indiviſa dominium omnibus conjunctim competens pro parte rata habent. *Communio poſitiva quanam ſit.*

Plures hic ſimul in re una eademque idem jus conjunctim habent, quod alias uni competit. Atque ideo omnes ſimul repræſentant unam perſonam, in cujus dominio res eſt in relatione ad alios, qui extra communionem ſunt. Quamdiu res indiviſa eſt, dominium quoque nonniſi unum eſt, nec tot poſſunt dici dominia, quod ſunt in communione perſonæ, neque etiam de uno in individuo dici poteſt, quod habeat in ea re dominium, abſolute, ſed nonniſi cum addito pro rata. Hinc quilibet eorum fructus percipit pro rata &, ubi res venditur, pretium participat pro rata; ubi dividitur, ratam accipit partem. E. gr. Si Cajo, Titio & Mævio dominium in aliquo prædio competit æqualiter, unusquis-

Digitized by Google

quiſque tertiam fructuum partem percipit, &, ubi venditur, tertiam pretii partem accipit. Aſt ſi Cajus dominium habet pro partibus tribus, Cajus pro duabus, Mævius pro una; Cajo debetur dimidium fructuum &, ubi prædium venditur, pretium dimidium; Titio in utroque caſu pars tertia, Mævio ſexta, aut, ſi ager communis dividitur, Cajo cedit ager dimidius, Titio pars tertia, Mævio ſexta. Quodſi res, quæ erat communis, dividatur, pars, quam unusquisque accipit, eſt in dominio ipſius a dominio ceterorum diſtincto. Nec eſt, quod abſonum videatur, loco dominii unius, facta diviſione, reſultare plura, veluti in caſu dato tria. Jus enim, quod locum habet in re tota, locum quoque habere poteſt in qualibet ejus parte, ſi dividi poteſt. Geminum quid obtinet in rerum natura, ubi corpus integrum nonniſi unum habere poteſt centrum gravitatis, quodſi tamen in plures dividatur partes in quacunque ratione, quælibet pars centrum gravitatis habet proprium, ut jam ſint tot centra gravitatis diverſa, quot ſunt partes.

§. 127.

Quinam ſit dominus in communione poſitiva.

Quoniam in communione poſitiva quilibet nonniſi pro parte dominium habet in re communi, omnibus conjunctim competens, qui in communione ſunt (§. 126.), dominus vero eſt, qui in re quadam dominium habet (§. 121.). *Quilibet, qui in communione poſitiva eſt, pro parte rei communis dominus eſt; omnes conjunctim dominus ſunt.*

Ita in exemplo, quod modo dedimus (*not* §. 126.), Cajus pro parte tertia dominus eſt in caſu priore, in poſteriore pro partibus tribus: nemo autem ſolus dominus dici poteſt, ſed omnes conjunctim dominus ſunt. Neque inanis hæc ſubtilitas eſt; quæ enim licita ſunt domino, ea non licent niſi omnibus conjunctim, ut adeo ad ſingulos actus omnium requiratur conſenſus, quemadmodum deinceps oſtendetur; commoda

moda vero dominii diſtribuantur pro rata, hoc eſt pro parte, qua quis dominus eſt, prouti modo monuimus (*not.* §. *cit.*). Qui ſubtilitates juris contemnit, is in multis cœcutit, nec niſi alienis oculis videt, in aliis hæſitat, in aliis ceſpitat. Quamdiu diſtinguuntur, quæ diverſa ſunt; de ſubtilitatibus temerariæ ſunt querelæ. Cum dominium ſit jus de re pro arbitrio ſuo diſponendi (§. 118.), ut conſtet, num licite de eadem diſponatur, conſtare utique debet, quinam ſit dominus. Quoniam vero in communione poſitiva dominium eſt propter utilitatem multorum, pro rata participandam ſingulis; conſiderandum quoque, pro qua parte unusquisque dominus ſit. Priore reſpectu omnes conjunctim ſunt una perſona & utuntur jure indiviſo ſeu eodem in re indiviſa; poſteriori autem ſpectantur tanquam plures, & ſinguli in percipienda utilitate utuntur jure ſibi proprio.

§. 128.

Qui ſunt in communione poſitiva dominio ſuo excludunt ceteros omnes, qui extra eam ſunt. Etenim dominium involvit jus excludendi omnes alios eodem jure, in quorum dominio res non eſt (§. 120.). Quoniam itaque qui in communione poſitiva ſunt, conjunctim dominium habent in re indiviſa (§. 126.); qui in eadem ſunt dominio ſuo excludere debent omnes, qui extra eam ſunt. *Quosnam communio poſitiva excludat.*

Omnes nimirum conjunctim ſunt rei indiviſæ dominus (§. 127.), & hactenus ſpectantur in oppoſitione ad alios tanquam perſona una (*not.* §. *cit.*). Quamobrem quæ dominii vis eſt in ſingulis, ea etiam eſt in iis, qui in communione poſitiva ſunt, ut adeo inter dominium ſingulorum & eorum, qui in communione poſitiva ſunt, conjunctim ſpectatorum, nulla prorſus intercedat differentia. Qua de cauſa quoque nos dominium, quod pluribus conjunctim in re indiviſa competit, non diſtinguimus a dominio, quod

Digitized by Google

individuo phyſico eſt, in relatione ſcilicet, ad non dominos. Atque adeo rebus natura communibus res ſingulorum unice oppoſuimus (§. 110.).

§. 129.

Communio mixta quaenam ſit. *Communio mixta eſt*, in qua res equidem ſunt in dominio univerſitatis, omnibus tamen non competit niſi uſus earundem indifferenter, prouti ſcilicet unicuique opus fuerit.

Convenit adeo communio mixta cum poſitiva, quod res a communione primæva, quæ negativa erat (§. 105.); in dominium fuerunt deductæ, univerſitati competens, cum negativa vero, quod membra univerſitatis inter ſe non alio jure utantur, quam quod fuerat in communione primæva (§. 21. 27.). Imitatur poſitivam reſpectu eorum, qui ſunt extra univerſitatem; negativam vero intuitu eorum, qui ſunt de univerſitate. Unde apparet, cur eam mixtam vocemus. Equidem non ignoro, communionem vulgo non diſtingui niſi in negativam & poſitivam, ita ut in negativa ſint res nullius (§. 104.), in poſitiva vero res in dominium deductæ (§. 126.): nemo tamen negaverit, communionem, quam mixtam vocamus, differre a poſitiva. Cum enim in poſitiva qui ſunt in communione dominium in rebus indiviſis pro parte rata habeant; in mixta qui ſunt dominium pro rata non habent, ſed eorum reſpectu res conſiderantur tanquam nullius. Unde alia prorſus ſunt ſingulorum jura in communione poſitiva, alia in mixta. Neceſſe igitur eſt, mixtam diſtingui a poſitiva, quemadmodum hæc diſtinguitur a negativa. Neque exiſtimandum eſt, quaſi hoc fiat nullius utilitatis gratia. Mixta enim communio religioſorum eſt. Et horum intereſt, ne eam cum poſitiva confundant contra intentionem Patrum & Legislatorum eorundem, ut quoad votum paupertatis illibatam ſervent conſcientiam ſuam. Neque alia de cauſa Proteſtantibus vulgo

vorum

votum paupertatis cum divitiis cœnobiorum pugnare videtur, quam quod communionem mixtam cum poſitiva confundant. Pugnat enim cum poſitiva, ſed pulcherrime conſentit cum mixta. Votum paupertatis non aliud dicit, quam quod quis rem nullam habere velit in dominio ſuo, ut adeo nec pro rata dominium in rebus indiviſis habere poſſit voto hoc obſtrictus, quemadmodum fert communio poſitiva (§. 126.). In communione autem mixta nemo pro parte dominus eſt, adeoque in re prorſus nulla, neque diviſa, neque indiviſa dominium habet.

§. 130.

Qui ſunt in communione mixta dominio univerſitatis excludunt omnes, qui ſunt extra univerſitatem. Etenim in communione mixta res ſunt in dominio univerſitatis (§. 129.). Quoniam itaque in dominio continetur jus excludendi alios eodem jure, in quorum dominio res non eſt (§. 120.); univerſitas dominio ſuo excludit omnes, qui ſunt extra univerſitatem, ſeu, quod perinde eſt, qui ſunt in communione mixta dominio univerſitatis eosdem excludunt. *Quosnam communio mixta excludat.*

Ita bonis cœnobii excluduntur omnes, qui non ſunt religioſi ejusdem cœnobii, etſi accurate loquendo dicere non poſſint, hæc eſſe ſua, cum ſint cœbil & eorum ſaltem uſus indifferenter ipſis pateat, prouti cuique opus fuerit (§. 129.).

§. 131.

Jus diſponendi de ipſa ſubſtantia rei *Proprietas* dicitur. Et cui proprietas in re aliqua competit, *Proprietarius* appellatur. *Proprietas Proprietarius quid ſit.*

Proprietatem & dominium multi pro ſynonymis habent, nec a ſe invicem diſtinguunt, quos inter *Puffendorfius* de J. N. & G. lib. 4. c. 4. §. 2. & *Huberus* ad Inſt. lib. 2. tit. 1. §. 13. p. m. 85. a. dominium & proprietatem unum idemque eſſe

eſſe pronuncians. Diximus jam ante *not.* §. 118. JCtos Romanos dominium non definiviſſe: quod & de proprietate tenendum. Vago igitur ſignificatu contenti cum fuerint, facile accidere potuit, ut vocabula ſubinde promiſcue uſurparent. Etſi autem ea libertate, quæ circa definitiones nominales unicuique competit, proprietatem a dominio diſtinguere liceat, ut non confundenda a ſe invicem ſeparentur, ſi vel maxime tota Interpretum juris Romani cohors proprietatem & dominium unum idemque eſſe affirmaret; a recepto tamen vocabulorum in Jure ſignificatu præter neceſſitatem recedere nolumus. Sunt autem plures JCti, qui proprietatem a dominio ita diſtinguunt, ut proprietatem dicant dominium uſufructu deminutum. Quodſi autem a jure in re, vi cujus de eadem pro arbitrio diſponere licet, auferas uſumfructum, non ſane relinquitur niſi jus diſponendi de ipſa ſubſtantia rei, quod proprietatis nomine indigitari poteſt. Immo nec hic ſignificatus a mente JCtorum Romanorum alienus. Unde *Scvardius* in Lexico *vocabulo Proprietas*: dominii nomine, inquit, ſolidum dominium fere intelligitur, id eſt, in quo uſusfructus ineſt, unde uſusfructus dominium appellatur *l. 3 ff. de uſufr.* Cum igitur dominium uſufructu deminutum ſignificare vellent, proprietatem dixerunt, ut patet ex titulo de uſufructu locis innumeris, in quibus uſusfructus proprietati opponitur. Hæc ille. Noſtrum non eſt in textuum explicatione tempus conſumere. Sufficit enim oſtendiſſe, quod ſignificatus vocabuli Proprietatis non ſit a nobis noviter confictus. Quoniam jus, quod præter uſumfructum dominio ineſt, ab eo diſtingui neceſſe eſt, quemadmodum deinceps patebit, adeoque vocabulo opus eſt, quo idem indigitemus; nullum convenientius reperiri potuit, quam proprietas.

§. 132.

Res propria quaenam dicatur.

Res propriæ dicuntur, in quibus jus proprietatis habemus.

Ita

Ita ager proprius eſt, in quo jus prorietatis nobis eſt: ſimiliter domus propria eſt, in qua jus proprietatis habemus.

§. 133.

Res ſingulorum ſunt res propriæ. Etenim ſi res factæ ſunt ſingulorum, unicuique competit jus pro arbitrio diſponendi de rebus proprio ipſius juri ſubjectis (§. 117.), conſequenter de ſubſtantia ipſorum. Enimvero jus diſponendi de ſubſtantia rerum proprietas eſt (§. 131.). Quando itaque res factæ ſunt ſingulorum, unusquisque in iis, quæ juri ipſius proprio ſubjiciuntur, jus proprietatis habet. Sed in quibus nobis jus proprietatis eſt, eæ res nobis propriæ ſunt (§. 132.). Res igitur ſingulorum ſunt res propriæ. *Quænam ſint.*

Patet itaque a communione primæva, utpote qua ſublata res, quæ fuerant communes, ſingulorum fiunt (§. 111.), transitum fieri ad proprietatem. Quamprimum adeo communio primæva tollitur, communia fiunt propria.

§. 134.

Res aut communes ſunt, aut propiæ. Etenim aut communes ſunt, aut ſingulorum (§. 110.). Sed res ſingulorum propriæ ſunt (§. 133.). Ergo res aut communes, aut propriæ ſunt. *Quales res eſſe poſſint.*

Inter communionem adeo negativam & proprietatem non datur medium. Unde qui in communione negativa degunt, nihil proprii habent, & qui nihil habent proprii, in negativa communione degunt. Religioſi vi voti paupertatis nihil proprii habere poſſunt. Atque adeo patet communionem, in qua vivunt, quoad ipſos eſſe negativam, quemadmodum paulo ante (*not.* §. 129.) diximus.

§. 135.

Jus diſponendi de quolibet rei uſu pro arbitrio ſuo dicimus *Jus utendi & fruendi*

Digitized by Google

quodnam dicatur. cimus *Jus utendi:* jus autem diſponendi de quolibet rei fructu pro arbitrio ſuo *Jus fruendi:* jus utendi & fruendi conjunctim *Jus utendi fruendi*, omiſſa conjunctione copulativa.

Equidem has definitiones jam dedimus in Theologia naturali (*part. I. §.* 957. 958.); quoniam tamen hic quædam de iis adhuc monenda ſunt, ea repetenda eſſe duximus, præſertim cum hic propria earum ſedes ſit. Conſiderari poteſt jus utendi & fruendi vel tanquam in dominio contentum, vel tanquam eodem ſejunctum. Quando in Jure Romano jus utendi vocatur ſimpliciter uſus, jus utendi fruendi vero uſusfructus poſteriori modo ſpectatur. Quamobrem quoties de jure utendi & fruendi tanquam in dominio contento loquemur, nunquam uſum & uſumfructum dicemus, ne ambiguitati obnoxia fiant, quæ præſpicua eſſe debent.

§. 136.

Jura in dominio contenta. *Dominium continet & proprietatem, & jus utendi, & jus fruendi.* Eſt enim dominium jus proprium de re aliqua diſponendi pro arbitrio ſuo, prouti ſcilicet viſum fuerit (§. 118.), nec permittit, ut alius quicunque de eadem ullo modo diſponat (§. 120.). Quoniam itaque vel de ſubſtantia rei, vel de uſu ejus, vel denique de fructu diſponi poteſt, dominum continet jus diſponendi de ſubſtantia, uſu & fructu rei pro ſuo arbitrio. Enimvero jus diſponendi de ſubſtantia rei pro arbitrio ſuo proprietas eſt (§. 131.); jus diſponendi de uſu, itemque de fructu rei pro arbitratu ſuo jus utendi & jus fruendi eſt (§. 135.). Dominium itaque continet & proprietatem, & jus utendi, & jus fruendi.

E. gr. Ponamus tibi competere dominium in arbore; licebit tibi eandem excindere, ſi viſum fuerit, vel ramos amputare, ſurculos trunco inſerere alterius ſpeciei: quod dum

facis,

facis, de ipſa ſubſtantia diſponis jure proprietatis. Licebit ligna arboris exciſæ concremare vel alii uſui cuicunque, quem habere poſſunt, adhibere, ſub umbra virentis ſedere, quandocunque & quotiescunque viſum fuerit, ac arborem omni uſui tuo deſtinare, cui inſervire poteſt, qualiscunque tandem fuerit, vi juris utendi. Denique fructus, quos profert arbor, tibi percipere licet jure fruendi & de hiſce fructibus deinceps diſponere porro pro arbitrio tuo tanquam rebus tuis.

§. 137.

Dominium plenum quod ſit. *Dominium plenum eſt*, quod nullo jure deminutum in dominio contento. Quamobrem cum dominium contineat & proprietatem, & jus utendi, & jus fruendi (§. 136.); *in dominio pleno ineſt proprietas, ac jus utendi fruendi nulla ex parte deminutum.*

Quomodo fieri poſſit, ut dominium jure quodam ad ipſum pertinente deminuatur vel ex toto, vel ex parte, oſtendemus inferius. Quamobrem in præſenti non expendimus objectionem, quæ fieri poterat, quomodo dominium ſubſiſtere poſſit, ſublato jure quodam ad ipſum pertinente: id enim perinde videtur, ac ſi triangulum æquilaterum ſubſiſtere deberet, ſublata laterum æqualitate.

§. 138.

Quo jure excludantur non domini. Quoniam dominium plenum continet proprietatem & jus utendi fruendi (§. 137.), dominium vero omnes eodem jure excludit, in quorum dominio res non eſt (§. 120.); *dominium plenum excludit omnes proprietate, jure utendi, jure fruendi, in quorum dominio res non eſt.*

Quando dominum ſimpliciter appellamus, ſemper intelligimus dominium plenum. Quemadmodum corpus humanum ſimpliciter dictum denotat corpus integrum nulla

Digitized by Google

ex parte mutilatum. Quodſi adeo perpendas, quinam actus ſub proprietate, quinam ſub jure utendi, quinam denique ſub jure fruendi contineantur; haud difficile erit, in dato quocunque caſu definire, quinam actus ſint domino liciti & quibus non dominus excludatur, quosque adeo dominus ferre non tenetur in non domino (§. 121.).

§. 139.

Quando res in dominium deducantur. *Si res fiunt ſingulorum, in dominium deducuntur.* Si enim res ſingulorum fiunt, ita ſubjiciuntur juri ſingulorum, ut unicuique competat jus pro arbitrio ſuo de rebus diſponendi (117.). Quoniam itaque jus diſponendi de re pro arbitrio ſuo dominium eſt (§. 118.); quando res fiunt ſingulorum, in dominium deducuntur.

Cum jure ſingulorum in re ponitur dominium; unde dominia cœperunt, quamprimum res nonnullæ factæ ſunt ſingulorum.

§. 140.

Quando ea introduci neceſſe ſit. Quoniam dominia introducuntur, ubi res fiunt ſingulorum (§. 139.), res autem ſingulorum fiant neceſſe eſt communione primæva ſublata (§. 111.); *communione primæva ſublata, dominia introduci neceſſe eſt.*

Inter communionem adeo primævam & dominium non datur jus intermedium, per quod ab illa ad hoc fit tranſitus. Sive enim multi conjunctim juri ſuo proprio res quasdam ſubjiciunt, ſive ſinguli ſingulas ſuas faciunt, ſublata communione dominia introducuntur. Singuli autem res quasdam in dominium ſuum ſtatim deducere poſſunt, neque opus eſt, ut ante deducantur in communionem poſitivam.

§. 141.

§. 141.

Legi naturæ non repugnat, ut dominia introducantur. Etenim communione primæva ſublata, dominia introduci neceſſe eſt (§. 140.), ut adeo utrumque fiat uno eodemque actu. Enimvero legi naturæ non repugnat, ut communio primæva tollatur (§. 109.). Quamobrem nec eidem repugnat, ut dominia introducantur. *An dominiorum introductio legi naturæ repugnet.*

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Legi naturæ non repugnat, ut res fiant ſingulorum (§. 108.). Enimvero quando res fiunt ſingulorum, in dominium deducuntur (§. 139.). Legi adeo naturæ non repugnat, ut res in dominium deducantur, conſequenter ut dominia introducantur.

Videmus itaque dominiorum introductionem non fuiſſe illicitam. Errant adeo, qui ſibi perſuadent, quaſi homo bona conſcientia nihil in dominio habere poſſit, ac propterea communionem mixtam introduci volunt. Quodſi dominia rerum eſſent illicita, nec communio mixta licita foret, propterea quod res pluribus ita communes, ut earum uſus ſingulis indifferenter pateat, prout unicuique opus fuerit, quemadmodum obtinet in communione primæva (§. 27.), in dominio univerſitatis ſunt (§. 129.); adeoque dominium tanquam legi naturæ non adverſum ſupponunt. Dominia rerum non invita naturæ lege fuerunt introducta.

§. 142.

Communio nec poſitiva, nec mixta legi naturæ repugnat. In communione poſitiva pluribus in re indiviſa dominium pro parte competit (§. 126.), ut adeo perinde ſit, ſive ſinguli in aliqua parte ſeparatim dominium habeant, ſive univerſi ſeu omnes ſimul habeant dominium in re indiviſa. Enimvero dominia legi naturæ non repugnant (§. 141.). *Communio poſitiva & mixta num legi naturæ repugnet.*

Quamobrem nec eidem repugnat communio poſitiva. *Quod erat unum.*

In communione negativa res ſunt in dominio univerſitatis, omnibus tamen non competit niſi uſus earundem indifferenter, prouti unicuique opus fuerit (§. 129.), adeoque nullius eorum res univerſitatis dominio ſubjectæ cenſentur, quemadmodum in communione negativa (§. 104.), qualis eſt primæva (§. 105.). Communio itaque mixta partim jus dominii, partim jus communionis primævæ continet. Enimvero nec communio primæva (§. 106.), nec dominium legi naturæ repugnat (§. 141.). Ergo nec communio mixta eidem repugnat.

Videmus itaque, nec communionem poſitivam, nec mixtam illicitam eſſe. Non invita igitur naturæ lege & in communione primitiva perſiſtere poſſunt homines, & communionem poſitivam introducere, & in mixta vivere, & dominia ſingularia communioni cuicunque præferre, prouti ipſis commodum viſum fuerit. Loquimur autem hic de juribus hiſce in ſe ſpectatis. Quodſi enim eadem ſpectentur ſub certis circumſtantiis, lex naturæ perfectiva præferri jubet jus, quod pro iſtis circumſtantiis melius. Ita inſtituto religioſorum convenientiſſima eſt communio mixta, qui exemplo ſuo praxin Chriſtianiſmi docere debent ceteros, quemadmodum hinc facile oſtendi poterat. Eam igitur dominiis ſingularibus & communioni poſitivæ prætulerunt illorum Patres ac Legislatores, communione primæva non amplius ſubſiſtente, nec denuo introducenda ob rationes, quas ex ſupra demonſtratis facile petere licet.

§. 143.

Quomodo in communione *In communione poſitiva unusquisque pro rata excludit ceteros, qui in communione ſunt, proprietate & jure utendi fruendi.*

Qui

Qui enim in communione poſitiva eſt, pro rata dominium habet in re indiviſa (§. 126.), adeoque perinde eſt ac ſi pars quædam rei in dominio ipſius eſſet. Enimvero ſi pars rei diviſæ in ipſius dominio eſſet, jure ſuo in ea excluderet ceteros, qui in ceteris partibus dominium haberent (§. 120.). Ergo qui in communione poſitiva eſt pro rata jure, quod in re indiviſa habent omnes conjunctim, excludit ceteros. Quoniam itaque dominium proprietatem & jus utendi fruendi continet (§. 136.); qui in communione poſitiva eſt, pro rata excludit ceteros, qui in eadem ſunt, proprietate & jure utendi fruendi.

Poſitiva unus excludat alterum.

Hanc propoſitionem addere lubuit, ut tanto evidentius pateret, res in communione poſitiva non differre a rebus ſingulorum, ſive eas referas ad eos, qui ſunt in communione, ſive ad ceteros, qui ſunt extra eandem. Ubivis enim vis juris proprii ſeſe exerit, qua res fiunt ſingulorum (§. 5.). Proderit tamen præterea hanc propoſitionem etiam notaſſe ob alia.

§. 144.

Qui in communione mixta ſunt, eodem inter ſe jure utuntur, quod eſt in communione primæva. Etenim qui in communione mixta ſunt, iis non competit niſi uſus rerum indifferenter, prouti cuique opus fuerit, nec præterea aliud in rebus, quæ ſunt univerſitatis, jus competit (§. 129.). Enimvero in communione primæva rerum uſus unicuique indifferenter patet, prout ipſi opus fuerit (§. 27.), nec ulli præter rerum uſum neceſſarium jus quoddam in eas competere poteſt (§. 21.). Quamobrem qui in communione mixta ſunt, eodem inter ſe jure utuntur, quod eſt in communione primæva.

Quale jus eorum qui in communione mixta ſunt.

Quæ

Quæ igitur de communione primæva demonſtrata ſunt, ea etiam ad mixtam applicari poſſunt reſpectu eorum, qui in eodem ſunt. Principium adeo hoc fœcundum eſt, ſiquidem communionem religioſorum intimius inſpicere volueris: id quod utile eſt in multis Juris Canonici capitibus.

§. 145.

Quomodo unus excludat alterum in communione mixta.

In communione mixta nemo excludit alterum, qui in communione eſt, niſi uſu actuali rei, quæ uſu conſumitur, aut, ſi ea uſu non conſumitur, eodem tempore, quo eadem utitur, ſi alii eum participare nequeunt. Qui in communione mixta ſunt, eodem inter ſe jure utuntur, quod eſt in communione primæva (§. 144.). Enimvero ſi in communione primæva tu re quadam in ſingulari, quæ uſu conſumitur, actu uteris, nemo alius ejusdem uſum licite prætendere poteſt, adeoque tu actuali ejus uſu excludis ceteros omnes; ſi vero res, qua uteris, uſu non conſumitur, nemo alius eodem tempore ejusdem uſum prætendere licite poteſt, adeoque eo, quo uteris tempore, uſu actuali ceteros omnes excludis (§. 35.). Quodſi vero rei, quem actu facis, uſum adhuc alii participare poſſunt, participatio promiſcue omnibus volentibus permittenda (§. 40.). In communione igitur mixta nemo excludit alterum, qui in communione eſt, niſi actuali rei, quæ uſu conſumitur, uſu, aut, ſi ea uſu non conſumitur, eodem tempore, quo eadem utitur, ſiquidem alii eundem participare nequeunt.

In communione adeo mixta nemo alterum excludit jure quodam in re, ſed tantummodo facto, quod pluribus circa eandem rem ſimul competere nequit. Neque hæc excluſio venit a jure ad rem, quod omnium commune eſt, ſed ab impoſſibilitate phyſica, quod ſcilicet actualis rei cujusdam uſus, qui in facto conſiſtit, plurium ſimul eſſe non poſſit.

ſit. Licitam vero hanc excluſionem facit ipſum jus commune, quod ſine eadem nulli prodeſſe poterat: actualis enim uſus determinatur per indigentiam utentis, cui uſum rerum communium proportionatum eſſe vult jus omnibus competens (§. 27.).

§. 146.

Res aliena dicitur, quæ non eſt in dominio noſtro, ſed dominio alterius ſubjecta. *Res aliena quænam ſit.*

E. gr. Liber, qui eſt Titii, tuus non eſt, conſequenter in eo dominium habet Titius, tu non habes. Liber igitur alienus eſt. Probe vero notandum eſt, ut res aliena dici poſſit, utrumque requiri, nimirum ut non habeas dominium in ea, & ut alterius dominio ſit ſubjecta. Uno eorum deficiente, res aliena non erit. Ita avis, quæ per aërem volitat, tua non eſt, cum in eadem dominium non habeas. Neque tamen eſt aliena, cum nulli adhuc hominum dominium in eadem competat, conſequenter nullius ſit. Hinc in communione primæva res nulla dici poteſt tua, nec tamen etiam ulla dici poteſt aliena, ſed communis dicenda.

§. 147.

De rei alienæ ſubſtantia, uſu & fructu nemo pro arbitrio ſuo diſponere poteſt. Etenim res aliena in dominio alterius eſt (§. 146.), adeoque is, in cujus dominio eſt, jure ſuo excludit omnes, in quorum dominio non eſt (§. 120.). Quamobrem cum illa in dominio non ſit tuo (§. 146.), idem etiam te excludit jure ſuo. Competit autem ei, in cujus dominio eſt, jus diſponendi de ſubſtantia, uſu & fructu rei (§. 136. 131. 135.). Ergo te excludit omni jure diſponendi de ſubſtantia, uſu & fructu rei. Patet igitur neminem pro arbitrio ſuo de rei alienæ ſubſtantia, uſu & fructu diſponere poſſe. *Quod de ea nullo modo diſponere poſſimus.*

Digitized by Google

Loquimur hic de jure diſponendi de re aliena, quale nullum eſſe apparet ex demonſtratione. Quamobrem non opus eſt, ut addamus, domino invito. Tacite enim ſupponitur, quod non conſtet de domini voluntate, ſeu idem non fiat, domino volente. Tunc enim quod per alium facit, per ſe feciſſe putatur. Et de hoc caſu dicemus ſuo loco.

§. 148.

Res mobiles quanam dicantur.

Res corporales dicuntur *mobiles*, quæ de loco in locum moveri poſſunt ſalva ſubſtantia ſua.

Ita res mobiles ſunt omnia utenſilia, libri, pecudes, fruges, olera, veſtes. Neque enim hic attenditur, num natura aut ars eas a rebus aliis ſeparatas produxerit, ut de loco in locum transferri poſſint, quales ſunt lapilli, piſces, pulli & gallinæ, ova gallinarum, utenſilia; an vero rebus aliis cohæreant, a quibus ſeparata demum de loco in locum transferri poſſint, ut fructus arborum, olera. Quando nimirum ſalva rei, cui cohærent, ſuaque ſubſtantia ſeparari poſſunt; cohæſio iſta minime obſtat, quo minus ſubſtantia ſua ſalva de loco in locum transferri poſſint, nec ea ad ſubſtantiam rei alterius pertinent.

§. 149.

Res immobiles quanam ſint.

Res immobiles ſunt, quæ ſalva ſubſtantia ſua de loco in locum moveri non poſſunt.

Ita res immobiles ſunt omnes fundi, veluti agri, prata, horti, item ædificia.

§. 150.

Poſſeſſio quid ſit.

Detentio rei tanquam ſuæ, ſive quis eam ſuam eſſe putet, ſive ſuam eſſe & ab aliis pro tali haberi velit, dicitur *Poſſeſſio*. Et qui rem poſſidet, *Poſſeſſor* vocatur.

Sumi-

Sumitur poſſeſſio de facto, non de jure: cui enim competat jus poſſidendi, deinceps inquirendum. Sunt equidem, qui poſſeſſionem per jus definiunt; ſed cum etiam rem poſſidere dicantur, qui jus poſſidendi non habent, jus poſſidendi & jus poſſeſſionis ab ipſa poſſeſſione diſtinguere malumus: qua in re etiam præeuntes habemus JCtos alios. JCti Romani poſſeſſionem non definiverunt: unde in ea definienda multum deſudarunt interpretes Juris & Gloſſa in. l. 38. ff. de V. O. notat, etiam peritiſſimos neſciviſſe definire poſſeſſionem. *Conſtantinus Hermonopulus* tit. 1. lib. 2. Epit. Jur. poſſeſſionem eſſe, ait, detentionem, quæ animo dominantis fit. Atque hæc definitio, ſi rem, non verba ſpectes, cum noſtra coincidit. Quoniam enim res noſtra eſt, in qua dominium habemus (§. 124.); rem tanquam ſuam detinet, qui in ea dominium exercere voluerit: id quod *Hermonopulus* uno vocabulo dominari dicit. Dominari nimirum idem eſt ac ea facere, quæ jure dominii facere licet.

§. 151.

Qualis ſit animus poſſidentis.

Quoniam poſſeſſor rem detinet tanquam ſuam (§. 150.), noſtrum vero eſt, quod in dominio noſtro eſt (§. 124.) & qui rem in dominio habet, ejus eſt dominus (§. 121.); *poſſeſſor vel putat ſe eſſe dominum, vel pro domino haberi vult, etſi norit ſe dominum non eſſe.*

Qua de cauſa vero quis ſe dominum rei exiſtimare poſſit, patebit ex iis, quæ de modo dominium acquirendi demonſtraturi ſumus: unde ſimul conſtabit, quo modo quis certus eſſe poſſit, ſe dominum non eſſe.

§. 152.

Quinam non poſſideat quam detinet.

Quoniam poſſeſſor rem detinet tanquam ſuam (§. 150.), res vero aliena noſtra non eſt (§. 124. 146.); *Qui rem detinet tanquam alienam, ut non modo norit eam eſſe alterius, verum nec pro ſua eam haberi velit, is eam non poſſidet.*

Ita qui ædes incolit ex contractu locationis conductionis, eas novit eſſe alterius, nec vult haberi pro ſuis; ædes igitur non poſſidet. Similiter qui librum ſibi commodatum detinet, eum non modo novit eſſe alterius, ſed nec pro ſuo haberi vult. Eum igitur non poſſidet. Hinc conductor non dicitur poſſeſſor rei conductæ, nec commodatarius rei commodatæ. Uterque enim re non utitur, niſi conſenſu domini, nec eidem competit uſus pro arbitrio ſuo, ſed voluntate domini definitus, prouti ſuo loco conſtabit.

§. 153.

Poſſeſſor bonæ & malæ fidei quinam ſit.

Poſſeſſor bonæ fidei eſt, qui rem, quam poſſidet, putat eſſe ſuam. Aſt *malæ fidei poſſeſſor* eſt, qui rem, quam poſſidet, novit eſſe alienam. Quamobrem cum noſtrum ſit, in quibus dominium habemus (§. 124.), conſequenter cujus dominus ſumus (§. 121.), aliena vero res ſit, quæ in dominio noſtro non eſt, ſed dominio alterius ſubjecta (§. 146.), conſequenter cujus nos non ſumus dominus, ſed alius eſt (§. 121.); *Poſſeſſor bonæ fidei putat ſe eſſe dominum; aſt malæ fidei poſſeſſor novit, non ſe, ſed alium dominum eſſe, vult tamen dominus eſſe & pro eo haberi.*

Quando b. f. poſſeſſor rem, quam poſſidet, dicit eſſe ſuam, quod pro vero habet, affirmat: aſt quando malæ fidei poſſeſſor idem dicit, quod falſum eſſe novit, affirmat.

§. 154.

Qua ignorantia laboret qui rem alienam bona fide poſſidet.

Si bonæ fidei poſſeſſor rem alienam poſſidet, eam alienam eſſe ignorat. Putat enim rem, quam poſſidet, eſſe ſuam (§. 153.). Quamobrem cum noſtrum eſſe nequeat, quod alienum eſt (§. 140. *part. I. Jur. nat.*); bonæ fidei poſſeſſor ignorare debet, rem, quam poſſidet, eſſe alienam, ſi talis fuerit.

Oſtenditur etiam indirecte hoc modo. Ponamus ſi fieri

fieri poſſit, te rem alienam poſſidentem non ignorare, quod aliena ſit. Eam igitur alienam eſſe noſti (§. 27. *part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi noveris rem, quam poſſides, eſſe alienam, malæ fidei poſſeſſor es, non bonæ fidei (§. 153.): quod eſt contra hypotheſin.

Quomodo fieri poſſit, ut quis exiſtimet rem ſuam eſſe, quæ aliena eſt, adeoque alienam eſſe ignoret, ex modis acquirendi rerum dominia, præſertim derivativis patebit.

§. 155.

Quando poſſeſſor b. f. fiat poſſeſſor m. f.

Quoniam *bonæ fidei poſſeſſor* rem alienam poſſidens ignorat, eam alienam eſſe (§. 154.); *quamprimum ſcit, rem, quam poſſidet eſſe alienam, in malæ fidei poſſeſſorem abit* (§. 153.).

Bona fides involvit ignorantiam, quod res, quæ poſſidetur, ſit aliena, nec abſque ea ſubſiſtere poteſt. Sublata igitur ignorantia, bona fides exſpirat. Bona autem fide exſpirante, mala adeſt. Cum enim inter bonam & malam fidem non detur medium, quemadmodum ex definitionibus poſſeſſorum bonæ ac malæ fidei inter ſe collatis intelligitur (§. 153.); una poſita, tollitur altera.

§. 156.

An dubitatio de dominio rei efficiat malam fidem.

Qui dubitat, utrum res, quam poſſidet, ſua ſit, nec ne, malæ fidei poſſeſſor non eſt; bona tamen fides vacillat. Qui enim dubitat, utrum res, quam poſſidet, ſua ſit, nec ne; is nec novit, eam eſſe ſuam, nec eam eſſe alienam (§. 417. *part. 2. Theol. nat.*). Quoniam itaque poſſeſſor malæ fidei non eſt, qui non novit rem, quam poſſidet, eſſe alienam (§. 153.); qui dubitat, utrum res, quam poſſidet, ſua ſit, nec ne, malæ fidei poſſeſſor non eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero qui dubitat, utrum res, quam poſſidet, ſua ſit, nec ne, ei rationes quædam adeſſe debent, cur non im-

poſſibile videatur, rem eſſe alienam (§. 417. *part. 2. Theol. nat.* & §. 70. *Ontol.*), conſequenter in eo hæret, num rem pro ſua habere poſſit, quemadmodum bonæ fidei poſſeſſori perſuaſum eſſe debet (§. 153.). Quia tamen malæ fidei poſſeſſor nondum efficitur *per demonſtrata n. 1.* bona fides ſaltem vacillat. *Quod erat alterum.*

Equidem in jure civili, ubi actuum externorum ſaltem ratio habetur, dubitatio hæc non attenditur; in jure tamen naturæ negligenda non eſt, quod etiam conſcientiæ rationem haberi vult. In hoc igitur jure inquiritur in omnes latentes animi receſſus, ut is ab omni labe purgetur, quantum facultatum noſtrarum uſus permittit. Dubitationis illius ſibi conſcius eſt, qui dubitat. Aſt nemo alius eam perſpicere poteſt, niſi ſignis quibusdam externis prodatur. Quamobrem ea ſaltem expendenda venit, ubi quis propriæ conſcientiæ rationem habere voluerit, ut conſtet, quid in hac dubitatione faciendum, ne conſcientiæ tranquillitas labefactetur, prouti ſuo loco docebimus. Idem vero noſſe debent, qui conſcientiæ aliorum præficiuntur, ut, ſi cui ſuboriantur ſcrupuli, eos eximere valeant.

§. 157.

Cuinam jus poſſidendi competat.

Jus poſſidendi non competit niſi domino. Domino enim dominium competit in re (§. 121.), adeoque ea ſua eſt (§. 124.). Quamobrem cum dominus excludat jure ſuo omnes alios, in quorum dominio res non eſt (§. 120.); nemini quoque rem detinere licet tanquam ſuam, niſi qui dominus eſt. Quoniam itaque rem poſſidet, qui eam detinet tanquam ſuam (§. 150.); nemini quoque præter dominum jus poſſidendi competere poteſt.

Hinc patet, cur poſſeſſio male dicatur a quibusdam Juris Romani interpretibus jus, ceteris recte contradicentibus.

Jus

Jus enim poſſidendi ab actu poſſeſſionis diſtinguendum eſt. Illud competere nequit niſi dominio; poſſeſſionem vero habere poteſt etiam non dominus, cui jus poſſidendi non competit. Ceterum jus poſſidendi, quod dicimus, & quod dominium continet, non confundendum cum jure poſſeſſionis, de quo deinceps dicemus.

§. 158.

Quoniam jus poſſidendi non competit niſi domino (§. 157.), *non dominus rem alienam jure non poſſidet.* *Cuinam non competat.*

Si quis putat rem eſſe ſuam, cum non ſit, eamque poſſidet, jure rem poſſidere nequit, cum enim nemo rem poſſidere velit niſi utilitatis ex ea percipiendæ gratia, non domino tribui deberet jus omnem ex re utilitatem percipiendi, quod abſurdum (§. 138.). Unde poſſeſſio neminem tuetur adverſus dominum, ſed res, quæ poſſidetur ab alio, in poſſeſſionem domini tradenda. Hinc etiam qui credit ſe dominum eſſe, cum non ſit, bona fide, non jure rem poſſidere dicitur (§. 153.).

§. 159.

Si quis ignorat rem, quam poſſidet, eſſe alienam, & ignorantia ejus invincibilis eſt, bonæ fidei poſſeſſor eſt: Si vero ignorantia fuerit vincibilis, pro poſſeſſore malæ fidei habendus. Etenim ſi ignorantia fuerit invincibilis, poſſeſſori imputari nequit, quod rem, quæ aliena eſt, putet eſſe ſuam (§. 550. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum bonæ fidei poſſeſſor ſit, qui rem, quam poſſidit, putat eſſe ſuam (§. 153.); ſi quis ignorat rem, quam poſſidet, eſſe alienam, & ignorantia ejus fuerit invicibilis, poſſeſſor bonæ fidei eſt. *Quod erat unum.* *Quando ignorantia bona fidei, quando malæ fidei poſſeſſorem efficiat.*

Enimvero ſi ignorantia fuerit vincibilis, poſſeſſori imputandum eſt, quod ignoret, rem, quam poſſidet, eſſe alienam (§. 549. *part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque pro ſciente habe-

Digitized by Google

habetur. Quamobrem cum malæ fidei poſſeſſor ſit, qui ſcit ſeu novit rem eſſe alienam (§. 153.); ſi quis ignorat rem, quam poſſidet, eſſe alienam, & ignorantia ejus fuerit vincibilis, pro poſſeſſore malæ fidei utique habendus. *Quod erat alterum.*

Qui ignorantia vincibili laborat, eum ignorantia non excuſat (*not.* §. 549. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quodſi igitur poſſeſſor bonæ fidei haberetur, qui ignorans rem, quam poſſidet, eſſe alienam, ignorantia vincibili laborat; eum ignorantia excuſaret, quod rem alienam tanquam ſuam detinuerit, nec domino reſtituerit, conſequenter ignorantia vincibilis cum invicibili in eundem cenſum referretur: quod utique abſurdum. Propoſitio præſens non ſolum uſui eſt, ubi conſcientiæ rationem habueris; ſed eadem quoque utemur tanquam principio ad demonſtranda alia, quæ etiam uſu fori comprobata ſunt.

§. 160.

Poſſeſſor b. & m. f. num jure de re diſponat.

Poſſeſſor tam bonæ, quam malæ fidei de re aliena, quam poſſidet, nullo jure diſponit. Etenim poſſeſſor bonæ fidei tantummodo putat ſe dominum eſſe, malæ fidei poſſeſſor autem novit, ſe non eſſe (§. 153.), neuter igitur in re, quam poſſidet, dominium habet (§. 121.). Enimvero dominus jure ſuo de re pro arbitrio ſuo diſponendi excludit omnem non dominum (§. 120. 118.). Poſſeſſor igitur tam bonæ, quam malæ fidei de re aliena, quam poſſidet, nullo jure diſponit.

Ratiocinamur hic de factis hominum, quomodo ex notionibus diſtinctis ratiocinari datur. Quæ enim ex notionibus rerum conſequuntur, ea ipſis tribuendæ. Et ubi jus naturæ ſpectamus, nil admitti poteſt tanquam verum, niſi quod ex definitionibus tanquam aſſumto deducitur ſive abſolute,

Digitized by Google

ſolute, ſive ſub certa conditione. De re diſponere pro arbitrio ſuo domini eſt (§. 118.). Quare non dominus de eadem pro arbitrio ſuo diſponere nequit. Nec ſufficit, quod ignoret rem eſſe alienam, & ſe dominum putet. Ignorantia enim hæc ex non domino non facit dominum, nec jus alterius in eum transfert.

§. 161.

An poſſeſſor b. & m. f. jus re utendi & fruendi re habeat.

Quoniam de re diſponit, qui eadem utitur & fruitur, *poſſeſſor* autem *tam bonæ, quam malæ fidei* de re aliena, quam poſſidet, nullo jure diſponit (§. 160.); uterque etiam *re aliena, quam poſſidet, nullo jure utitur & fruitur;* ſeu *nullum ipſi jus utendi & fruendi competit.*

Hinc fructus, quos percipit ex re aliena, alieni ſunt, ejus nempe, qui dominium in re habet (§. 136.), ſi vel maxime ignoret, cujusnam ſint, immo ſi putet, eas eſſe ſuas.

§. 162.

Quales ſint ejus actus.

Immo quia *poſſeſſor tam bonæ, quam malæ fidei* de re aliena, quam poſſidet, nullo jure diſponit (§. 160.), *quicquid agit, in nudo facto conſiſtit & factum juri alterius,* ſcilicet domini, *contrarium.*

Dicitur nimirum hic *factum nudum*, quod jure deſtituitur. Sibi arrogat poſſeſſor, quod alterius eſt.

§. 163.

Idem porro expenditur.

Cumque actus omnes dominio alterius contrarii illiciti ſint (§. 123.), *quicquid agit poſſeſſor tam bonæ, quam malæ fidei, dum de re aliena, quam poſſidet, diſponit, id in ſe ſpectatum illicitum eſt, etſi factum poſſeſſori bonæ fidei* ob ignorantiam invincibilem (§. 159.) *non imputetur* (§. 550. *part. I. Phil. pract. univ.*), ob ignorantiam tamen vincibilem (§. 159.) & ſcien-

Digitized by Google

tiam (§. 153.) *imputetur poſſeſſori malæ fidei* (§. 549. 705. 708. *part. I. Phil. pract. univ.*).

Poſſeſſor b. f. non poteſt dici injuſtus, quod agit contra jus alterius, quia ignorat, ſe contra jus alterius quicquam facere, nec ignorantiam evitare potuit, ſi vel maxime voluerit. Propoſitio præſens probe tenenda eſt, utemur enim ea ſuo loco ad demonſtranda alia. Neque enim exiſtimandum eſt, nos præter neceſſitatem nimis ſubtiliter in ea inquirere, quæ ex definitionibus conſequuntur.

§. 164.

Quomodo dominus uſu juris ſui peccare poſſit.

Si qui rem ſuam poſſidet eam putet eſſe alienam, quicquid adominus uſu zat, dum de ea diſponit, jure quidem facit, attamen peccat. Quodſi enim res, quam poſſides, tua eſt, dominium in ea habes (§. 124.), adeoque tibi competit jus diſponendi de eadem pro arbitrio tuo (§. 118.). Quicquid igitur agis, dum de ea quomodocunqne diſponis, jure tuo facis. Quoniam tamen putas, rem iſtam eſſe alienam, eam dominio alterius ſubjectam eſſe putas (§. 146.), conſequenter quod facis, dum de ea diſponis, dominio alterius contrarium, adeoque illicitum eſſe cenſes (§. 123.). Cum vero hoc non obſtante id facias, contra conſcientiam erroneam agis (§. 419. *part. I. Phil. pract. univ.*). Qui contra conſcientiam erroneam agit, peccat (§. 446. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem quicquid agas, dum de re tua, quam alienam eſſe putas, quomodocunque diſponis, peccas.

Videmus adeo, quomodo dominus, dum jure ſuo utitur, peccare poſſit. Unde apparet, quam neceſſe ſit pro ſalvanda conſcientia ſua, ut quis de jure ſuo certus ſit.

§. 165.

Contra con-

Si qui rem ſuam poſſidens eam putet eſſe alienam, quicquid facit,

ſcientiam erroneam agens dominus num alicui injuriam faciat.

facit, dum de ea diſponit, nemini injuriam facit. Etenim ſi res tua eſt, non ideo deſinit eſſe tua, quod putes eam eſſe alienam, quod brevitatis cauſa nemine contradicente ſumitur. Quoniam igitur in re tua dominium habes (§. 124.), eodem jure excludis omnes alios non dominos (§. 120.), nec res tua poteſt ſimul eſſe alterius. Vi dominii tibi competit jus diſponendi de re tua (§. 118.), nemini vero præter te jus idem competere poteſt *per demonſtrata.* Quamobrem quicquid facis, dum de re, quam poſſides, diſponis, nil facis quod contra jus alterius eſt. Enimvero qui nihil facit, quod contra jus alterius eſt, nemini injuriam facit (§. 859. *part. I. Jur. nat.*). Ergo ſi rem, quam poſſides, putas eſſe alienam, quicquid facis, dum de ea diſponis, nemini injuriam facis.

Nemo eſt, qui de injuria ſibi facta conqueri poſſit, cum nemo ſit, qui affirmare queat, contra jus ſuum quicquam fuiſſe factum. Peccat enim dominus qui rem ſuam putat eſſe alienam (§. 164.), non quod injuriam faciat alteri, ſed quod habeat voluntatem injuriam alteri faciendi, idem omnino facturus, quod nunc inſcius jure ſuo facit, etiamſi noſſet rem eſſe alterius.

§. 166.

Quale jus tranſeat in dominium ubi res dominio ſubjiciuntur.

Dum res, quæ erat nullius, dominio ſubjiciuntur, jus, quod erat omnium commune, tranſit in unum. Etenim res in dominium deducuntur, dum ſublata communione primæva fiunt ſingulorum (§. 139. 140.). Enimvero in communione primæva omnibus hominibus in rem quamcunque idem jus competit (§. 24.), dum vero fiunt ſingulorum, in eandem rem nonniſi uni cuidam ſoli in rem quandam in ſingulari convenit (§. 5.). Jus adeo, quod erat omnium commune, tranſit in unum, dum res dominio ſubjicitur quæ erat nullius.

Digitized by Google

Cum nobis jam oſtendendum ſit, quomodo dominus re ſua uti debeat, ne eadem abutatur, quale ſit jus dominii paulo accuratius inquirendum. Sane etſi dominium liberam dicat diſpoſitionem de re ſua (§. 118.), cum tamen nemo non fateatur, homines re ſua abuti poſſe, quilibet hoc ipſo largitur, libertatem iſtam lege naturali limites recipere, ultra quos extendi nequeat, ſeu non debeat. Quamobrem cum in locum communionis primævæ ſuccedant dominia, quid liceat domino dijudicandum ex eo, quod licitum erat in communione primæva, & quod exigit jus proprium loco communis exurgens. Unde perpendendum eſt jus, quod in dominos tranſit, communione primæva ſublata. Sumi autem poterat vel ſine probatione, dum dominia introducuntur, jus, quod erat omnium commune, tranſire in ſingulos fierique ſingulorum proprium. Unde & dominium per jus proprium definivimus (§. 118.). Ceterum hic non repetimus, quod jam aliquoties inculcavimus, quomodo quoad dominum plures ſimul ſpectentur inſtar unius perſonæ (*not.* §. 110.), & quo reſpectu hominum quædam multitudo repræſentet unam perſonam (§. 113.).

§. 167.

Qualis rei uſus competat domino.

Dominus re ſua non aliter uti debet, quam ut ſatisfaciat obligationi cuidam naturali. Etenim dum res, quæ erat nullius, dominio ſubjicitur, jus, quod erat omnium communione, tranſit in unum, nempe dominum (§. 166.). Enimvero in communione primæva rerum nemini præter uſum rerum corporalium neceſſarium jus quoddam in eas competere poteſt (§. 21.). Quamobrem dum res quædam, quæ nullius erat, dominio ſubjicitur, uſus ejus neceſſarius tranſit in dominium, qui antea promiſcue patebat omnibus (§. 19.). Domino adeo non competit uſus alius, niſi neceſſarius. Enimvero uſus neceſſarius eſt, qui ad hoc requiritur,

ut

Digitized by Google

ut obligationi noſtræ naturali ſatisfaciamus (§. 12.). Quamobrem dominus re ſua aliter uti non debet, quam ut ſatisfaciat obligationi cuidam naturali.

Lex naturæ homini non tribuit jus rebus utendi, niſi quia ſine hoc uſu obligationi ſuæ naturali ſatisfacere nequeunt (§. 459. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ubi eadem non repugnante dominio res ſubjiciuntur, non alium dominis uſum permittit, quam ſine quo obligationi ſuæ naturali ſatisfacere nequeunt. Ultra hunc adeo uſum libertas diſponendi de re ſua quæ domino competit (§. 118.), non extendenda. Nemini hominum jus ſine ulla reſtrictione faciendi, quod libet, competere poteſt (§. 148. *part. I. Jur. nat.*), nec libertas tollit obligationem naturalem (§. 159. *part. I. Jur. nat.*), unde eſt libertas etiam diſponendi de re ſua, quemadmodum ex demonſtratione ſuperiori liquet (§. 117.). Falluntur itaque, qui ſibi perſuadent, vi dominii ſibi licitum eſſe non attenta obligatione naturali, qua tenemur, pro lubitu diſponere, quaſi uſus rei ſuæ nulli ſubjiciatur legi, libertatem utique in licentiam vertentes (§. 150. *part. I. Jur. nat.*), quam Deus alicui ut det fieri haud quaquam poteſt (§. 151. *part. I Jur. nat.*).

§. 168.

Abuſus rerum ſuarum quinam ſit.

Quoniam *dominus* re ſua non aliter uti debet, quam ut ſatisfaciat obligationi cuidam naturali (§. 167.); *ſi re ſua uſurus quid facit, quod obligationi cuidam naturali repugnat, re ſua male utitur, ſeu abutitur* (§. 61. *part. I. Jur. nat.*).

E. gr. Homo obligatur ad corpus ſuum conſervandum (§. 349. *part. I. Jur. nat.*), quod ſine potu conſervari nequit (380. *part. I. Jur. nat.*). Quodſi quis vinum bibit, quod ſanitati ſuæ nocet, vel tantum bibit, quantum eidem officit, vino male utitur, ſeu abutitur. Propoſitio præſens principium fœcundum eſt, vi cujus abuſus rerum facile definitur in caſu particulari.

Digitized by Google

§. 169.

Abuſus rerum num impediendus. *Natura nemo alteri rationem reddere tenetur, quomodo re ſua utatur, nec ulli jus eſt abuſum rerum impediendi, quamdiu qui rebus ſuis abutitur nil facit contra jus alterius.* Etenim natura homines omnes liberi ſunt (§. 146. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum qui liber eſt nulli hominum rationem reddere teneatur actionum ſuarum (§. 158. *part. I. Jur. nat.*); nemo etiam natura alteri rationem reddere tenetur, quomodo re ſua utatur. *Quod erat unum.*

Porro qui liber eſt, ejus conſcientiæ relinquendum, quid agat, ſeu utrum actionem quandam committere, an ommittere velit (§. 157. *part. I. Jur. nat.*), nec nulli competit jus rationem actionum ſuarum ab altero exigendi, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 158. *part. I. Jur. nat.*). Quoniam itaque dominus jure ſuo, quo de re diſponit pro arbitrio ſuo (§. 118.), excludit ceteros omnes, in quorum dominio res non eſt (§. 120.); ſive re ſua bene, ſive male utatur, ſeu abutatur, nil facit quod eſt contra jus alterius. Quamobrem ſive re ſua bene, ſive male utatur ſeu abutatur, ipſius judicio relinquendum, quomodo eadem uti velit, nec ulli competit jus rationem ab eodem exigendi, cur eodem male utatur ſeu abutatur, conſequenter multo minus ulli hominum jus eſt abuſum rerum impediendi, quamdiu qui rebus ſuis abutitur nil facit contra jus alterius.

Nos hic loqui de abuſu rerum, qui in ſtatu naturali obtinet, quamdiu homines prorſus ſui juris ſunt, nemo non videt. Quid vero conveniat ſtatui civili, ſuo loco diſpiciemus. Ceterum hinc vides, quo reſpectu dominium dicatur jus de re diſponendi pro arbitrio ſuo. Pro arbitrio nimirum ſuo diſponere domino integrum eſt reſpectu aliorum, in quorum dominio res non eſt. Quemadmodum vero

vero libertas naturalis non tollit obligationem (§. 159. *part. I. Jur. nat.*); dum de re ſua diſponit dominus, legi naturæ convenienter de eadem diſponere debet. Ceterum ex præſenti quoque propoſitione intelligitur, quo ſenſu a nonnullis interpretibus Juris Romani dicatur, dominum poſſe rem ſuam perdere. Etenim ſi eam perdit, non licite hoc facit, ſed peccat: nemini tamen hoc impedire licet nec rationem a domino exigere, cur perdiderit, ubi hoc fecit.

§. 170.

Abuſus rerum ſuarum lege naturali prohibitus. Etenim abuſus rei ſuæ obligationi cuidam naturali repugnat (§. 168.), conſequenter officio cuidam contrariatur (§. 224. *part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero homo obligatur ad rectum faciendum juris ſui uſum, (§. 62. *part. I. Jur. nat.*), adeoque ad eum, quem officia exigunt (§. 61. *part. I. Jur. nat.*), & ad evitandum abuſum, ſeu uſum minus rectum (§. 62. *part. I. Jur. nat.*), adeoque ad eum, qui officio cuidam contrariatur (§. 61. *part. I. Jur. nat.*). Abuſus adeo rerum ſuarum lege naturali prohibitus (§. 163. *part. I. Phil. pract. univ.*).

Abuſus rei ſuæ num lege naturali prohibitus.

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui re ſua abutitur, dominio, quod in ea habet (§. 124.), adeoque jure ſuo abutitur (§. 118.). Sed abuſus juris ſui illicitus (§. 63. *part. I. Jur. nat.*). Ergo etiam abuſus rei ſuæ illicitus, conſequenter lege naturali prohibitus (§. 170. 163. *part. I. Phil. pract. univ.*).

Si dominus re ſua abutitur, peccat (§. 440. *part. I. Phil. pract. univ.*), etſi nec tuum, nec alterius ſit, impedire, ne peccet, cum nec tui, nec alterius juri ſubjectum ſit exercitium dominii alieni. Qui animo probe comprehendit, quæ de libertate naturali demonſtrata ſunt, nihil in hiſce difficultatis reperiet, modo obſervet ante ſtatum civilem introductis licet dominiis ſtatum libertatis integrum perſtitiſſe (§. 147. *part. I. Jur. nat.*)

§. 171.

Primordia dominii, qualia fuerint.

Si quis in communione primæva res mobiles, quæ uſu conſumuntur, uſus futuri gratia apprehenſas detinet, ceterosque uſu earum, antequam ipſe actu utatur, excludit; eas dominio ſuo ſubjicit. Etenim in communione primæva nemo excluditur a jure utendi re quacunque (§. 103.); ſed unus ceteros tantummodo excludit uſu actuali rei (§. 35. 36.). Quodſi ergo quis in communione primæva res mobiles, quæ uſu conſumuntur, uſus futuri gratia apprehenſas detinet, ceterosque uſu eorum, antequam ipſe actu utatur, excludit; in communione primæva res iſtas non relinquit. Enimvero cum communione primæva ſublata dominia introduci neceſſe ſit (§. 140.); ſi qua res in communione primæva non relinquatur, ea dominio ſubjiciatur neceſſe eſt. Quamobrem ſi quis in communione primæva res mobiles, quæ uſu conſumuntur, uſus futuri gratia apprehenſas detinet ceterosque uſu earum, antequam ipſe actu utatur, excludit; eas dominio ſuo ſubjicit.

Nemo facile dubitabit, hoc modo prima rerum dominia introducta fuiſſe. Etenim prudentia, quam haud longa experientia ſuggerit, ſuadet, ut uſus futuri gratia aſſerventur res mobiles, quæ uſu conſumuntur. Unde etiam in brutis imaginem quandam hujus prudentiæ obſervare licet. Neque apes alio fine mel conficiunt, quam ne hieme fame ipſis ſit pereundum. Ad prudentiam colendam homines obligantur (§. 258. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem ubi in communione primæva futuræ indigentiæ providere cœperunt homines, ut a communione primæva diſcederent ipſa naturæ lege invitati fuiſſe videntur. Dum vero uſum rerum quarundam mobilium ita ſibi proprium fecerunt, qui indigentiæ futuræ providere voluerunt, ut ſibi ſoli vindicarent facultatem de eo diſponendi; quin res dominio ſuo ſubjicerint dubi-

Digitized by Google

dubitari nequit (§. 118.). Atque adeo patet, qualia fuerint dominiorum primordia. Hinc etiam videas apud gentes, quibus fixa ſedes non erat, res mobiles in dominio fuiſſe, quarum uſus vitæ neceſſitati ſerviebat, veluti apud Scythas, de quibus dictum eſt in ſuperioribus (*not.* §. 68.). Cum in primæva communione viverent homines, nulla dominii notio ipſis erat. Ratio igitur aliqua requirebatur, ob quam dominii notio mentem illorum ſubiret. Initio humanum genus in vitæ ſimplicitate acquieſcebat, adeoque ſponte naſcentibus, contentum erat (§. 68.), rebus induſtrialibus & artificialibus inſuper propemodum habitis. Quamobrem fieri haud quaquam potuit, ut in re quadam jus quoddam proprium appeterent, quam ut res quaſdam mobiles, quæ uſu conſumuntur, futuri uſus gratia eidem ſubjicerent, non invidentibus ceteris, quibus eoſdem imitari & futuræ neceſſitati eodem modo proſpicere integrum erat.

§. 172.

Progreſſus dominiorum.

Si quis in communione primæva agrum exercet, hortos colit & pratum quoddam rei ſuæ pecuariæ deſtinat, ut fruges & fructus ſolus percipiat, & ſuo uſui agrum, hortum & pratum dicat; fundos, agrum ſcilicet, hortum & pratum, dominio ſubjicit. Etenim in communione primæva omnibus laborandum communis utilitatis gratia (§. 41.), adeoque exercendi ſunt agri, colendi horti, res pecuaria facienda non propriæ, ſed communis utilitatis gratia, ita ut res induſtriales, fruges, fructus, pecora & hinc naſcentia commoda ſint communia (§. 29.). Quamobrem ſi quis agrum exercet, hortum colit eo animo, ut ipſe fruges & fructus ſolus percipiat, & huic uſui ſuo agrum & hortum, pratum vero quoddam rei ſuæ pecuariæ ſoli deſtinat; is fundos in communione primæva non relinquit, huic etiam ſubducit res induſtriales. Enimvero communione primæva ſublata dominia introduci

neceſſe eſt (§. 140.). Quodſi igitur quis in communione primæva agrum exercet, hortum colit, ut fruges & fructus ſolus percipiat, huicque ſuo uſui agrum ac hortum deſtinat, ſicuti rei pecuariæ ſuæ pratum aliquod; is fundos, agrum ſcilicet, hortum & pratum, dominio ſubjicit.

Atque hinc diſcere licet, quomodo dominio ſubjici etiam cœperint res immobiles. Cum enim multiplicato genere humano ipſa vitæ ſimplicitas exigeret res induſtriales (§. 72.), & proprii juris jam eſſe cœpiſſent res mobiles, quæ uſu conſumuntur (§. 171.), conſequenter dominii notio hominibus jam eſſet; commodius utique viſum fuit, ſi res ſuæ induſtriæ debitæ etiam ſuæ eſſent, quam communes, conſequenter fundi quoque rerum induſtrialium gratia dominio ſubjicerentur. Omnes quoque fatentur, quibus vetuſta monumenta non ſunt ignota, res mobiles ante in dominium fuiſſe deductas, quam immobiles: id quod denuo exemplum Scytharum confirmat (*not.* §. 68.). Pecora enim & ſuppellex erant ipſis propria; aſt agri, quos non exercebant, prata fundique ceteri omnes in communione ſubſiſtebant. Et quoniam humano genere nondum in nimium multiplicato, nec vitæ ſimplicitate prorſus relicta, unusquisque tantum de fundis ſibi aſſerere poterat, quantum uſibus ſuis ſufficere exiſtimabat, cum non deeſſent alii, quos ceterorum quisque uſibus ſuis vindicaret; nec hic ulla erat ratio, cur ceteri obſtarent, ſi quis fundos dominio ſuo ſubjicere vellet, præſertim cum nemo tunc plura appeteret, quam quæ vitæ neceſſitati ſufficerent, nec ſuperflua ullius eſſent uſus. Res adeo immobiles citra invidiam dominio ſubjici cœperunt.

§. 173.

Modus dominium ac- *Si quis in communione primæva actu quodam externo declarat, quod ipſe ſolus ea uti frui velit, ſeu uſum ejus ſibi ſoli aſſerit; eandem*

eandem dominio ſuo ſubjicit. Etenim in communione primæva uſus rerum indifferenter patet omnibus (§. 19.) & fructus ſunt tantummodo in numero rerum, nec ab iis diſtinguuntur (§. 22.). Quamobrem ſi quis in communione primæva actu quodam externo declarat, quod ipſe ſolus re uti frui velit, ſeu uſum ejus ſibi ſoli aſſerit; eandem in communione primæva non relinquit. Enimvero ſi communio primæva tollitur, dominia introducantur neceſſe eſt (§. 140.), conſequenter res, quæ in communione primæva non relinquitur, dominio ſubjicitur. Si quis ergo in communione primæva actu quodam externo declarat, quod ipſe ſolus ea uti frui velit, ſeu uſum ejus ſibi ſoli aſſerit; dominio ſuo eandem ſubjicit. ***quirendi in communione primæva.***

In communione primæva res omnes ſunt communes, (§. 24.), adeoque omnibus idem jus ad eandem competit (§. 4.), ut quamcunque ad uſum neceſſarium arripere poſſit, qui voluerit, nec apprehenſam invito quiſquam alius eripere licite queat (§. 36.). Quamobrem ſi quis velit rem quandam dominio ſuo ſubjicere, qua indiget, cum ipſius judicio relinquendum ſit, in quantum uſus rerum ipſi neceſſarius & quanta indigentia ſua ſit (§. 43.); ſua unicuique ſufficit voluntas ad uſum rei cujusdam ſibi ſoli aſſerendum, conſequenter ad eandem dominio ſuo ſubjiciendam. Res adeo, quæ antea erat communis uſus, fit tua, quia vis eandem tuam eſſe. Atque adeo ad dominium in communione primæva acquirendum ſufficere videbatur actus voluntatis. Enimvero dominus jure ſuo excludit ceteros omnes (§. 120.), ipſi competit jus non patiendi, ut quis alius faciat ſe invito, quod vi dominii facere licet (§. 121.), conſequenter quando res communis in communione primæva ſubjicitur dominio, præter dominum nemini jam re illa uti frui datur, cum uſus antea promiſcue pateret omnibus. Ne-

Digitized by Google

ceſſe igitur eſt ut voluntas, qua uſum rei cujusdam quis ſibi appropriat, actu quodam externo ſufficienter declaretur alias enim ceteris conſtare nequit, ſe uſu ejus rei excluſos eſſe. Qui conſenſum ceterorum ad acquirendum dominium in communione primæva requirunt & hinc ex pacto quodam ſive expreſſo, ſive tacito originem dominiorum deducunt; non perpendunt, communionem primævam ne fingi quidem poſſe niſi in ſtatu originario (§. 11.), in qua datur libertas nullo modo reſtricta, ſeu jus libertatis naturalis plenum viget (§. 145. *part. I. Jur. nat.*). Unde porro non revocant ad animum, quomodo unusquisque de uſu rerum communium ſuo judicio decernat (§. 43.), nec conſenſu demum aliorum eundem definiat, nec niſi communicato cum ceteris conſilio iisdem utatur. Præterea non advertunt, qualis fuerit vitæ ſimplicitas, antequam a communione primæva diſcederent homines, quodque in hac illam linquere vix datum fuerit, quemadmodam ex iis intelligitur, quæ de vitæ ſimplicitate in ſuperioribus demonſtrata ſunt (§. 70. *& ſeqq.*). Qua de cauſa ſibi perſuadent, eum, qui rem quandam ſibi propriam facit, jus ſuum ceteris auferre: id quod omnino ſine ipſorum conſenſu fieri minime poſſet. Ne igitur nebulæ quædam obfuſcarent intellectum, jus communionis primævæ in ſuperioribus accuratius declarare viſum fuit, quam huc usque ab aliis factum. Relegenda quoque ſunt, quæ modo ad paragraphos præcedentes (§. 171. 172.) annotavimus, cur citra invidiam res tam mobiles, quam immobiles dominio ſubjici potuerint in communione primæva.

§. 174.

Occupatio quid ſit.

Occupatio eſt factum, quo quis declarat rem nullius ſuam eſſe debere & eam in hunc ſtatum redigit, ut ſua eſſe poſſit.

Digitized by Google

Nihil notius eſt, quam occupationem haberi pro modo originario acquirendi rerum dominia & modum antiquiſſimum celebrari, quo homines a communione primæva diſcedentes dominio res ſubjecerunt. In ea vero definienda mire ſe torquent autores, nec inter ſe conſentiunt & in caſibus particularibus definituri, quando res dici debeat occupata, haud raro in diverſas ſententias abeunt. Noſtrum non eſt examinare definitiones aliorum: eam vero dediſſe contenti ſumus, quæ uſui loquendi reſpondet & ex qua in caſu quovis particulari citra omnem difficultatem oſtendi poteſt, utrum res occupata dici debeat, nec ne, ne jus commune ullo modo violetur. Ad occupationem itaque requiritur 1. ut res, quæ occupatur, ſit nullius, quodſi enim jam ſit in dominio alterius, ea tua eſſe nequit (§. 125.): 2. ut velis, eam eſſe tuam, alias enim manet nullius: 3. ut facto quodam declares, quod eam tuam eſſe velis, alias enim aliis conſtare nequit de voluntate tua: 4. ut facto hoc in eum ſtatum redigatur, quo tua eſſe poſſit, alias enim abſurdum eſt velle, quod eſſe nequit. E. gr. Ponamus te pullos avium ex nido tecum auferre. Nemo eſt, qui negare auſit, eos a te eſſe occupatos. Hoc vero factum tale eſt, ut omnia ei conveniant, quæ ad occupationem requiſivimus. Etenim 1. pulli avium in nido ſunt nullius, quod nemo non concedit, & contra negantem ſumi poteſt exempli cauſa. 2. Qui pullos ex nido ſecum aufert, eos vult eſſe ſuos, alias enim in nido eosdem relinqueret: 3. nemo non ex eo, quod pullos ex nido ſecum aufert, colligit, quod eos ſuos eſſe velit, adeoque factum hoc voluntatis declaratio eſt, ſeu tale, quo voluntas alterius declaratur: 4. factum quoque tale eſt, ut pulli avium, qui erant in nido, redigantur in eum ſtatum, quo, ſui eſſe poſſunt, hoc eſt, ut de iis pro arbitrio ſuo diſponendi facultas ei competere queat, ſeu quod dominum conſtituere valet, qui eſſe vult. Tolle unum horum requiſitorum, quodcunque volueris, non

amplius dici poterit, pullos in nido fuiſſe occupatos. Ponamus te pullos in nido manu apprehendere & velle, ut ſint tui: aſt cum jam commodum non ſit, ut eos tecum ſtatim auferas, eos in nido relinquere. Nemo affirmare audebit, quod eos occupaveris, ſed tantummodo concedet, quod eos occupare decreveris. Nimirum ex facto tuo alteri nondum conſtare poteſt de voluntate tua, nec tu pullos in eum redegiſti ſtatum, quo tui eſſe poſſint, ſeu poſſibile eſt, ut de iis pro arbitrio tuo diſponas. Enimvero demus etiam exemplum rei immobilis occupatæ. Si quis agrum, qui nullius erat, colit & ſemen ſuum eidem committit; agrum occupare dicitur. Etenim adſunt denuo omnia requiſita, quæ ad occupationem exigit definitio. Primum per ſe patet, quod ſit res nullius. Cum agrum non colamus, niſi frugum percipiendarum gratia; dum agrum colis & ſemen eidem immittis tuum, nemo dubitabit, quin velis fruges percipere, adeoque agrum eſſe tuum. Unde liquet, facto huic convenire requiſitum ſecundum & tertium. Dum vero agrum actu colis, eum eſſe in eo ſtatu, ut de ejus uſu pro arbitrio tuo diſponere poſſis, ecquis in dubium revocabit, cum actu diſponas? Adeſt igitur etiam requiſitum quartum. Eodem modo intelligitur, te piſces & aves, quos capis, occupare: occupare etiam lapillos, quos ad ripam fluvii colligis & domum apportas. Non eſt, quod excipias factum tale eſſe poſſe, ut ex eo certo colligi non poſſit voluntas alterius. E. gr. fieri poſſe, ut quis lapillos domum apportet, non quod velit eos eſſe ſuos, ſed quia eos alteri monſtrare cupit, quo facto eos denuo abjecturus eſt. Sufficit enim factum eſſe tale, ut eodem alter voluntatem ſuam rem dominio ſuo ſubjiciendi declaret, adeoque pro occupante ab aliis haberi poſſit. In probabilibus enim recte infertur, quod facto quodam quis voluntatem ſuam declarare voluerit, quo eam delarare poteſt (§.578. *Log.*): quale quid etiam obtinet in aliis bene multis, ubi de animo alterius ſtatuendum.

§. 175.

§. 175.

Quomodo rerum dominium in communione primæva acquiratur.

Rerum, quæ ſunt in communione primæva, dominium occupando acquiritur. Res, quæ ſunt in communione primæva, nullius ſunt (§. 7. 9.) & ſi quis in eadem declarat facto quodam, quod ipſe ſolus ea uti frui velit, ſeu uſum ejus ſibi ſoli aſſerit, eandem dominio ſuo ſubjicit (§. 173.). Quoniam itaque qui rem occupat declarat rem nullius ſuam eſſe debere, & eam in hunc ſtatum redigit, ut ſua eſſe poſſit, conſequenter ut ejus uſum ſibi ſoli aſſerere queat (§. 124. 121.); in communione primæva qui rem occupat, eam dominio ſuo ſubjicit, ſeu quod perinde eſt, rerum quæ ſunt in communione primæva, dominium occupando acquiritur.

Atque adeo patet, occupationem eſſe modum dominium acquirendi, ubi a communione primæva diſceditur (§. 112. *part. I. Jur. nat.*).

§. 176.

Modus acquirendi originarius quinam ſit.

Modus acquirendi originarius eſt, quo acquiritur dominium rerum nullius.

Modum acquirendi in genere definivimus jam alibi (§. 112. *part. I Jur. nat.*); quæ definitio non modo valet de dominio, ſed de jure quovis alio, quod homini non connaſcitur. Hic vero in ſpecie definimus, quinam modus acquirendi dominium dicatur originarius.

§. 177.

Modus acquirendi dominium derivativus quinam ſit.

Modus acquirendi derivativus eſt, quo acquiritur dominium alicujus rei, quæ in dominio alerius exiſtit.

Dari modos acquirendi etiam derivativos, hoc eſt, nos acquirere poſſe dominium earum rerum, quæ jam in dominio

nio alicujus ſunt, ſuo loco demonſtrabimus. Quia modus acquirendi derivativus diſtinguitur ab originario, cum hic definire libuit, ut appareat, cur quidam dicatur originarius, etſi in hoc capite definitione hac non utamur.

§. 178.

Occupatio qualis modus acquirendi dominium ſit.

Occupatio eſt modus acquirendi dominium originarius. Occupatione acquiruntur rerum dominia in communione primæva (§. 175.). Quare cum non occupentur niſi res, quæ ſunt nullius (§. 174.); occupatio eſt modus acquirendi dominium rerum nullius. Enimvero modus acquirendi originarius eſt, quo acquiritur dominium rerum nullius (§. 176.). Ergo occupatio eſt modus acquirendi dominium originarius.

Modo acquirendi originario res primum in dominium deducuntur, quæ juri proprio nondum ſubjectæ ſunt: id quod fit, dum res occupantur, quæ communes totius generis humani ſunt, & in quibus nemini in ſingulari jus aliquod competit. Dicitur occupatio a nonnullis etiam modus acquirendi maxime naturalis, quem originarium appellamus: ſed non opus eſt, ut eandem rem diverſis nominibus exprimamus. Nimia ſubtilitate eademque ſuperflua contenderes modum maxime naturalem acquirendi dominium eſſe peculiarem ſpeciem modorum acquirendi, quos probat jus naturæ, ita ut ex præmiſſa definitione demonſtrandum ſit occupationem eſſe modum acquirendi maxime naturalem: neque enim entia multiplicanda ſunt præter neceſſitatem.

§. 179.

Jus occupandi cuinam competat in communione primæva.

Si a communione primæva receditur, jus occupandi rem quamcunque omnibus indifferenter competit, qui eadem indigent. Si enim a communione primæva receditur, dominia introducantur neceſſe eſt (§. 140.). Quamobrem cum rerum, quæ

quæ ſunt in communione primæva, dominium occupando acquiratur (§. 175.); jus occupandi competit a communione primæva recedentibus (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*). Cum vero dum res, quæ erant nullius, dominio ſubjiciuntur, jus, quod erat commune, in unum tranſeat (§. 166.), commune vero hoc jus conſiſtat in uſu neceſſario (§. 21.) unicuique patente, prouti ipſi opus eſt (§. 27.), ſeu re iſta indiget; jus quoque rem quamcunque occupandi omnibus indifferenter competere debet, qui eadem indigent, ubi a communione primæva receditur.

Natura, quæ res omnes fecit communes (§. 7.), nemini in ſingulari hanc vel iſtam rem occupandam aſſignat. Quemadmodum itaque jus rebus utendi omnibus promiſcue competit, prouti hac vel iſta re quis indiget; ita ſimiliter jus occupandi rem quamcunque, qua quis indiget, indifferenter competere omnibus debet.

§. 180.

Quousque jus occupandi extendatur & quinam idem definire debeat.

Jus occupandi, ubi a communione primæva receditur, proportionatur indigentiæ uniuscujusque; quanta vero ſit hac indigentia, uniuscujusque judicio relinquendum. In communione primæva uſus rerum neceſſarius proportionatur indigentiæ uniuscujusque (§. 27.). Enimvero ſi ab eadem receditur, jus occupandi rem quamcunque unicuique competit, qua indiget (§. 179.), & quia occupando dominium acquiritur (§. 175.), jus, quod erat omnium commune, uſus nempe rerum occupatarum neceſſarius (§. 21.), tranſit in unum (§. 166.). Quamobrem dubitari nequit, quin etiam jus occupandi proportionari debeat indigentiæ uniuscujusque *Quod erat unum.*

Enimvero communio primæva obtinet in ſtatu origi-

Digitized by Google

nario (§. 11.), adeoqne jus occupandi, ubi a communione eadem diſcedendum, in eo ſtatu ſub hac conditione jam competit. Quoniam itaque in ſtatu originario quilibet homo liber eſt (§. 144. *part. I. Jur. nat.*), adeoque ipſi permittendum, ut in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quam diu contra jus alterius nil facit (§. 156. *part. I. Jur. nat.*), ſuo autem jure utitur, qui rem occupat (§. 179.); uniuscujusque judicio etiam relinquendum, quanta ſit ipſius indigentia. *Quod erat alterum.*

Quodſi propoſitionem præſentem non explices, niſi per definitiones in anterioribus datas, & principia, quibus indemonſtrando utimur, animo comprehenderis; nihil circa eandem difficultatis ſuboriri poterit. Rebus indigemus, quatenus earum uſus nobis neceſſarius, conſequenter quatenus ſine earum uſu obligationi noſtræ ſatisfacere non poſſumus (§. 12.). Quamobrem ſi quis in æſtimanda indigentia ſua non modo rationem habet officiorum erga ſeipſum, verum etiam officiorum erga alios: hoc ipſum reprehendendum non eſt, ſed laudandum. Ita ſi quis in communione primæva uſus futuri gratia dominio ſuo ſubjicit res mobiles, quæ uſu conſumuntur (§. 171.), & non modo propriæ, verum etiam aliorum neceſſitati provideat; non ideo dici poteſt plus occupaſſe, quam indiget. Deinde notandum eſt, nos hic ſupponere, quod ſtatus civilis non cœperit, communione primæva adhuc ſubſiſtente: ad eum enim introducendum dominia potiſſimum cauſam dederunt, quemadmodum ſuo loco plenius conſtabit. Immo non opus eſt, ut de facto ſerram contentionis cum aliquo reciprocemus. In propoſitione enim præſente ſupponimus a communione primæva, quæ ſtatui originario cohæret, ut is ſine ea ſubſiſtere non poſſit, diſcedi in ſtatu originario, adeoque enunciatur, quid hic conveniat. Non igitur ex principiis alienis, quæ ſtatui civili conveniunt,

veniunt, hic ratiocinandum. Supra etiam jam annotavimus, quod dominia rerum introducta fuerint in eo generis humani ſtatu, quo nemo præter neceſſaria appetebat, ſuperflua vero nonniſi moleſta exiſtimabat, nimirum ſimplicitate vitæ adhuc perſiſtente. In tali itaque rerum ſtatu non facile metuendus erat libertatis naturalis in rebus occupandis abuſus. Prolixius hoc oſtendi poterat, ſi quidem ex principiis pſychologicis conjectare vellemus, quomodo ſucceſſive ſtatus originarius tandem degeneraverit in præſentem, & quasnam alterationes paſſus fuerit appetitus hominum pro diverſa eorum inclinatione naturali in diverſo ſtatu: quod etſi nonnullis non magis curioſum, quam utile videri poterat, facta ſcilicet præterita a priori conjectando aſſequi, non tamen inſtituto præſenti convenit, ubi jus, non facta explicamus, quam vis illuſtrationis gratia ad hæc ſubinde provocemus.

§. 181.

Quando res mobiles occupentur.

Si quis, ubi dominia introduci cæperunt, res mobiles nullius apprehendit, nec eas iterum abjicit, vel ſuo loco reponit; eas occupat. Ubi enim dominio res ſubjici cœperunt, notionem ſui habent homines (§. 124.), & facta aliorum videntibus, quibus eas ſibi aſſerere volunt, ea notio ſuccurrit (§. 117. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque res mobiles nullius apprehendens, eas in eum ſtatum redigit, quo ſua eſſe poteſt (§. 118. 124.); ubi eas non iterum abjicit, vel ſuo loco reponit, ex hoc facto intelligitur, quod eas ſuas eſſe velit, conſequenter tali facto voluntas ejus declaratur. Enimvero ſi quis facto ſuo declarat rem nullius ſuam eſſe debere eamque in hunc ſtatum redigit, ut ſua eſſe poſſit, eandem occupat (§. 174.). Quamobrem ſi quis, ubi dominia introduci cœperunt, res mobiles nullius apprehendit, nec eas iterum abjicit, vel ſuo loco reponit; eas occupat.

Digitized by Google

In communione primæva res apprehenduntur ſolius uſus gratia, nec hominibus adhuc dominii notio eſt. Unde niſi dominia jam primordia cœperint, quod quomodo fieri poſſit, paulo ante demonſtravimus (§. 171.), nemini factum apprehenſionis notionem ſui in memoriam revocare valet, ut inde colligat, alterum velle, ut res, quam apprehendit, ſit ſua. Et, ſi eandem non ſtatim abjicit, vel ſuo loco reponit, hinc ſaltem infertur, quod ea uti velit tanquam communi. Videmus itaque cur in hypotheſi propoſitionis præſentis ſumamus non præter neceſſitatem, dominia introduci cœpiſſe. Enimvero quamvis hominibus jam ſit notio ſui, ex ſola tamen actuali apprehenſione nondum conſtare poteſt de animo alterius, quod ſcilicet rem, quam apprehendit, velit eſſe ſuam, cum adhuc aliæ eſſe poſſint rationes, cur eas apprehendat, veluti ut eas contempletur. Ad actualem adeo apprehenſionem factum quoddam adhuc aliud requiritur ſive poſitivum, ſive negativum, ut animus eam ſibi habendi, quemadmodum vulgo dicitur, inde colligi poſſit. Tale factum negativum, quod in omni caſu obtinet, eſſe debet, ſi res, quas apprehendit, non ſtatim iterum abjicit, vel ſuo loco reponit. Unde ſi quis pullos in nido manu ſua apprehendit, ſed eas iterum reponit, in reditu easdem ſecum ablaturus, quamvis animum habeat ut pulli ſint ſui, actualis tamen earum apprehenſio dici nequit occupatio. Neque enim de voluntate apprehendentis conſtare poteſt, ſi rem apprehenſam non retinet, id quod tamen neceſſe eſt, quia jure tuo alterum uſu non modo ejusdem rei, ſed omni actu domino licito excludere vult, ut adeo alter ſcire debeat ſe eſſe excluſum. Nullus dubito, quin illi, qui occupationem per apprehenſionem actualem rei cum animo eandem ſibi habendi definiunt, tacite ſuppoſuerint rem apprehenſam retineri & in eum ſtatum deduci, ut intelligi poſſit animus rem ſibi habendi. Ecquis vero dubitabit, nos recte facere, quod, quæ

quæ tacite ſupponuntur, diſertis verbis exprimamus, ne tacitæ ſuppoſitionis ignarus definionem male applicet. Nihil enim frequentius eſt, quam quod propoſitiones ac definitiones non ſatis intellectæ perperam applicentur ac falſæ inde concluſiones inferantur. Et quis interpretum Juris reprehendit, ſi interpretatione reſtrictiva adjiciantur legi tacitæ determinationes a legislatore omiſſæ, ne male applicetur. In communione primæva res uſus etiam gratia apprehenduntur, quamobrem ubi a communione primæva receditur, ex ſola apprehenſione dignoſci nequit, utrum re tantummodo uti, an vero eam tuam eſſe velis. Nec aliter ſtatuendum, ubi res quædam in primæva communione relinquuntur, dominiis licet rerum ceterarum introductis.

§. 182.

Rerum mobilium nullius dominium quomodo acquiratur.

Quoniam rerum, quæ ſunt in communione primæva, dominium occupando acquiritur (§. 175.), occupantur autem res mobiles nullius, ubi dominia introduci cœperunt, ſi quis eas apprehendit, nec iterum abjicit, vel ſuo loco reponit (§. 181.); *ſi quis, ubi dominia introduci cœperunt, res mobiles nullius apprehendit, nec eas iterum abjicit, vel ſuo loco reponit; earum dominium acquirit.*

Atque hic eſt modus originarius acquirendi res mobiles (§. 176.), qui non modo obtinuit, ubi a communione primæva diſceſſerunt homines; verum etiam hodienum adhuc viget. Ita dominius pullorum evadis, ubi eos ex nido tecum aufers, & piſcium, qui in fluvio natabant, ubi captos aquæ in vaſe quodam contentæ immittis.

§. 183.

Quale jus acquiratur

Si quis, ubi dominia rerum introduci cœperunt, rem mobilem nullius apprehendit; eam ipſi eripere non licet. Etenim aut

 cam

nuda appre-henſione. eam apprehendit uſus cujusdam gratia, aut eo animo, ut ſit ſua, eam adeo non iterum abjecturus, vel ſuo loco repoſiturus. Quodſi res adhuc nullius eſt, in communione primæva eſt (§. 7. 9.). Enimvero ſi uſus neceſſarii gratia, de quo judicium unicuique relinquendum (§. 43.), rem quandam apprehendis, nemini licet tibi invito eandem eripere (§. 36.), & ſi eo animo eandem apprehendis, ut ſit tua, eam non iterum abjecturus, vel loco ſuo repoſiturus, dominium acquiris (§. 182.), adeoque jus perfectum in ea habes (§. 122.), contra quod nemo quicquam facere debet (§. 910. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem ſi quis, ubi dominia rerum introduci cœperunt, rem mobilem nullius apprehendit; eam ipſi eripere non licet.

Videmus adeo apprehendenti rem mobilem eripi non poſſe, etiamſi nondum conſtet de voluntate ipſius, utrum ſcilicet eam ſuam eſſe velit, nec ne, conſequenter num occupaverit (§. 174.). Quamobrem cum ad occupationem rei mobilis requiratur apprehenſio (§. 181.); ſi quis ex ea probabiliter colligit animum dominantis (§. 578. *Log.*), non metuendum eſt, ut quid faciat contra jus alterius, vel ſuo juri deſit. Expectandam enim eſt, donec facto quodam declaret eum rem ſuam eſſe nolle, antequam de uſu juris ſui ſtatuat. Quamprimum itaque quis rem mobilem nullius apprehendit, quoad alios perinde eſt, ſive eam velit eſſe ſuam, ſive minus. Unde quoad alios pro occupante haberi poteſt, modo rem apprehenderit, conſequenter & pro domino haberi (§. 175.), quamdiu eam tenet. Atque hoc ſenſu admitti poteſt, apprehendentem habendum eſſe pro domino, &, ubi rem abjicit, eam iterum dereliquiſſe.

§. 184.

Alius modus *Si quis, ubi dominia rerum introduci cœperunt, rem mobilem*

Digitized by Google

lem nullius in eum ſtatum redigit, quo eam apprehendere poteſt, occupandi & factum tale ſit, ut una declaret quod eam velit eſſe ſuam; mobilia eam occupaſſe cenſetur ejusque dominium acquirit. Etenim ſi facto ſuo rem mobilem nullius in eum ſtatum redigit, quo eam apprehendere poteſt, quin ipſius eſſe poſſit, ſi velit, nemo dubitare poteſt. Quodſi vero dominia rerum introduci cœperunt, ut non modo notio dominii animo hominum ſuccurrat, quoties de eo cogitandi occaſio offertur, verum etiam modi, quibus res mobiles occupari ſolent, perſpecti ſunt, quo rerum in communione primæva exiſtentium dominium acquiritur (§. 175.); ex facto alterius, quo rem in iſtum ſtatum redigit, quo eam apprehendere poteſt, facile intelligitur, num velit rem in eo ſtatu exiſtentem eſſe ſuam. Enimvero ſi quis facto quodam declarat rem nullius ſuam eſſe debere & eam in hunc ſtatum redigit, ut ſua eſſe poſſit, eam occupat (§. 174.). Quamobrem ſi quis, ubi dominia rerum introduci cœperunt, rem mobilem nullius in eum ſtatum redigit, quo eam apprehendere poteſt, & factum tale eſt, ut una declaret, quod eam velit eſſe ſuam; eam occupaſſe cenſendus eſt. *Quod erat unum.*

Qui rem nullius occupat, eam dominio ſuo ſubjicit (§. 175.). Quamobrem qui rem mobilem nullius, ubi dominia introduci cœperunt, in eum ſtatum redigit, quo eam apprehendere poteſt, & factum tale eſt, ut una declaret, quod eam velit eſſe ſuam; ejus dominium acquirit. *Quod erat alterum.*

Sunt quædam etiam in Jure Romano controverſiæ de acquirendo rerum communium dominio, quæ decidi non poſſunt, niſi modi occupandi ſatis fuerint perſpecti. Quamobrem

obrem ne deſint principia, quibus veritas evincatur; noſtrum omnino eſt modum occupandi accuratius ad examen revocare. Omnes omnino conſentiunt in eo, quod occupando acquiratur rerum, quæ ſunt in communione primæva, dominium; ubi vero definire debent, utrum actus aliquis pro occupatorio haberi debeat, nec ne, ſubinde hæſitant. Non alia ſane ratio eſt, quam quod modum, quo quid occupari poſſit, non ſatis expenderint. Res, quæ erat communis, non alia de cauſa fit tua, quam quod tuam eſſe velis, quemadmodum in communione primæva non actu uteris re communi, quam quod eadem uti velis: ſublata nimirum communione primæva in locum uſus ſuccedit dominium (§. 21. 140.). Quemadmodum vero in primæva communione facto quodam declarare debes, quod ea re uti velis; ita ſimiliter dominiis rerum receptis facto quodam declarare debes, quod eam velis eſſe in dominio tuo ſeu tuam. Apprehenſio rei mobilis in communione primæva aperte loquitur, quod eadem uti velis; eſt enim in numero uſuum etiam nuda ejus contemplatio. Quoniam vero introductis dominiis non tollitur jus utendi, quod in communione primæva ſolum obtinebat (§. 21.), ſed tibi adhuc integrum eſt; ex ſola apprehenſione nondum conſtare poteſt, quod rem velis eſſe tuam. Quamobrem actus occupatorii nec in nuda apprehenſione conſiſtunt, nec eam ſemper requirunt, modo tales ſint, ut ex iis colligi poſſit ſaltem probabiliter, te velle ut res tua ſit. Notandum præterea actus occupatorios ita definiendos ſeu determinandos eſſe, ubi a communione primæva receditur, ut evitentur lites, quales oriri debere, ſi alter fruſtretur operam tuam, quam rebus in eum ſtatum redigendis impendiſti quo tua eſſe poteſt, ſine qua autem alterius fieri non poterat, nemo eſt qui non intelligat.

§. 185.

§. 185.

Quomodo res immobiles occupentur.

Si quis, ubi dominia introduci cœperunt, fundum aliquem limitibus circumſcribit; aut actu uſui cuidam ſuo non tranſitorio deſtinat, eum occupat. Etenim ſi quis fundum aliquem limitibus circumſcribit, nemo non intelligit, ubi dominia rerum introduci cœperunt, quod eum eſſe velit ſuum, quemadmodum clarius patet per ea, quæ jam aliquoties de occupatione rerum mobilium dicta ſunt. Per ſe autem patet, fundum quendam limitatum tuum eſſe poſſe; ut adeo nullo actu alio in eum demum ſtatum ſit redigendus, quo tuus eſſe poſſit, inſtar avis, qui avolare, vel feræ, quæ aufugere poteſt. Enimvero ſi quis facto quodam declarat rem nullius ſuam eſſe debere & eam in hunc ſtatum redigit, ut ſua eſſe poſſit, eam occupat (§. 174.). Quamobrem ſi quis, ubi dominia introduci cœperunt, fundum aliquem limitibus circumſcribit, eum occupat. *Quod erat unum.*

Quodſi quis fundum aliquem uſui cuidam ſuo minime tranſitorio deſtinat, veluti ſi in eo arbores plantet ſuo demum tempore fructus edituras, aut agrum colit ſpe meſſis futuræ; hoc ipſo actu declarat, quod hunc fundum ſuum eſſe velit, ubi dominia introduci cœperunt ut res induſtriales non amplius ſint communes (§. 29. 140.). Dum vero res quædam immobilis actu ſervit uſui tuo, quin in eo ſtatu ſit, ut tua eſſe poſſit, denuo dubitari nequit. Quoniam itaque rem occupat, qui eam in eum ſtatum redigit, ut ſua eſſe poſſit, & declarat quod ſuam eſſe velit (§. 174.); qui fundum aliquem uſui cuidam ſuo minime tranſitorio deſtinat, eum occupat.

Homines primum res pure naturales mobiles occupare cœperunt, & ad horum imitationem occuparunt etiam fun-

dos rerum induſtrialium cauſa. Inde per ſe ſequebatur, quod fixas quoque ſibi conſtituere deberent ſedes: quo fine etiam fundos occuparunt ædium extruendarum cauſa. In communione primæva communis utilitatis gratia omnibus foret laborandum (§. 41.), ut res & induſtriales & artificiales in communem uſum proſtarent (§. 32.). Enimvero cum res mobiles pure naturales dominio ſubjici cœperint, antequam de induſtrialibus cogitarent homines (§. 171.); omni probabilitate deſtituitur, quod communio primæva tamdiu duraverit, donec rebus induſtrialibus eſſet opus, & is ſtatus unquam ullibi terrarum obtinuerit, quo communis utilitatis gratia laborarunt homines, ne deeſſet ſufficiens rerum induſtrialium & artificialium in communem uſum proſtantium copia. Quamobrem ex eo, quod rerum induſtrialium cauſa quis laboret, ſtatim collegerunt alii, quod fundum velit eſſe ſuum. Atque adeo patet fundos, qui ſunt res immobiles pure naturales rerum induſtrialium acquirendarum cauſa limitibus circumſcribi, aut, ubi ſedes fixa placuit hominibus, ædium extruendarum. Supponi autem hic fundos adhuc eſſe nullius, me non monente patet: cum alias occupari minime poſſent (§. 174.).

§. 186.

Rerum immobilium dominium quomodo originarie acquiratur.

Si quis, ubi dominia introduci cœperunt, fundum aliquem limitibus circumſcribit, aut actu uſui ſuo cuidam minime tranſitorio deſtinat; dominium ejus acquirit. Utroque enim facto fundum, qui erat in communione primæva, occupat (§. 185.). Quoniam itaque occupando acquiritur dominium rerum, quæ ſunt in communione primæva (§. 175.); dominium fundi acquirit, ſi quis, ubi dominia introduci cœperunt, fundum aliquem limitibus circumſcribit, aut actu uſui cuidam ſuo minime tranſitorio deſtinat.

Partem

Digitized by Google

Partem aliquam hujus propoſitionis jam in ſuperioribus demonſtravimus, cum oſtenderemus, quomodo dominia ad res immobiles extendi cœperint (§. 172.), quamvis, ſi ſubtiliter diſtinguere volueris, quæ aliquo adhuc modo differunt, non prorſus eadem dici poſſit propoſitio ibidem demonſtrata cum parte altera præſentis.

§. 187.

Alius modus occupandi rem immobilem & ejus dominium acquirendi.

Si quis fundo cuidam limitato inſiſtens verbis declarat, ſe velle eum eſſe ſuum, præſentibus aliis; eam occupat & dominium ejus acquirit, ubi dominia introduci cœperunt. Etenim hoc facto declarat ſe velle, ut fundus hic ſit ſuus, qui, quod per ſe patet, in eo ſtatu eſt, ut ſuus eſſe poſſit, cumque fundus limitatus ſit, præſentes quoque intelligunt quidnam ſuum eſſe velit. Quamobrem cum rem, quæ adhuc nullius eſt, occupet, qui facto quodam declarat, quod velit eam eſſe ſuam, & ubi res in eo ſtatu eſt, ut ſua eſſe poſſit (§. 174.); qui fundo cuidam limitato inſiſtens verbis declarat, præſentibus aliis, quod eum ſuum eſſe velit, eundem occupat. *Quod erat unum.*

Quamobrem cum rei, quæ eſt in communione primæva, dominium occupando acquiratur (§. 175.); quin in caſu propoſitionis præſentis dominium fundi acquiratur, dubitandum non eſt. *Quod erat alterum.*

Equidem ſi quis re immobili actu utitur tanquam ſua, hoc ipſo eandem dominio ſuo ſubjicit, ubi a communione primæva receditur (§. 185.), ut adeo ſuperfluum videatur verbis demum declarare voluntatem ſuam, quod ea ſua eſſe debeat, aliis præſentibus; non tamen ideo modus præſens acquirendi dominium rei immobilis pro nullo haberi debet: neque enim ſemper extemplo re immobili uti datur, quamvis eſſe tuam. Hoc autem minime obſtat, quo minus eandem

Digitized by Google

dem dominio tuo ſubjicere valeas. Non eſt quod excipias aliquibus præſentibus non ſufficienter declarari voluntatem, cum iſtiusmodi requiratur declaratio, qua omnibus conſtare poſſit, rem aliquam ex communione fuiſſe exemtam & dominio ſubjectam. Antequam enim re utaris fieri poteſt ut ab alio, qui ignorat eam a te jam fuiſſe occupatam, occupetur. Etenim tum dominium per teſtes, qui erant præſentes, probare & fundum tibi vindicare potes: de qua vindicatione dicetur ſuo loco. Præſtaret utique, ubi hoc metuendum, ſigno quodam externo indigitari, quod fundus jam ſit occupatus, jure naturæ perfectivo tale urgente ad præſcindendas lites: ideo tamen negandum non eſt, dominium jam tibi eſſe acquiſitum. Ceterum fundus aliquis limitatus eſſe poteſt vel per fundos adjacentes dominio jam ſubjectos, vel per terminos naturales, quos habet, quales ſunt montes, fluvii, viæ publicæ.

§. 188.

Modus quidam res mobiles occupandi & earum dominum acquirendi.

Si quis rem mobilem nullius apprehendit aliisque præſentibus verbis declarat, quod eam velit eſſe ſuam; eam occupat & dominium ejus acquirit. Oſtenditur eodem modo, quo propoſitio præcedens.

Modus hic acquirendi rei mobilis dominium fere inutilis eſt. Qui enim rem mobilem ſuam eſſe vult, eam non iterum abjicit aut ſuo loco deponit. Quamobrem cum hinc jam conſtet de voluntate ejus, ut dominium ab ipſo acquiſitum in dubium vocari nequeat (§. 181.); neceſſe non eſt, ut aliis præſentibus verbis declaret, quod eam ſuam eſſe velit. Quoniam tamen fieri poteſt, ut hoc faciat; caſus hic prætermitti non debebat. Neque prorſus inutilis cenſeri debet, cum uſui eſſe poſſit in rei vindicatione, prouti ſuo loco oſtendetur.

§. 189.

Si plures conjunctim eandem rem occupant, dominium conjunctim acquirunt. Cum quod meum eſt tuum eſſe non poſſit (§. 125.); fieri non poteſt, ut plures ſimul dominium in ſolidum in eadem re acquirant. Quamobrem cum occupando dominium acquiratur (§. 175.). Si plures conjunctim eandem rem occupant, omnes nonniſi conjunctim dominium in eadem acquirunt.

Quando occupando dominium conjunctim acquiratur.

Quod *conjunctim fit*, in idem faciendum omnes conſentire debent. Quamobrem cum occupantes rem, quæ nullius adhuc eſt, eam ſuam eſſe velint (§. 174.); qui in occupationem rei conjunctis viribus faciendam conſentiunt, in eo etiam conſentiunt, quod res occupanda debeat eſſe ſua. Quoniam vero implicat, ut ſit ſingulorum in ſolidum; occupando nec ſit Titii ſolius, nec Mevii, nec Caji, ſed omnium ſimul. Atque ea de cauſa jam ſæpius inculcavimus, plures ſimul repræſentare nonniſi unam perſonam moralem, quæ unus dominus eſt.

§. 190.

Quoniam *ſi plures conjunctim eandem rem occupant*, dominium conjunctim acquirunt (§. 189.); *ſinguli aut dominium in re indiviſa acquirunt pro rata, vel pro partibus æqualibus, vel inæqualibus, aut nonniſi jus utendi re univerſis propria tanquam inter ſe communi, prouti inter ipſos convenerit.* Quamobrem cum communio poſitiva ſit, in qua plures in re indiviſa conjunctim habent dominium pro parte rata (§. 126.), mixta vero, in qua res equidem ſunt in dominio univerſorum, omnibus tamen non competit niſi uſus earum indifferenter, prouti ſcilicet unicuique opus fuerit (§. 129.); *occupatione conjunctim facta res, quæ erat nullius, ſeu in commu-*

Quod in conjunctim facta occupatione ſingulis jus acquiratur.

 nione

nione primæva, aut in communionem poſitivam, aut in mixtam deducitur, prouti inter occupantes conventum fuerit.

Atque hinc clariſſime patet, quantum a vero diſtet illorum opinio, qui contendunt, communione primæva ſublata res primum tranſiiſſe in communionem poſitivam, antequam fierent ſingulorum propriæ. Tacite nimium ſupponunt, quaſi genus humanum ante coiverit in populos, quam dominia introducerentur, & populi conjunctim occupaverint regionem quandam una cum rebus mobilibus inibi contentis aut jura easdem occupandi antequam quicquam eſſet ſingulorum: id quod tamen nec neceſſe eſt ad acquirenda rerum tam mobilium, quam immobilium dominia vi eorum, quæ modo demonſtrata fuit, nec naturæ humanæ convenit, quatenus facta ex ea conjectantur, nec fide hiſtorica conſtat, exemplo vel Scytharum contrarium inſinuante: ſit ita, quod populos terras vacuas quærentes ad imitationem aliorum populorum fixam ſedem habentium regiones occupaſſe ex migratione gentium palam ſit. Enimvero cum in Jure naturæ non agatur de quæſtione facti, ſed de quæſtione juris, quæ illam præcedit; in his diſcutiendis prolixiores eſſe nolumus. Ceterum ſi de facto ſermo fuerit, non diffiteor, ubi genus humanum a communione primæva diſceſſit, haud facile contigiſſe, ut conjunctim occupata deducerentur in communionem mixtam: cum enim revera negativa ſit intuitu eorum, qui in communione vivunt, quæ primævam, tanquam negativam (§. 105.), tolli ſuaſerunt rationes, vix univerſim occupantibus perſuadere potuerunt eandem inter ſe retineri. Quoniam tamen diſceſſus a communione primæva in mixtam per occupationem conjunctim factam in ſe non impoſſibilis, immo hodie exemplum facile habiturus eſſet, modo non deeſſent terræ vacuæ occupantibus patentes, cum non deſint, qui primævorum Chriſtianorum communionem introducere mallent,

mallent, ſiquidem fieri poſſet, neque præfracte negari poteſt, nullum nnquam in orbe extitiſſe exemplum, etiamſi in Hiſtoricorum monumentis non conſervatum; tanto minus convenire videbatur, ut eum inter ea referremus, quæ fieri non poſſunt.

§. 191.

Quomodo diviſione acquiratur dominium.

Quoniam dominium conjunctim acquiritur, ſi plures conjunctim eandem rem occupant (§. 189.), nec ſingulis in re indiviſa niſi pro rata vel æquali, vel inæquali parte dominium competere poteſt (§. 190.); *ſinguli acquirunt dominium in certa parte rem dividendo prouti inter ipſos conventum fuerit, ſeu rei diviſæ partem ratam unicuique aſſignando, ſi res conjunctim occupetur.*

Sane adeo diverſa ſunt pro parte eſſe dominum, & partis eſſe dominum. Pro parte qui dominus eſt, omnem equidem utilitatem ex re provenientem pro ea parte percipit, veluti ſextam partem fructuum horti, ſi pro ſexta parte dominus eſt; non tamen certa pars rei eidem aſſignata, de qua tanquam ſua diſponere poſſit, ſed de re indiviſa ſemper diſponendum omnium conſenſu, cum omnes ſimul, qui pro parte domini dicuntur, nonniſi unus dominus ſunt. Enimvero partis dominus eſt, cujus pars certa rei diviſæ dominio ſubjecta eſt, de qua adeo tanquam re ſua ſolus pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, & ex qua provenientem utilitatem ſolam ipſe ſolus percipit, ſive ea ſuperet ratam, quam habebat in communione, ſive ab eadem deficiat. Immo diviſione facta, pars reſpectu juris, quod in ea univerſis erat, non amplius dici poteſt pars, ſed fit res ſimpliciter dicta, quemadmodum ceteræ, quæ ſunt in dominio. Unde qui fit partis dominus per diviſionem, deinceps non dicendus dominus partis, ſed rei hujus ſimpliciter. Dum enim partes rei tranſeunt in dominium ſingulorum, dominium, quod

erat

erat in re indiviſa, exſpirat, quippe quod cum iſto ſubſiſtere nequit. Apparet adeo, quanta ſit differentia inter dominium in rei diviſæ parte & dominium in re indiviſa pro rata parte acquiſitum.

§. 192.

Quando diviſio ſit modus acquirendi originarius.

Quod ſi plures conjunctim rem occupant, ut inter ipſos dividatur; diviſio eſt modus acquirendi dominium originarius. Etenim ſi plures conjunctim rem occupant, ut inter ipſos dividatur; ſinguli volunt partem quandam ejus eſſe ſuam. Quamobrem occupatione conjunctim facta quoad occupantes res cenſetur in eum ſtatum redacta, ut ſua fieri poſſit, diviſa vero tranſit in dominia ſingulorum. Atque adeoque ſinguli acquirunt dominium in parte (§. 191.), tanquam in re, quæ erat in communione primæva ſeu nullius. Quoniam itaque modus acquirendi originarius eſt, quo acquiritur dominium rei nullius (§. 177.); ſi plures conjunctim rem occupant, ut inter ipſos dividatur, diviſio modus acquirendi dominium originarius eſt.

Quodſi plures conjunctim non aliter rem occupent, quam ut inter ipſos dividatur; dominium univerſis acquiri nolunt, ſed ſingulis in determinata quadam parte, adeoque nolunt, ut tota ſit univerſorum, volunt vero, ut partes determinatæ ſint ſingulorum, ſeu ſinguli volunt partem quandam determinatam rei eſſe ſuam. Nemo igitur non videt, perinde eſſe, ac ſi unusquisque partem ſibi aſſignatam occupaſſet (§. 174.), nec dici poteſt, quod dominium univerſis fuerit acquiſitum in re indiviſa, cum dominium non acquiratur niſi volenti, quemadmodum ex omnibus propoſitionibus anterioribus eluceſcit, quibus diverſos occupandi modos, quibus dominium originarie acquiritur (§. 178.), demonſtravimus. Non eſt quod excipias occupantes ſimul re tota, quæ occupatur, ceteros omnes excludere velle

quod

quod dominio proprium eſt (§. 120.). Accurate enim loquendo ſingulis nonniſi animus eſt parte certa rei occupandæ excludendi non modo ceteros omnes, verum etiam ſociorum quemlibet. Et hoc modo intelligitur, quo ſenſu diviſio a *Grotio* lib. 2. c. 2. §. 2. n. 5. pro modo dominium acquirendi originario habitus fuerit. Hinc etiam denuo confirmatur, ubi a communione primæva diſceſſerunt homines, non ante res in communionem poſitivam ex negativa deducendas fuiſſe, quam fierent ſingulorum propriæ. In hypotheſi propoſitionis præſentis plures conjunctim rem occupantes inſtar perſonæ unius ſpectari nolunt, quemadmodum neceſſe eſt, ut univerſis acquiratur dominium in re indiviſa pro parte.

§. 193.

Alius modus acquirendi dominium per diviſionem.

Si plures in eo conſentiant, ut fundum quendam, qui nullius eſt, veluti agrum, inſulam &c. inter ſe dividant, cum adhuc nullius ſit; diviſione ſingulis acquiritur dominium ejus partis, quæ ipſi cedit. Fundus, quem plures inter ſe dividere volunt, neceſſario limitatus eſſe debet, quod per ſe patet: illimitatum enim diviſionem in certas partes ſeu in data ratione non admittit. Dum plures conſentiunt, quod eum inter ſe dividere velint, unusquisque voluntatem ſuam declarat, quod certam hujus fundi partem ſuam eſſe velit, omnes vero ſimul declarant ſibi invicem, quod fundum integrum omnium eſſe velint. Quoniam vero diviſio actu inſtitui nequit, niſi eidem inſiſtant; ubi plures in eo conſentiunt, ut fundum quendam inter ſe dividant, omnino perinde eſt, ac ſi quis fundo cuidam limitato inſiſtens aliis præſentibus verbis declararet, ſe velle eum eſſe ſuum. Quamobrem cum fundo cuidam limitato inſiſtens, ſi aliis præſentibus verbis declaret, ſe velle eum eſſe ſuum, eum occupet (§. 187.); ubi plures in eo conſentiunt, ut fundum quendam,

qui adhuc nullius eſt, inter ſe dividant, perinde ſane eſt, ac ſi eundem conjunctim occuparent, dum diviſionem actu inſtituunt. Enimvero ſi res conjunctim occupetur, ſinguli dominium in certa parte rem dividendo acquirunt (§. 191.). Quare ſi plures in eo conſentiunt, ut fundum quendam, veluti agrum, inſulam &c. inter ſe dividant, cum adhuc nullius ſit; diviſione ſingulis acquiritur dominium ejus partis, quæ ipſi cedit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Dum plures fundum aliquem, qui adhuc nullius eſt, actu inter ſe dividunt, pars unicuique aſſignata limitibus circumſcribitur, neque enim pars totius intelligitur ſine limitibus, quæ determinata eſſe debet. Perinde igitur eſt, ac ſi unusquisque eorum fundum aliquem, qui nempe pars eſt ipſi aſſignata, limitibus circumſcriberet. Quodſi vero quis, ubi dominia introduci cœperunt, fundum aliquem limitibus circumſcribit, ejus dominium acquirit (§. 186.). Quamobrem ſi plures in eo conſentiant, ut fundum quendam, uti agrum, inſulam &c. inter ſe dividant, cum adhuc nullius ſit; diviſione ſingulis acquiritur dominium ejus partis, quæ ipſi cedit.

Nonnulla nobis hic monenda ſunt, ut intelligatur quantum propoſitio præſens conveniat cum anteriore (§. 192.), quantum ab eadem differat. In propoſitione anteriore ſupponitur, rem dividendam ante conjunctim fuiſſe occupatam, antequam diviſio actu fuerit inſtituta, etſi occupata fuerit animo dividendi; in præſente autem ſumitur, conſentientes in diviſionem ſtatim ad actum diviſionis procedere, nullo actu peculiari occupationis conjunctim factæ prævio. Ut caſuum diverſitas appareat, demus exemplum. Ponamus plures conjunctim agrum poſthac inter ſe dividendum limitibus circumſcribere, quos nec natura, nec facto

facto hominum habet. Hoc facto ager eo animo conjunctim occupatur, ut inter ſingulos dividatur, adeoque occupatio conjunctim facta præcedit diviſionem actualem. Ponamus vero agrum naturales habere terminos, veluti ſylvam, fluvium & viam publicam, aut inter agros alios dominio jam ſubjectos jacere, quem plures inter ſe dividere decernunt. In hoc caſu diviſio ſtatim inſtituitur, nullo occupationis univerſim factæ actu diviſionem præcedente. Manifeſta igitur eſt differentia inter caſum propoſitionis præſentis & caſum ſuperioris, nec idem in præſente aliis tantummodo verbis dicitur. Demonſtratio poſterior independens a priori caſu; prior autem caſum præſentis propoſitionis ad caſum ſuperioris reducit, quatenus actui diviſionis ex conſenſu factæ ineſt occupatio conjunctim facta, quoniam omnes ſimul reſpectu uniuscujusque conſiderantur inſtar præſentium, quibus voluntas uniuscujusque declaratur, quod velit rem totam eſſe omnium. Ceterum propoſitionis præſentis caſus videtur anſam dediſſe *Grotio*, quod diviſionem habuerit pro modo acquirendi dominium originario occupationi contradiſtinctum.

§. 194.

Diviſio quando modus acquirendi originarius.

Si plures in eo conſentiunt, ut fundum quendam, qui adhuc nullius eſt, inter ſe dividant, diviſio acquirendi dominium modus originarius eſt. Etenim cum fundum inter ſe dividant, qui adhuc nullius eſt, ſinguli autem diviſione acquirunt dominium ejus partis, quæ ipſis cedit (§. 193.); evidens eſt, ſingulos acquirere dominium rei, quæ adhuc nullius fuit. Enimvero modus, quo acquiritur dominium rei, quæ adhuc nullius eſt, modus acquirendi dominium originarius eſt (§. 176.). Si ergo plures in eo conſentiunt, ut fundum quendam, qui adhuc nullius eſt, inter ſe dividant; diviſio acquirendi dominium modus originarius eſt.

Digitized by Google

Sunt qui diviſionem omnem pro modo acquirendi dominium derivativo habent, cum *Grotius*, quemadmodum paulo ante (*not.* §. 192.) annotavimus, eam inter modos acquirendi dominium originarios referat. Noſtrum igitur eſſe exiſtimavimus, ut in hoc ſententiarum divortio oſtenderemus, quid veri in utraque ſententia inſit, cum nemini imputemus errores, quamdiu vera quis cogitaſſe, etſi non ſufficienter mentem ſuam expreſſiſſe videtur.

§. 195.

Quando diviſio modus acquirendi derivativus.

Si res, quæ in communione poſitiva eſt, dividitur inter eos, qui rem communem habent; dominium, quod ſingulis acquiritur in parte, modo derivativo acquiritur. Etenim ſi res in communione poſitiva eſt, dominium in re indiviſa pluribus ſimul conjunctim competit (§. 126.). Quamobrem ſi inter hosce dividitur, ſinguli acquirentes dominium in parte ſibi aſſignata acquirunt dominium rei, quæ jam in dominio extitit alterius, cum omnes conjunctim ſpectentur tanquam perſona ab ea diverſa, quæ in parte quadam rei diviſæ dominium acquirit. Enimvero modus acquirendi dominium derivativus eſt, quo acquiritur dominium alicujus rei, quæ in dominio alterius exiſtit (§. 177.). Quamobrem ſi res, quæ in communione poſitiva eſt, dividitur inter eos, qui rem habent communem; dominium, quod ſingulis acquiritur in parte, modo derivativo acquiritur.

Qui diviſionem pro modo acquirendi dominium derivativo habent, ſupponunt rem, quæ dividitur, eſſe in communione poſitiva: *Grotius* vero ſupponit, rem, quæ erat in communione primæva, dividendo ſtatim ſubjici dominio ſingulorum, non ante indiviſam deduci in dominium pluribus conjunctim competens, quam dividatur. Hunc vero caſum non minus eſſe poſſibilem, quam qui eſt propoſitionis præſentis, ex anterioribus liquet (§. 192. 194.).

§. 196.

§. 196.

Diviſio occupationis.

Occupatio fieri dicitur *per univerſitatem*, ſi plures conjunctim rem quandam, veluti terrarum quendam tractum, occupant. *Occupatio per fundos* fieri dicitur, ſi ſinguli fundos ſingulares occupant.

Ita *Grotius* occupationem diſtinguit de J. B. & P. lib. 2. c. 2. §. 4. Equidem is occupationem per univerſitatem potiſſimum refert ad populum terram quandam vacuam & incultam occupantem: enimvero cum univerſitatem ſuperius uſu loquendi non repugnante in latiori ſignificatu definiverimus (§. 112.), nil quoque obſtat, quo minus occupationem per univerſitatem in latiori quoque ſignificatu ſumamus. Et quamvis occupatio per fundos proprie non intelligatur niſi de fundis, adeoque rebus immobilibus occupatis; occupatio tamen per univerſitatem etiam extenditur ad res mobiles per ſe: utrique autem ineſt occupatio rerum mobilium & rerum etiam incorporalium, quatenus iſtæ inſunt rei mobili, hæ autem cum dominio ineſſe intelliguntur.

§. 197.

Per univerſitatem occupatum cujusnam ſit.

Quod per univerſitatem occupatur, in dominio univerſitatis eſt, ſeu id univerſitatis eſt. Quod enim per univerſitatem occupatur, id plures conjunctim occupant (§. 196.). Enimvero ſi plures conjunctim occupant rem, in ea dominium omnibus conjunctim acquiritur, conſequenter univerſitati (§. 112.). Quicquid ergo per univerſitatem occupatur, id univerſitatis eſt, ſeu in ea dominium univerſitati competit.

Atque hinc patet, quomodo quædam originarie acquirantur univerſitati (§. 178.).

dem dominio tuo ſubjicere valeas. Non eſt quod excipias aliquibus præſentibus non ſufficienter declarari voluntatem, cum iſtiusmodi requiratur declaratio, qua omnibus conſtare poſſit, rem aliquam ex communione fuiſſe exemtam & dominio ſubjectam. Antequam enim re utaris fieri poteſt ut ab alio, qui ignorat eam a te jam fuiſſe occupatam, occupetur. Etenim tum dominium per teſtes, qui erant præſentes, probare & fundum tibi vindicare potes: de qua vindicatione dicetur ſuo loco. Præſtaret utique, ubi hoc metuendum, ſigno quodam externo indigitari, quod fundus jam ſit occupatus, jure naturæ perfectivo tale urgente ad præſcindendas lites: ideo tamen negandum non eſt, dominium jam tibi eſſe acquiſitum. Ceterum fundus aliquis limitatus eſſe poteſt vel per fundos adjacentes dominio jam ſubjectos, vel per terminos naturales, quos habet, quales ſunt montes, fluvii, viæ publicæ.

§. 188.

Modus quidam res mobiles occupandi & earum dominum acquirendi.

Si quis rem mobilem nullius apprehendit aliisque præſentibus verbis declarat, quod eam velit eſſe ſuam; eam occupat & dominium ejus acquirit. Oſtenditur eodem modo, quo propoſitio præcedens.

Modus hic acquirendi rei mobilis dominium fere inutilis eſt. Qui enim rem mobilem ſuam eſſe vult, eam non iterum abjicit aut ſuo loco deponit. Quamobrem cum hinc jam conſtet de voluntate ejus, ut dominium ab ipſo acquiſitum in dubium vocari nequeat (§. 181.); neceſſe non eſt, ut aliis præſentibus verbis declaret, quod eam ſuam eſſe velit. Quoniam tamen fieri poteſt, ut hoc faciat; caſus hic prætermitti non debebat. Neque prorſus inutilis cenſeri debet, cum uſui eſſe poſſit in rei vindicatione, prouti ſuo loco oſtendetur.

§. 189.

§. 189.

Quando occupando dominium conjunctim acquiratur.

Si plures conjunctim eandem rem occupant, dominium conjunctim acquirunt. Cum quod meum eſt tuum eſſe non poſſit (§. 125.); fieri non poteſt, ut plures ſimul dominium in ſolidum in eadem re acquirant. Quamobrem cum occupando dominium acquiratur (§. 175.). Si plures conjunctim eandem rem occupant, omnes nonniſi conjunctim dominium in eadem acquirunt.

Quod *conjunctim fit*, in idem faciendum omnes conſentire debent. Quamobrem cum occupantes rem, quæ nullius adhuc eſt, eam ſuam eſſe velint (§. 174.); qui in occupationem rei conjunctis viribus faciendam conſentiunt, in eo etiam conſentiunt, quod res occupanda debeat eſſe ſua. Quoniam vero implicat, ut ſit ſingulorum in ſolidum; occupando nec fit Titii ſolius, nec Mevii, nec Caji, ſed omnium ſimul. Atque ea de cauſa jam ſæpius inculcavimus, plures ſimul repræſentare nonniſi unam perſonam moralem, quæ unus dominus eſt.

§. 190.

Quod in conjunctim facta occupatione ſingulis jus acquiratur.

Quoniam *ſi plures conjunctim eandem rem occupant*, dominium conjunctim acquirunt (§. 189.); *ſinguli aut dominium in re indiviſa acquirunt pro rata, vel pro partibus æqualibus, vel inæqualibus, aut nonniſi jus utendi re univerſis propria tanquam inter ſe communi, prouti inter ipſos convenerit.* Quamobrem cum communio poſitiva ſit, in qua plures in re indiviſa conjunctim habent dominium pro parte rata (§. 126.), mixta vero, in qua res equidem ſunt in dominio univerſorum, omnibus tamen non competit niſi uſus earum indifferenter, prouti ſcilicet unicuique opus fuerit (§. 129.); *occupatione conjunctim facta res, quæ erat nullius, ſeu in commu-*

Digitized by Google

nione primæva, aut in communionem poſitivam, aut in mixtam deducitur, prouti inter occupantes conventum fuerit.

Atque hinc clariſſime patet, quantum a vero diſtet illorum opinio, qui contendunt, communione primæva ſublata res primum tranſiiſſe in communionem poſitivam, antequam fierent ſingulorum propriæ. Tacite nimium ſupponunt, quaſi genus humanum ante coiverit in populos, quam dominia introducerentur, & populi conjunctim occupaverint regionem quandam una cum rebus mobilibus inibi contentis aut jura eaſdem occupandi antequam quicquam eſſet ſingulorum: id quod tamen nec neceſſe eſt ad acquirenda rerum tam mobilium, quam immobilium dominia vi eorum, quæ modo demonſtrata ſunt, nec naturæ humanæ convenit, quatenus facta ex ea conjectantur, nec fide hiſtorica conſtat, exemplo vel Scytharum contrarium inſinuante: ſit ita, quod populos terras vacuas quærentes ad imitationem aliorum populorum fixam ſedem habentium regiones occupaſſe ex migratione gentium palam ſit. Enimvero cum in Jure naturæ non agatur de quæſtione facti, ſed de quæſtione juris, quæ illam præcedit; in his diſcutiendis prolixiores eſſe nolumus. Ceterum ſi de facto ſermo fuerit, non diffiteor, ubi genus humanum a communione primæva diſceſſit, haud facile contigiſſe, ut conjunctim occupata deducerentur in communionem mixtam: cum enim revera negativa ſit intuitu eorum, qui in communione vivunt, quæ primævam, tanquam negativam (§. 105.), tolli ſuaſerunt rationes, vix univerſim occupantibus perſuadere potuerunt eandem inter ſe retineri. Quoniam tamen diſceſſus a communione primæva in mixtam per occupationem conjunctim factam in ſe non impoſſibilis, immo hodie exemplum facile habiturus eſſet, modo non deeſſent terræ vacuæ occupantibus patentes, cum non deſint, qui primævorum Chriſtianorum communionem introducere mallent,

mallent, ſiquidem fieri poſſet, neque præfracte negari poteſt, nullum nnquam in orbe extitiſſe exemplum, etiamſi in Hiſtoricorum monumentis non conſervatum; tanto minus convenire videbatur, ut eum inter ea referremus, quæ fieri non poſſunt.

§. 191.

Quomodo diviſione acquiratur dominium.

Quoniam dominium conjunctim acquiritur, ſi plures conjunctim eandem rem occupant (§. 189.), nec ſingulis in re indiviſa niſi pro rata vel æquali, vel inæquali parte dominium competere poteſt (§. 190.); *ſinguli acquirunt dominium in certa parte rem dividendo prouti inter ipſos conventum fuerit, ſeu rei diviſæ partem ratam unicuique aſſignando, ſi res conjunctim occupetur.*

Sane adeo diverſa ſunt pro parte eſſe dominum, & partis eſſe dominum. Pro parte qui dominus eſt, omnem equidem utilitatem ex re provenientem pro ea parte percipit, veluti ſextam partem fructuum horti, ſi pro ſexta parte dominus eſt; non tamen certa pars rei eidem aſſignata, de qua tanquam ſua diſponere poſſit, ſed de re indiviſa ſemper diſponendum omnium conſenſu, cum omnes ſimul, qui pro parte domini dicuntur, nonniſi unus dominus ſunt. Enimvero partis dominus eſt, cujus pars certa rei diviſæ dominio ſubjecta eſt, de qua adeo tanquam re ſua ſolus pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, & ex qua provenientem utilitatem ſolam ipſe ſolus percipit, ſive ea ſuperet ratam, quam habebat in communione, ſive ab eadem deficiat. Immo diviſione facta, pars reſpectu juris, quod in ea univerſis erat, non amplius dici poteſt pars, ſed fit res ſimpliciter dicta, quemadmodum ceteræ, quæ ſunt in dominio. Unde qui fit partis dominus per diviſionem, deinceps non dicendus dominus partis, ſed rei hujus ſimpliciter. Dum enim partes rei tranſeunt in dominium ſingulorum, dominium, quod

erat

Digitized by Google

erat in re indiviſa, exſpirat, quippe quod cum iſto ſubſiſtere nequit. Apparet adeo, quanta ſit differentia inter dominium in rei diviſæ parte & dominium in re indiviſa pro rata parte acquiſitum.

§. 192.

Quando diviſio ſit modus acquirendi originarius.

Quod ſi plures conjunctim rem occupant, ut inter ipſos dividatur; diviſio eſt modus acquirendi dominium originarius. Etenim ſi plures conjunctim rem occupant, ut inter ipſos dividatur; ſinguli volunt partem quandam ejus eſſe ſuam. Quamobrem occupatione conjunctim facta quoad occupantes res cenſetur in eum ſtatum redacta, ut ſua fieri poſſit, diviſa vero tranſit in dominia ſingulorum. Atque adeoque ſinguli acquirunt dominium in parte (§. 191.), tanquam in re, quæ erat in communione primæva ſeu nullius. Quoniam itaque modus acquirendi originarius eſt, quo acquiritur dominium rei nullius (§. 177.); ſi plures conjunctim rem occupant, ut inter ipſos dividatur, diviſio modus acquirendi dominium originarius eſt.

Quodſi plures conjunctim non aliter rem occupent, quam ut inter ipſos dividatur; dominium univerſis acquiri nolunt, ſed ſingulis in determinata quadam parte, adeoque nolunt, ut tota ſit univerſorum, volunt vero, ut partes determinatæ ſint ſingulorum, ſeu ſinguli volunt partem quandam determinatam rei eſſe ſuam. Nemo igitur non videt, perinde eſſe, ac ſi unusquisque partem ſibi aſſignatam occupaſſet (§. 174.), nec dici poteſt, quod dominium univerſis fuerit acquiſitum in re indiviſa, cum dominium non acquiratur niſi volenti, quemadmodum ex omnibus propoſitionibus anterioribus eluceſcit, quibus diverſos occupandi modos, quibus dominium originarie acquiritur (§. 178.), demonſtravimus. Non eſt quod excipias occupantes ſimul re tota, quæ occupatur, ceteros omnes excludere velle quod

quod dominio proprium eſt (§. 120.). Accurate enim loquendo ſingulis nonniſi animus eſt parte certa rei occupandæ excludendi non modo ceteros omnes, verum etiam ſociorum quemlibet. Et hoc modo intelligitur, quo ſenſu diviſio a *Grotio* lib. 2. c. 2. §. 2. n. 5. pro modo dominium acquirendi originario habitus fuerit. Hinc etiam denuo confirmatur, ubi a communione primæva diſceſſerunt homines, non ante res in communionem poſitivam ex negativa deducendas fuiſſe, quam fierent ſingulorum propriæ. In hypotheſi propoſitionis præſentis plures conjunctim rem occupantes inſtar perſonæ unius ſpectari nolunt, quemadmodum neceſſe eſt, ut univerſis acquiratur dominium in re indiviſa pro parte.

§. 193.

Alius modus acquirendi dominium per diviſionem.

Si plures in eo conſentiant, ut fundum quendam, qui nullius eſt, veluti agrum, inſulam &c. inter ſe dividant, cum adhuc nullius ſit; diviſione ſingulis acquiritur dominium ejus partis, quæ ipſi cedit. Fundus, quem plures inter ſe dividere volunt, neceſſario limitatus eſſe debet, quod per ſe patet: illimitatum enim diviſionem in certas partes ſeu in data ratione non admittit. Dum plures conſentiunt, quod eum inter ſe dividere velint, unusquisque voluntatem ſuam declarat, quod certam hujus fundi partem ſuam eſſe velit, omnes vero ſimul declarant ſibi invicem, quod fundum integrum omnium eſſe velint. Quoniam vero diviſio actu inſtitui nequit, niſi eidem inſiſtant; ubi plures in eo conſentiunt, ut fundum quendam inter ſe dividant, omnino perinde eſt, ac ſi quis fundo cuidam limitato inſiſtens aliis præſentibus verbis declararet, ſe velle eum eſſe ſuum. Quamobrem cum fundo cuidam limitato inſiſtens, ſi aliis præſentibus verbis declaret, ſe velle eum eſſe ſuum, eum occupet (§. 187.); ubi plures in eo conſentiunt, ut fundum quendam,

qui adhuc nullius eſt, inter ſe dividant, perinde ſane eſt, ac ſi eundem conjunctim occuparent, dum diviſionem actu inſtituunt. Enimvero ſi res conjunctim occupetur, ſinguli dominium in certa parte rem dividendo acquirunt (§. 191.). Quare ſi plures in eo conſentiunt, ut fundum quendam, veluti agrum, inſulam &c. inter ſe dividant, cum adhuc nullius ſit; diviſione ſingulis acquiritur dominium ejus partis, quæ ipſi cedit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Dum plures fundum aliquem, qui adhuc nullius eſt, actu inter ſe dividunt, pars unicuique aſſignata limitibus circumſcribitur, neque enim pars totius intelligitur ſine limitibus, quæ determinata eſſe debet. Perinde igitur eſt, ac ſi unusquisque eorum fundum aliquem, qui nempe pars eſt ipſi aſſignata, limitibus circumſcriberet. Quodſi vero quis, ubi dominia introduci cœperunt, fundum aliquem limitibus circumſcribit, ejus dominium acquirit (§. 186.). Quamobrem ſi plures in eo conſentiant, ut fundum quendam, uti agrum, inſulam &c. inter ſe dividant, cum adhuc nullius ſit; diviſione ſingulis acquiritur dominium ejus partis, quæ ipſi cedit.

Nonnulla nobis hic monenda ſunt, ut intelligatur quantum propoſitio præſens conveniat cum anteriore (§. 192.), quantum ab eadem differat. In propoſitione anteriore ſupponitur, rem dividendam ante conjunctim fuiſſe occupatam, antequam diviſio actu fuerit inſtituta, etſi occupata fuerit animo dividendi; in præſente autem ſumitur, conſentientes in diviſionem ſtatim ad actum diviſionis procedere, nullo actu peculiari occupationis conjunctim factæ prævio. Ut caſuum diverſitas appareat, demus exemplum. Ponamus plures conjunctim agrum poſthac inter ſe dividendum limitibus circumſcribere, quos nec natura, nec facto

facto hominum habet. Hoc facto ager eo animo conjunctim occupatur, ut inter ſingulos dividatur, adeoque occupatio conjunctim facta præcedit diviſionem actualem. Ponamus vero agrum naturales habere terminos, veluti ſylvam, fluvium & viam publicam, aut inter agros alios dominio jam ſubjectos jacere, quem plures inter ſe dividere decernunt. In hoc caſu diviſio ſtatim inſtituitur, nullo occupationis univerſim factæ actu diviſionem præcedente. Manifeſta igitur eſt differentia inter caſum propoſitionis præſentis & caſum ſuperioris, nec idem in præſente aliis tantummodo verbis dicitur. Demonſtratio poſterior independens a priori caſu; prior autem caſum præſentis propoſitionis ad caſum ſuperioris reducit, quatenus actui diviſionis ex conſenſu factæ ineſt occupatio conjunctim facta, quoniam omnes ſimul reſpectu uniuscujusque conſiderantur inſtar præſentium, quibus voluntas uniuscujusque declaratur, quod velit rem totam eſſe omnium. Ceterum propoſitionis præſentis caſus videtur anſam dediſſe *Grotio*, quod diviſionem habuerit pro modo acquirendi dominium originario occupationi contradiſtinctum.

§. 194.

Diviſio quando modus acquirendi originarius.

Si plures in eo conſentiunt, ut fundum quendam, qui adhuc nullius eſt, inter ſe dividant, diviſio acquirendi dominium modus originarius eſt. Etenim cum fundum inter ſe dividant, qui adhuc nullius eſt, ſinguli autem diviſione acquirunt dominium ejus partis, quæ ipſis cedit (§. 193.); evidens eſt, ſingulos acquirere dominium rei, quæ adhuc nullius fuit. Enimvero modus, quo acquiritur dominium rei, quæ adhuc nullius eſt, modus acquirendi dominium originarius eſt (§. 176.). Si ergo plures in eo conſentiunt, ut fundum quendam, qui adhuc nullius eſt, inter ſe dividant; diviſio acquirendi dominium modus originarius eſt.

Sunt qui diviſionem omnem pro modo acquirendi dominium derivativo habent, cum *Grotius*, quemadmodum paulo ante (*not.* §. 192.) annotavimus, eam inter modos acquirendi dominium originarios referat. Noſtrum igitur eſſe exiſtimavimus, ut in hoc ſententiarum divortio oſtenderemus, quid veri in utraque ſententia inſit, cum nemini imputemus errores, quamdiu vera quis cogitaſſe, etſi non ſufficienter mentem ſuam expreſſiſſe videtur.

§. 195.

Quando diviſio modus acquirendi derivativus.

Si res, quæ in communione poſitiva eſt, dividitur inter eos, qui rem communem habent; dominium, quod ſingulis acquiritur in parte, modo derivativo acquiritur. Etenim ſi res in communione poſitiva eſt, dominium in re indiviſa pluribus ſimul conjunctim competit (§. 126.). Quamobrem ſi inter hosce dividitur, ſinguli acquirentes dominium in parte ſibi aſſignata acquirunt dominium rei, quæ jam in dominio extitit alterius, cum omnes conjunctim ſpectentur tanquam perſona ab ea diverſa, quæ in parte quadam rei diviſæ dominium acquirit. Enimvero modus acquirendi dominium derivativus eſt, quo acquiritur dominium alicujus rei, quæ in dominio alterius exiſtit (§. 177.). Quamobrem ſi res, quæ in communione poſitiva eſt, dividitur inter eos, qui rem habent communem; dominium, quod ſingulis acquiritur in parte, modo derivativo acquiritur.

Qui diviſionem pro modo acquirendi dominium derivativo habent, ſupponunt rem, quæ dividitur, eſſe in communione poſitiva: *Grotius* vero ſupponit, rem, quæ erat in communione primæva, dividendo ſtatim ſubjici dominio ſingulorum, non ante indiviſam deduci in dominium pluribus conjunctim competens, quam dividatur. Hunc vero caſum non minus eſſe poſſibilem, quam qui eſt propoſitionis præſentis, ex anterioribus liquet (§. 192. 194.).

§. 196.

§. 196.

Occupatio fieri dicitur *per univerſitatem*, ſi plures conjunctim rem quandam, veluti terrarum quendam tractum, occupant. *Occupatio per fundos* fieri dicitur, ſi ſinguli fundos ſingulares occupant. *Diviſio occupationis.*

Ita *Grotius* occupationem diſtinguit de J. B. & P. lib. 2. c. 2. §. 4. Equidem is occupationem per univerſitatem potiſſimum refert ad populum terram quandam vacuam & incultam occupantem: enimvero cum univerſitatem ſuperius uſu loquendi non repugnante in latiori ſignificatu definiverimus (§. 112.), nil quoque obſtat, quo minus occupationem per univerſitatem in latiori quoque ſignificatu ſumamus. Et quamvis occupatio per fundos proprie non intelligatur niſi de fundis, adeoque rebus immobilibus occupatis; occupatio tamen per univerſitatem etiam extenditur ad res mobiles per ſe: utrique autem ineſt occupatio rerum mobilium & rerum etiam incorporalium, quatenus iſtæ inſunt rei mobili, hæ autem cum dominio ineſſe intelliguntur.

§. 197.

Quod per univerſitatem occupatur, in dominio univerſitatis eſt, ſeu id univerſitatis eſt. Quod enim per univerſitatem occupatur, id plures conjunctim occupant (§. 196.). Enimvero ſi plures conjunctim occupant rem, in ea dominium omnibus conjunctim acquiritur, conſequenter univerſitati (§. 112.). Quicquid ergo per univerſitatem occupatur, id univerſitatis eſt, ſeu in ea dominium univerſitati competit. *Per univerſitatem occupatum cujusnam ſit.*

Atque hinc patet, quomodo quædam originarie acquirantur univerſitati (§. 178.).

§. 198.

Quænam res ſint inexhauſti uſus. *Res uſus inexhauſti* eſſe dicuntur, quarum uſus omnibus ſufficit hominibus & iisdem patet, quoties eodem indigent.

Non jam quæritur de eo, num res uſus inexhauſti pro præſenti rerum ſtatu poſſit fieri uſus exhauſti pro alio rerum ſtatu. Hic enim nobis perinde eſt, ſive rei uſus ſemper inexhauſtus ſit, ſive pro aliquo rerum ſtatu. In utroque enim caſu de rebus uſus inexhauſti idem pronunciandum.

§. 199.

An dominio ſubjicienda. *Res naturales uſus inexhauſti dominio ſubjiciendæ non ſunt.* Etenim earum uſus ſufficit hominibus omnibus & iisdem patet, quoties eodem indigent (§. 198.). Quamobrem cum natura hominibus omnibus indifferenter pateat rerum pure naturalium uſus (§. 19.); nulla ſane ratio eſt, cur tu vel plures ſimul alios eodem uſu excludere velitis. Quamobrem cum dominus uſu rei ſuæ excludat ceteros omnes (§. 136. 120.); res naturales uſus inexhauſti dominio ſubjiciendæ non ſunt.

Non alia ſane ratio fuit, cur res pure naturales in dominium deductæ, quam quod uſus earum non ſufficeret omnibus in univerſum, ut deinceps induſtria ac arte augerent rerum numerum, ne deeſſent ad vitæ neceſſitatem, utilitatem & commoditatem requiſitæ. Quamobrem nec ullum fuit hominibus motivum, cur res uſus inexhauſti ſuas eſſe vellent, cum non magis ipſis prodeſſent, ubi propriæ factæ, quam ubi in primæva communione relinquuntur.

§. 200.

Quales ſin. *Res pure naturales inexhauſti uſus ſunt communes, ſeu communes*

munes manent, etiamſi cetera dominio ſubjiciantur. Res enim omnes aut communes ſunt, aut propriæ (§. 134.), conſequenter cum dominium proprietatem contineat (§. 136.), dominio ſubjectæ. Quamobrem cum res pure naturales inexhauſti uſus dominio ſubjiciendæ non ſint (§. 199.); communes eſſe debent, conſequenter quia natura communes ſunt (§. 7.), communes manent, etiamſi ceteræ dominio ſubjiciantur.

Nos hic loquimur de jure, non de facto, conſequenter negamus homini competere jus dominio ſuo ſubjiciendi rem inexhauſti uſus. Quamobrem ſi quis vel maxime rem uſus inexhauſti dominio ſuo ſubjicere velle ponatur, nullo tamen hoc facit jure, quin potius cum tale factum foret contra legem naturæ prohibitivam (§. 199.), illicitus foret ejus auſus (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*).

§. 201.

An dominium rerum inexhauſti uſus acquiri poſſit.

Nemo rerum pure naturalium inexhauſti uſus dominium acquirere valet. Etenim res pure naturales, quæ ſunt inexhauſti uſus, dominio ſubjici non debent (§. 199.), conſequenter jure naturali permiſſum non eſt, ut quis eas dominio ſuo ſubjicere velit (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). Nemo igitur rerum pure naturalium, quæ inexhauſti uſus ſunt, dominium acquirere valet.

Quodſi dominia in genere lege naturali prohiberentur, adeoque illicita eſſent (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*); dominium quoque foret jus nullum, ſed factum illicitum, conſequenter detentio rei tanquam ſuæ poſſeſſio illicita (§. 150.). Occupando adeo acquireretur dominium, quod jus quoddam eſt (§. 118.), ſed poſſeſſio illicita & quatenus juri communionis repugnat (§. 134.), quod tolli nequit (§. 200.), injuſta (§. 239. *part. I. Phil. pract. univ.*).

Digitized by Google

§. 202.

An uſu rei inexhauſti uſus aliquis excludi poſſit.

Quoniam nemo rerum pure naturalium inexhauſti uſus dominium acquirere valet (§. 199.), nemo vero niſi dominus jus habet ceteros omnes uſu rei ſuæ excludendi (§. 120. 136.); *nemo quoque alterum uſu rerum, qui inexhauſti uſus ſunt, excludendi jus habet.*

Quodſi adeo quis tale jus ſibi arrogat, jus ſibi fingit, quale nullum datur: neque enim voluntate ſua homines ſibi jus conſtituere poſſunt, quale non datur, immo dari non poteſt.

§. 203.

Cur dominio ſubjiciendum limitatum eſſe debeat.

Quicquid dominio ſubjicitur, illud limitatum eſſe debet. Si qua enim res dominio ſubjicitur, ea ceteros omnes excludit dominus (§. 121.), veluti omni ejus uſu (§. 136.). Enimvero ſi quem omni actu vi dominii licito, veluti uſu rei, excludere velis, neceſſe eſt ut conſtet, quousque pertingat res tua: quod cum ſine limitibus intelligi nequeat (§. 468. *Ontol.*), quicquid dominio ſubjicitur, illud limitatum eſſe debet.

E. gr. Agrum illimitatum nemo occupare & dominio ſuo ſubjicere poteſt. Cum enim tibi ſoli competere velis jus agrum colendi & fructum omnem inde percipiendi; neceſſe eſt ut aliis conſtet, quo usque ager tuus pertingat, ne quid faciat, quod eſt contra jus tuum (§. 123.). Atque hinc vidimus in ſuperioribus fundum occupari, & hoc facto dominio ſuo ſubjici ſi eum limitibus circumſcribit (§. 186.), ut aliis conſtet, quousque eum eſſe velit ſuum (§. 174.).

§. 204.

Cur limitari

Quoniam limitatum eſſe debet, quod dominio ſubjicitur

jicitur (§. 203.), *ſi quid limites omnes reſpuit, illud dominio ſubjici nequit.* *neſcium dominio ſubjici nequeat.*

Facile apparet, nos hic non loqui de eo, quod naturaliter nullos habet terminos, verum cui nec a nobis termini ulli præfigi quocunque modo poſſunt, ſive qui in ſenſum incurrunt, ſive qui ex aliis in ſenſum incurrentibus colligi poſſunt.

§. 205.

Limites ſeu *Termini* alii ſunt naturales, quos ipſa natura conſtituit; alii *artificiales*, qui facto quodam humano conſtituuntur. Sunt etiam alii *ſenſibiles*, qui per ſe in ſenſus incurrunt; alii *intelligibiles*, qui ex aliis in ſenſus incurrentibus demum colliguntur. *Termini quotuplices ſint.*

Termini naturales ſunt mare, fluvii, montes, ſylvæ, arbores, quemadmodum ſupra jam indicavimus (*not* §. 187.); artificiales ſunt lapides terminales, vernacula Marckſteine, qui & uno nomine termini appellantur, arbores eo fine plantatæ, ut fines diſtinguant, pali terræ infixi, ſepta. Senſibiles termini ſunt naturales & artificiales omnes, quos huc usque commemoravimus. Termini mere intellectuales ſunt latitudo & longitudo geographica. Conſtat enim ex Matheſi longitudinem & latitudinem geographicam non poſſe definiri niſi ex obſervationibus aſtrorum (§. 55.56. *Geogr.*). Quodſi ergo dicas tractum aliquem terræ contenſum eſſe debere intra duos meridianos datos & duos parallelos notos, ut conſtet, a quo gradus longitudinis incipiat & in quo deſinat quoad longitudinem & in quo gradu latitudinis conſtituendum ſit principium, in quo finis; non minus certi ſunt ejus termini, quam ſi ſenſibilibus ſive naturalibus, ſive artificialibus includatur. Non eſt quod excipias, ſubtilitates mathematicas eſſe, de quibus diximus, Mathematicis relinquendas, nec Juri naturæ inferendas. Videbimus

Digitized by Google

mus enim ſuo loco, nos hiſce terminis carere non poſſe in hoc Jure, eosque dudum fuiſſe receptos, nec a nobis demum eosdem admitti. Ceterum terminos, quos intelligibiles in dato exemplo dicimus, per ſe in ſenſus non incurrere, vix puto aliquem in dubium revocaturum. Si quis tamen ad cenſendum alios pronus, quales hodie inter nos ſunt plurimi, impugnare auſit, quæ non intelligit; haud difficile eſt, ut erroris redarguatur. Etenim ſi in tellure deſcripti eſſent Meridiani & paralleli, quemadmodum in Globo artificiali depicti cernuntur; termini forent ſenſibiles, utpote in oculos incurrentes. Quoniam vero in eodem deſcripti non ſunt, ſed ex obſervationibus aſtronomicis demum colliguntur; nemo non videt, eos non in numerum terminorum ſenſibilium, ſed intelligibilium vi definitionum, quas dedimus, eſſe referendos.

§. 206.

Quidnam omnes limites reſpuat. *Quod adeo omnes limites reſpuit, id nec naturales, nec artificiales, nec ſenſibiles, nec intelligibiles habet, vel recipere poteſt* (§. 205.).

§. 207.

Aër, aqua profluens & lumen ſolis quales ſint res. *Aër, aqua profluens & lumen ſolis ſunt res uſus inexhauſti.* Aëris enim uſus potiſſimum in reſpirando conſiſtit, nec ſine eo vitam vel per breve temporis ſpatium continuare poſſunt homines ac animantia bruta: id quod in Philoſophia experimentali experimentis docetur, nec a quovis in dubium vocatur. Uſus adeo aëris omnibus in univerſum hominibus quovis momento neceſſarius eſt, non modo phyſice, quod ſine eo vivere non poſſimus, verum etiam moraliter (§. 12.), quia quivis vitam ſuam conſervare tenetur (§. 350. *part. I. Jur. nat.*). Enimvero aër totum noſtrum globum terraqueum circumfluit, & omnia ſpatia ab aliis

aliis corporibus vacua occupat, ita ut ubivis ad reſpirandum ſufficiens copia reperiatur, ubicunque fueris. Et ſi eodem in loco fuerint quotcunque homines, aër ibidem ſingulis ad reſpirandum ſufficit. Atque adeo patet, uſum aëris omnibus ſufficere hominibus iisdemque patere, quoties eodem indigent, hoc eſt, omni in loco quovis momento. Quamobrem cum res inexhauſti uſus ſit, cujus uſus omnibus ſufficit hominibus iisdemque patet, quoties eodem indigent (§. 198.); aër uſus inexhauſti eſt. *Quod erat primum.*

Aquæ uſus multiplex neminem fugit, cum eadem quotidie indigeamus. Utimur aqua ad potandum, ad lavandum, ad coquendum, ad jumenta adaquanda, ad prata irriganda. Aqua in fluviis profluens nunquam deficit, alia continuo in ejus locum ſuccedente, ut, quamvis accolæ inde hauriant aquam in uſus ſuos, non tamen ideo fluvius detumeſcat. Quodſi flumen fuerit navigabile, navigando nihil prorſus aquæ profluenti decedit, nec curſus ejus ullo modo mutatur. Quamobrem patet aquam profluentem omnium uſui ſufficere, quotquot ad eundem accedere poſſunt. Idem quoque experientia patet de fontibus aquam continuo emittentibus. Quoniam itaque res uſus inexhauſti eſt, ſi ejus uſus omnibus ſufficit hominibus, qui eadem uti volunt, & iisdem patet, quoties eodem indigent (§. 198.); aqua profluens uſus inexhauſti eſt. *Quod erat ſecundum.*

Denique luminis ſolis, quæ lucem efficit diurnam, potiſſimus uſus eſt ad videndum: directo ſolis lumine utimur ad corpora madida exiccanda. Lumen ſolis directum per quævis ſpatia libera diffunditur: lux vero diurna per aper-

turas in ipſas interiores ædium partes quascunque penetrat & ſpatia quævis replet, ad quæ lumen ſolis directum pertingere prohibetur. Nemo non novit, lumen ſolis & lucem, quam efficit, diurnam omnibus ſufficere hominibus, nec uſu unius aliquid decedere uſui alterius: immo quam primum ſol oritur, ac lucem per atmosphæram noſtram diffundit, uſum hujus patere omnibus, qui eodem indigent. Quamobrem cum res uſus inexhauſti ſint, cujus uſus omnibus ſufficit hominibus iisdemque patet, quotiescunque eodem indigent (§. 198.); lumen ſolis res uſus inexhauſti eſt. *Quod erat tertium.*

Aëris & luminis ſolaris uſum inexhauſtum quivis ſtatim largitur, propterea quod nemo non ſibi conſcius eſt, aërem ac lucem eſſe ubivis, & illum ad reſpirandum, hunc ad videndum ſufficere omnibus, quotquot ſimul in eodem loco eſſe poſſunt. Sed aqua profluens in fluviis non videtur comparanda cum aëre & luce, cum non æque diffundatur per omnia ſpatia, ad quæ acceſſus non prohibetur, ſed intra anguſtos, ſi minores fuerint fluvii, terminos contineatur. Enimvero conſiderandum hic quoque eſt, quod ad fluvium uſus cujusdam gratia non accedant niſi accolæ, nec hi quidem aquam ad omnem uſum ex fluvio petant, cum etiam puteos foveant, quorum aquæ extra terram defluere non poſſunt. Unde nec ad fontes ab ædibus præſertim remotiores, quorum extra terram continuo profluit aqua, omnes accolæ cujusvis uſus gratia accedunt. Reſpectu igitur ejus uſus, quem habet aqua fontana, non minus ea uſus inexhauſti dici poteſt, quam aqua in fluviis continuo fluens. Quodſi præterea conſideres aquas puteales extra terram non profluentes, aqua non minus per omnia terræ loca diffunditur, quam aër & lumen ſolare, quantum exigit uſus neceſſarius. Ceterum noſtrum jam non eſſe duxi-

duximus in omnes aëris, aquæ profluentis & luminis ſolaris uſus inquirere; ſed ſufficit recenſuiſſe eos, qui quotidiani ſunt ac omnibus manifeſti: uſus ſingulares, ſi qui ſunt, ob ipſam raritatem erunt inexhauſti. Manifeſti autem ſi qui non ſunt, veluti aëris ad ſonum propagandum, conſequenter ad audiendum, hoc ipſo ſeſe inexhauſtos probant, quod nemo deficientem ſibi experiatur.

§. 208.

An aërem aquam profluentem & lumen ſolis dominio ſubjicere liceat.

Aër, aqua profluens & lumen ſolis dominio ſubjici non debent. Aërem, aquam profluentem & lumen ſolis eſſe res pure naturales, per ſe patet. Sunt vero etiam uſus inexhauſti (§. 207.). Enimvero res uſus inexhauſti pure naturales dominio ſubjici non debent (§. 199.). Aër igitur, aqua profluens & lumen ſolis dominio ſujici non debent.

Non ſolum hic oſtendimus, quod aër, aqua profluens & lumen ſolis dominio ſubjici non poſſit; verum etiam quod illicitum ſit, ſi hoc fiat (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). Dominio rem qui ſubjicit, ejus uſu alios excludit (§. 120. 136.). Quamobrem ſi aër, aqua profluens & lumen ſolis dominio ſubjicerentur, aut aliqui rerum harum uſu forent excludendi, aut non niſi titulo oneroſo is foret acquirendus, quemadmodum deinceps patebit, ubi de translatione dominii agemus. Quodſi aëris uſu quis excluderetur, cum ſine reſpiratione vivere non detur, ipſi foret moriendum. Si excluderetur uſu luminis ſolis, in carcerem tenebroſum foret detrudendus, ex quo in publicum procedere non liceret. Quodſi uſus demum pecunia foret redimendus; præter neceſſitatem ſumtuoſus redderetur, qui natura omnibus indifferenter patet, prouti unusquisque eodem indiget (§. 27.). Abſurdum itaque non modo foret, aërem, aquam profluentem & lumen ſolis dominio ſubjicere velle; verum etiam inju-

ſtum. Utemur hoc principio ſuo loco ad alia demonſtranda.

§. 209.

Quales res ſint aër, aqua profluens & lumen ſolis, dominiis introductis.

Quoniam in communione primæva relinquntur, quæ dominio non ſubjiciuntur (§. 140.), conſequenter res communes manent, ubi dominia introducuntur (§. 24.); aër vero, aqua profluens & lumen ſolis dominio ſubjici minime debent (§. 208.); *aër, aqua profluens & lumen ſolis in communione primæva relinqui, adeoque communes manere debent, ubi res aliæ dominio ſubjiciuntur.* Infertur etiam ex eo, quod res uſus inexhauſti maneant communes, etiamſi ceteræ dominio ſubjiciantur (§. 200.).

Unde recte *Marcianus* l. 2. ff. de div. rer. Naturali, inquit, jure omnium communia ſunt aër & aqua profluens: quibus etiam addere poterat lumen ſolis. Et *Muntius* in Commentario ad Inſtitut. de rer. diviſ. §. 1. bene obſervavit, JCtis Romanis *res communes* dici, quæ in communione primæva relicta ſunt. *Duarenus* vero ad tit. ff. de rerum div. optime reddit rationem, cur in primæva communione res iſtæ fuerint relinquendæ, ſcilicet quia non poterant dividi, nec expediebat.

§. 210.

Quænam res quoad uſum unum vel alterum juri proprio ſubjici poſſint.

Si res quædam pure naturalis præter uſum inexhauſtum uſum quoque admittit alium, qui inexhauſtus non eſt; quoad hunc uſum juri proprio ſubjici licite poteſt. Etenim quodſi res quædam pure naturalis præter uſum inexhauſtum uſum quoque admittit alium, qui inexhauſtus non eſt; quoad hunc ipſum uſum non cenſetur res uſus inexhauſti. Quamvis adeo dominio ſubjici nequeat quoad uſum inexhauſtum (§. 199.); nil tamen obſtat, quo minus ea quoad uſum ex-

exhauſtum unius juri ita ſubjiciatur, ut jus ad eum non competat niſi ipſi ſoli. Quoniam itaque jus proprium eſt, quod uni cuidam homini in ſingulari ſoli competit (§. 2.); ſi res quædam pure naturalis præter uſum inexhauſtum uſum quoque admittit alium, qui inexhauſtus non eſt, quoad hunc uſum juri proprio ſubjici licite poteſt.

§. 211.

Cur res dominio ſubjiciantur.

Res dominio ſubjiciuntur propter uſum, quem nobis præſtare poſſunt. Introducuntur enim dominia, dum a communione primæva receditur (§. 140.), & dum res dominio ſubjiciuntur, jus, quod in eadem erat commune (§. 3.), tranſit in proprium (§. 118.). Enimvero in communione primæva præter uſum rerum neceſſarium jus nullum competere poteſt (§. 21.). Quamobrem uſus rei, qui erat communis, dum hæc dominio ſubjicitur, fit domini proprius. Patet itaque res dominio non ſubjici niſi propter uſum, quem nobis præſtare poſſunt.

Ita nemo agrum vult eſſe ſuum, quam ut eundem colere & fruges percipere poſſit. Quodſi ager eſſet adeo ſterilis, ut culturam non ferret; nemo quoque in eo dominium habere vellet. Ager itaque dominio ſubjicitur propter uſum, quem nobis præſtare poteſt. Idem patet in re quacunque alia.

§. 212.

Cur terminatum dominio ſubjici poſſit.

Quicquid terminatum eſt, dominio ſubjici poteſt. Quod enim terminatum eſt, uniquaque limites habet, adeoque ſi in dominio eſſe debet, intelligi poteſt, quousque res tua ſit (§. 468. *Ontol.*), conſequenter fieri poteſt, ut alii omni ejus uſu adeoque jure domino competente abſtineant. Quamobrem cum dominus ceteros omnes jure in re ſua ſibi compe-

peten-

Digitized by Google

petente excludat (§. 120.); quicquid terminatum eſt, dominio ſubjici poteſt.

Propoſitio hæc non eadem cum ſuperiore, qua oſtendimus, quod dominio ſubjicitur, limitatum eſſe debere. Hic enim oſtenditur, quod terminatum eſt, id tale eſſe, ut dominio ſubjici poſſit, ſeu in eo nobis dominium eſſe poſſe. Non autem ideo aſſeritur, quod omne terminatum dominio ſubjici debeat. Poſſunt enim aliæ eſſe rationes, cur eam dominio ſubjici neceſſe non ſit, immo cur non debeat. Mox autem hoc principio utemur.

§. 213.

An piſcinæ & ſtagna in dominio eſſe poſſint.

Piſcinæ & ſtagna dominio ſubjici poſſunt. Piſcinæ enim & ſtagna ſuis limitibus comprehenduntur, atque adeo limitata ſunt. Quamobrem cum dominio ſubjici poſſit, quod terminatum eſt (§. 212.); piſcinæ & ſtagna dominio ſubjici poſſunt.

Piſcinæ & ſtagna nonniſi magnitudine differunt. Magnitudo autem ſtagnorum non obſtat, quo minus ea dominio ſubjici poſſint, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præcedentis patet, ubi nulla ſupponitur magnitudo.

§. 214.

Cujusnam ſint piſces in piſcina & ſtagnis.

Piſces in piſcina & ſtagnis ejus ſunt, cujus eſt piſcina & ſtagnum. Etenim & piſcinæ, & ſtagna dominio ſubjici poſſunt (§. 213.), & quando eidem ſubjiciuntur, hoc fit propter uſum, quem nobis præſtare poſſunt (§. 211.). Enimvero piſcinarum & ſtagnorum uſus eſt, quod piſces, qui in eisdem generantur, alimentum nobis præbeant, quemadmodum poma, quæ edit arbor frugifera. Quamobrem ſi quis piſcinam vel ſtagnum dominio ſuo ſubjicit, piſcium in

Digitized by Google

in iis generandorum vel jam incluſorum gratia hoc facit: unde & in piſcina numerum piſcium induſtria ſua multiplicare ſtudet, quemadmodum frugum proventum in agro promovere ſolemus. Piſces igitur in piſcina & ſtagnis incluſi, ut elabi nequeant, ejus ſunt, cujus eſt piſcina & ſtagnum.

Nerva filius l. 3. ff. de aquir. poſſ. piſces, quos in piſcinas conjecerimus, a nobis poſſideri affirmat: negat autem eos piſces, qui in ſtagno ſunt, a nobis poſſideri. Vult itaque piſces in piſcina eſſe ejus, cujus eſt piſcina; qui vero ſunt in ſtagno, eos eſſe nullius. Contrarium defendit *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 8. §. 2. atque hæc ſententia verior eſt. *Grotius* hanc reddit rationem, quod piſces non minus ſtagno privato includantur, quam piſcina: id quod in dubium minime vocaſſe videtur *Nerva*. Hic enim piſces, antequam occupentur, habet pro rebus nullius. Piſces vero, quos in piſcinam conjicimus, jam ſunt noſtri & iis nati ſunt quaſi fructus ex rebus noſtris provenientes, veluti poma, quæ arbor edit noſtra: id quod de piſcibus in ſtagno dici nequit. Enimvero piſces ſtagno incluſi in cuſtodia ſunt, ut inde elabi nequeant, adeoque non modo cum ſtagno occupari poſſunt, ſed & propter eos potiſſimum ſtagnum occupatur. Quamobrem cum occupatione acquiratur dominium earum rerum, quæ natura fuerant communes (§. 175.); nil ſane obſtat, quo minus & piſcium dominium acquiratur, dum ſtagnum dominio noſtro ſubjicitur. Qui vero in ſtagno noſtro naſcuntur piſces, non minus ſpectantur tanquam fructus ex re noſtra provenientes, quam qui naſcuntur in piſcina noſtra. Dum ſylva dominio ſubjicitur, eidem ſubjiciuntur una cum fundo arbores & frutices, neque opus eſt peculiari actu, quo arbores ſingulæ, ſinguli frutices, & fundus, in quo radicantur, occupantur; ſed omnia ſimul uno occupationis actu acqui-

Digitized by Google

runtur. Quidni igitur uno actu occupetur & ſtagnum cum aqua & piſcibus in eo contentis?

§. 215.

Piſces in fluviis & mari cujusnam ſint.

Piſces in fluviis & mari ſunt res nullius. Etenim piſces alveo fluminis non ſunt ita incluſi, quemadmodum qui in ſtagno ſunt eidem includuntur; ſed per diverſos fluvii tractus libere hinc inde vagantur, ut adeo nemo dicere poſſit, hoſce piſces, qui in hac fluvii parte ſunt, volo eſſe meos. Quamobrem fieri nequit, ut una cum parte quadam fluvii occupentur (§. 174.), adeoque in dominium alicujus transeant (§. 175.). Manent igitur, quales ſunt natura. Enimvero natura res omnes ſunt nullius (§. 5.). Ergo etiam piſces in fluviis ſunt nullius. *Quod erat unum.*

De piſcibus in mari multo magis patet, quod non perinde ac ii, qui in ſtagno ſunt, incluſi intra terminatum ſpatium veluti in cuſtodia detineantur. Quamobrem porro eodem, quo ante, modo liquet, piſces in mari ſeu per vaſtum oceanum libere vagantes eſſe nullius. *Quod erat ſecundum.*

Ponamus in determinata quadam fluvii parte piſces tuos eſſe debere, in parte alia alterius Quoniam piſces, qui nunc in parte tua ſunt, mox in partem alterius evagantur; qui tui erant, mox erunt alterius, & ulterius progreſſi nec tui, nec alterius. Quodſi ex parte alterius revertantur in tuam, denuo qui erant alterius fient tui. Videmus adeo nullum ſtabile jus, quale eſt dominium (§. 118. & ſeqq.), in piſcibus ulli competere poſſe, qui in fluviis atque mari ſunt.

§. 216.

An res incor-

Res etiam incorporales dominio ſubjici poſſunt. Etenim res in-

incorporales, quales ſunt v. gr. jus piſcandi, jus venandi, cum ſint in numero rerum, etſi ſenſu externo non percipiantur (§. 497. *part. I. Jur. nat.*), non minus ac corporales, quæ ſenſu percipiuntur (§. 496. *part. I. Jur. nat.*), ſuum habent uſum (§. 495. *part. I. Jur. nat.*), nec minus earum uſu ceteros excludere licet, quam rerum corporalium uſu: immo & de rebus incorporalibus ipſis earundemque uſu, perinde ac de corporalibus pro arbitrio ſuo diſponere poſſumus, quod per ſe patet. Quoniam itaque juris proprii fieri poteſt res, cujus uſu ceteros omnes excludere poſſumus (§. 119.), dominium vero jus proprium eſt de re pro arbitrio ſuo diſponendi (§. 118.) & propter uſum res dominio ſubjiciuntur, quem nobis præſtare poſſunt (§. 211.); res etiam incorporales dominio ſubjici poſſunt. *porales dominio ſubjici queant.*

Hinc ſuperius (§. 118.) dominium definivimus per jus proprium de re pro arbitrio ſuo diſponendi, etſi communiter JCti dicant dominium eſſe jus in re corporali, ubi idem definiunt. Sunt tamen etiam alii, qui dominium ad res etiam incorporales extendunt. Ratio diſſenſus inter eos potiſſimum ex eo eſt, num menti JCtorum Romanorum conformiter dominium quoque rerum corporalium dici poſſit. Diſputarunt ea de re *Huberus* & *Thomaſius*, quorum ille non admittit dominium rerum niſi corporalium, hic vero etiam incorporalium, Rationes utriusque vide apud *Huberum* in Prælect. ad Inſtitut. de rerum div. Nobis hic non quæritur, quid menti JCtorum Romanorum; ſed quid veritati convenientius ſit. Atque adeo quæſtio huc redit, num definitio dominii etiam conveniat rebus incorporalibus, veluti juri venandi. Nemo non per ſe videbit, quæ de dominio dicuntur, non minus de re incorporali, quam corporali prædicari poſſe. Quodſi jus venandi mihi competit, perinde de eodem tanquam de re mea diſponere poſ-

ſum, ac de re corporali quacunque. Poſſum enim idem exercere, prouti viſum fuerit; poſſum idem locare alteri; poſſum alteri concedere, ut venetur in prædio meo; poſſum quoque jus iſtud alienare. Dubium adeo in Jure naturali nullum eſt, quod etiam rerum incorporalium ſit dominium, atque adeo non minus dominio ſubjici queant, ubi a communione primæva receditur, quæ in eadem erant communes.

§. 217.

Quænam res incorporales dominio ſubjici queant, communione primæva ſublata.

Quoniam res incorporales dominio ſubjici poſſunt (§. 216.), *ubi* vero *a communione primæva receditur*, res in eadem communes dominio ſubjiciuntur (§. 140.); ubi ab eadem receditur, *res* etiam *incorporales, quæ in eadem erant communes, dominio ſubjici poſſunt*.

Oſtendimus in ſuperioribus (§. 21.), in communione primæva præter uſum rerum corporalium jus nullum in eas homini competere poſſe. Enimvero ut res uſui noſtro actu adhibeamus, pro earum diverſitate diverſi requiruntur actus, quibus earundem reddimur compotes. Ita homini in communione primæva non aliud competit jus in piſces, qui in fluvio natant, quam ut iisdem veſcatur, quando cibo indiget, aut, ſi quis alius detur uſus, eos in eundem convertat, veluti ut cultro anatomico piſcem ſubjiciat, vel ad experimenta phyſica adhibeat, ubi rerum naturalium fuerit ſtudioſus. Enimvero nihil horum facere poteſt, niſi piſces ceperit. Cum adeo res redigendæ ſint in noſtram poteſtatem, antequam iisdem uti detur; jus quoque homini competere debet in communione primæva ad omnes actus, quibus res uſui ipſius inſervituræ in poteſtatem ejus rediguntur, ut de eodem ſtatuere poſſit, prouti opus videbitur. Quemadmodum res quoad uſum neceſſarium omnibus communes ſunt; ita quoque jus ad iſtos actus omnibus commune eſt. Jus vero ad quemlibet horum actuum

res,

res quædam incorporalis eſt, veluti jus piſcandi ſeu capiendi piſces in fluvio natantes (§. 497. *part. I. Jur. nat.*). Atque adeo patet dari in primæva rerum communione etiam res incorporales communes, veluti jus piſcandi, quod exempli loco modo adduximus. Cum igitur non repugnet res incorporales in dominio eſſe, veluti ipſum jus piſcandi; nulla ſane ratio eſt, cur eædem, ubi a communione primæva receditur, non minus propriæ fieri ac dominio ſubjici poſſint, quam res corporales.

§. 218.

In fluvio non occupato jus piſcandi dominio ſubjici poteſt intra certos limites. Etſi enim dominia introducantur, piſces tamen influviis res nullius ſunt (§. 215.), adeoque occupari (§. 174.) & occupando eorum dominium acquiri poteſt (§. 175.). Idem etiam patet inde, quod eorum dominium nonniſi originarie acquiratur (§. 176.), occupatio vero modus acquirendi originarius ſit (§. 178.). Ad occupationem vero piſcium intra aquas natantium requiritur piſcatio, quod tanquam nemini non notum ſumo. Quamobrem cum jus piſcandi ſit res incorporalis (§. 497. *part. I. Jur. nat.*), res vero incorporales etiam dominio ſubjici poſſint (§. 216.) & quæ eidem ſubjiciuntur limitata eſſe debeant (§. 203.); quin in fluvio non occupato jus piſcandi dominio ſubjici poſſit intra certos limites, dubitandum non eſt.

An jus piſcandi in fluvio dominio ſubjici poſſit.

Ita non repugnat, ut poſſeſſor fundi fluvio adjacentis jus piſcandi occupet in ea fluvii parte, quæ fundo ipſius reſpondet, etiamſi aqua profluens maneat in primæva communione, nec alvei illa pars, in qua piſcandi jus habet, ab ipſo fuerit occupata.

§. 219.

Quomodo res incorporales dominio ſubjiciantur.

Si jus quoddam, quod commune eſt in communione primæva, exerces, ubi dominia introduci cœperunt, & eodem te invito uti volentes ne utantur prohibes; jus iſtud dominio tuo ſubjicis. Etenim cum res nullius ſit, ad quam nemini hominum jus quoddam proprium (§. 6.), conſequenter ſoli competit (§. 2.); jus, quod in communione primæva commune eſt, ſpectatur inſtar rei incorporalis, quæ nullius eſt (§. 497. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum res nullius occupentur, ſi quis facto quodam declarat rem nullius ſuam eſſe debere & eam in hunc ſtatum redigit, ut ſua eſſe poſſit (§. 174.), qui vero jus quoddam, quod in communione primæva commune eſt, exercet, ubi dominia introduci cœperunt, nec patitur, ut alii eodem poſthac ſe invito utantur, hoc ipſo declaret, jus iſtud ſuum eſſe debere (§. 121.), ipſum vero exercitium juris loquatur, rem hanc incorporalem in eum ſtatum eſſe redactam, ut ſua eſſe poſſit; ſi quis, ubi dominia introduci cœperunt, jus quoddam, quod commune eſt in communione primæva, exercet, nec patitur, ut alii ſe invito eodem utantur, jus iſtud tanquam rem incorporalem occupat, conſequenter cum rerum, quæ ſunt in communione primæva, dominium occupando acquiratur (§. 175.), res vero etiam incorporales dominio ſubjici poſſint (§. 216.), idem dominio ſuo ſubjicit.

Cum res incorporales tangi nequeant (§. 497. *part. I. Jur. nat.*); nec eo modo occupari poſſunt, quo res corporales occupantur. Quocunque enim modo res quædam corporalis, ſive mobilis, ſive immobilis occupetur; factum ſemper erit tale, quod ſupponit, rem occupandam tangi poſſe. Res itaque incorporales, quæ in juribus conſiſtunt, cum ad occupationem non ſufficiat ſolus animus, ſeu actus volunta-

luntatis internus, aliter occupari nequeunt niſi exercitio & & non patientia, qua alios eodem exercitio excludit dominus.

§. 220.

Quoniam jus quoddam dominio ſuo ſubjicit, qui eo utitur, nec patitur ut alii, quibus in communione primæva fuerat commune, ſe invito eodem utantur (§. 219.), jus vero piſcandi in fluvio non occupato dominio ſubjici poteſt (§. 218.), ubi vero actu ſubjicitur, pars iſta fluvii certis limitibus comprehendi debet (§. 203.); *ſi quis in certa fluvii non occupati parte piſcetur, nec ut alii ſe invito in eadem piſcentur patiatur, jus piſcandi in iſta fluvii parte dominio ſuo ſubjicit, conſequenter ſibi proprium facit* (§. 118.). *Quomodo jus piſcandi proprium fiat.*

Equidem in antecedentibus jam monuimus, non deeſſe JCtos qui res etiam incorporales in dominio eſſe poſſe affirmant (*not.* §. 216.), nec a *Grotii* mente abhorret, quod etiam jura, quæ fuerant in communione primæva communia non minus, quam res corporales occupari poſſint: quodſi tamen quis dominium nonniſi rerum corporalium eſſe velit, nec occupationem agnoſcere niſi in iisdem corporalibus rebus; is dicat, jura in communione primæva communia propria fieri poſſe eo ſenſu, quem ſupra explicavimus (§. 2.), veluti te jus piſcandi in certa fluvii non occupati parte tibi proprium facere poſſe: ultro enim confiteri debet, hoc a te fieri non poſſe, niſi ut eodem jure utaris, nec ut alii te invito eodem utantur patiaris. Ceterum per ſe patet, propoſitionem præſentem non eſſe extendendam ultra modos acquirendi dominia rerum originarios: de hiſce enim in præſenti ſolis loquimur.

§. 221.

Si inſtrumenta qualiacunque, quibus piſces capiuntur, velu- *Quomodo ti dominium*

piſcium inſtrumentis acquiratur. *ti retia, in fluvio fuerint collocata, ubi piſcandi jus habes; piſces ita incluſi, vel alio quocunque modo detenti, ut elabi nequeant, tui ſunt.* Piſces enim in fluviis nullius ſunt, etiamſi dominia rerum fuerint introducta (§. 215.), quales ſunt natura (§. 7.). Eorum igitur dominium occupando acquiritur (§. 176. 178.). Enimvero cum jus piſcandi in fluvio etiam non occupato dominio ſubjici poſſit (§. 218.), dominus vero eodem excludat ceteros omnes (§. 120.); piſces occupare, ſeu piſcari in fluvio etiam non occupato non licet niſi ei, qui piſcandi jus habet. Quodſi inſtrumenta qualiacunque, quibus piſces capiuntur, veluti retia aut hami, in fluvio a te fuerint collocata; piſces iis incluſi, vel alio quocunque modo detenti ut elabi nequeant, in eum ſtatum redacti ſunt, quo eos apprehendere potes, & collocatio iſtorum inſtrumentorum tale factum eſt, quo declaras, te piſces hiſce inſtrumentis capiendos tuos eſſe velle. Quoniam itaque ubi dominia introduci cœperunt rem occupaſſe cenſeris mobilem ejusque dominium acquiris, quamprimum eam in eum redigis ſtatum, quo eam apprehendere potes, & factum tale ſit, ut una hoc ipſo declaretur, quod velis rem iſtam eſſe tuam (§. 184.); ſi inſtrumenta qualiacunqne, quibus piſces capiuntur, veluti retia, in fluvio fuerint collocata, ubi piſcandi jus habes; piſces ita incluſi, vel alio quocunque modo detenti, ut elabi nequeant, tui ſunt.

Jus piſcandi in communione primæva commune eſt omnibus: quodſi vero a communione primæva receditur, cum tunc piſcatio abeat in occupationem, omnibus adhuc indifferenter competit, qui piſcibus indigent (§. 179.). Jus hoc commune omnium tranſit in unum, quamprimum dominio ſubjicitur (§. 118. 5.). Propoſitio præſens vera erit,

ſive

ſive jure piſcandi communi, ſive proprio utaris. Habet vero ea nihil prorſus difficultatis, ſi ſingulæ determinationes rite expendantur, nec principia ſupponantur a veritate aliena. Qui ad occupationem rei mobilis requirunt ejusdem apprehenſionem manibus factam; illi ſe torquent, ubi definire debent, utrum piſces inſtrumentis a te in fluvio collocatis detenti tui ſint, nec ne. Idem quoque evenit, ubi non advertitur, jus piſcandi tanquam rem incorporalem non minus occupari ac in dominio eſſe poſſe, quam corporalem. Si vero anteriora animo probe comprehenderis, nihil difficultatis deprehendes.

§. 222.

Uſus rei alienæ quando ſit injuria.

Qui re aliena utitur, invito domino, injuriam ipſi facit. Etenim dominus excludit jure ſuo, adeoque etiam jure utendi (§. 136.), ceteros omnes, in quorum dominio res non eſt (§. 120.). Quodſi ergo invito domino re ipſius utaris, contra jus ipſius, quod perfectum eſt (122.), agis. Enimvero qui contra jus alterius perfectum quid facit, injuriam ipſi facit (§. 859. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem injuriam facis domino, ſi re ipſius eodem invito utaris.

§. 223.

An dominium piſcium inſtrumentis alienis acquiratur.

Si inſtrumenta aliena, invito domino, in fluvio a te fuerint collocata, ubi piſcandi jus habes; injuriam quidem facis inſtrumentorum domino, piſces tamen iisdem detenti, ut elabi nequeant, tui ſunt. Qui enim re aliena utitur, invito domino, injuriam ipſi facit (§. 222.). Quare ſi inſtrumenta aliena in fluvio a te collocentur piſcium capiendorum gratia, invito domino, injuriam ipſi facis. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen inſtrumenta a te non collocantur niſi in fluvio, ubi piſcandi jus habes, *per hypoth.* ipſa in-

ſtrumentorum collocatio jure tuo fit. Quamobrem cum in tali inſtrumentorum collocatione piſces iisdem detenti tui ſint (§. 221.); nulla adeſt ratio, cur tui eſſe non debeant, quod rei alienæ uſu injuriam alteri feceris *vi num. 1.* Dicendum adeo eſt, quod ſint tui.

Actus occupationis in ſe ſpectatus, quatenus ſcilicet eſt acquiſitivus, nihil vitii habet, nec defectu quodam laborat (§. 221.): quod vero per accidens accedat vitium, quatenus inſtrumento alieno uteris, conſenſu domini non impetrato, id acquiſitioni juris, quæ hujus actus effectus eſt, nocere nequit. Dantur multi actus alii, qui vitio quodam inficiuntur, effectum tamen juris hoc non obſtante, producunt, quem per ſe producere apti ſunt. Agnoverunt hoc non modo ICti Romani; verum etiam Juris Romani interpretes. Hinc *Buſius* & *Wiſſenbachius* ad l. 1. ff. de acquir. rer. dom. cum ſtatuerent, feram eſſe nullius, ubicunque moretur, in alieno fundo captam capientis eſſe affirmarunt, licet domini fundo injuria fiat: de quo inferius.

§. 224.

Cujusnam res occupatæ in fundo, vel diſtrictu, in quo jus occupandi alius ſolus habet.

Si tu rem nullius occupes in eo fundo, vel diſtrictu, in quo jus occupandi mihi ſoli competit, ſeu in dominio meo eſt; res occupata non ſit tua, ſed mea. Etenim ſi res quasdam in hoc fundo, vel diſtrictu occupandi in dominio meo eſt, ego eodem jure excludo ceteros omnes (§. 120.), conſequenter cum occupando acquiratur dominium rei (§. 175.), ibidem nemo præter me dominium rei occupabilis acquirere valet. Quamobrem ſi tu rem, quæ in ſe nullius eſt, in eo fundo, vel diſtrictu occupes, in quo jus occupandi mihi ſoli competit ſeu in dominio meo eſt, occupando rei dominium non acquiris, conſequenter ea non fit tua (§. 124.). *Quod erat num.*

Enim-

Enimvero dominium continet jus utendi & fruendi (§. 136.), conſequenter percipiendi omnem utilitatem, quam dominus inde percipere poteſt. Quoniam itaque jus occupandi res certas in aliquo fundo vel diſtrictu in dominio meo eſt *per hypoth.* mihi etiam ſoli, cum eodem jure excludam ceteros omnes (§. 120.), competit jus percipiendi omnem utilitatem, quæ ex jure iſto occupandi haberi poteſt, conſequenter cum non alia detur hujus juris utilitas, quam acquiſitio dominii rerum ibidem occupatarum, quod per ſe patet, nec alio fine quis jus illud ſuum facit, quod denuo per ſe evidens eſt, mihi quoque acquiri debet dominium rei ibidem occupatæ, conſequenter ſi tu in eo fundo vel diſtrictu rem occupes, res occupata mea fit. *Quod erat alterum.*

In definiendo caſu propoſitionis præſentis non omnes inter ſe conſentiunt, nec rationes decidendi afferuntur quæ ſatisfaciunt. Accidit hoc non alia de cauſa, quam quod ex notione occupationis deducere volunt, quod ex notione dominii erat deducendum, quemadmodum a nobis factum eſt. Sane ſi in occupationem totus fueris intentus, quocunque te vertas, in difficultates incidis inextricabiles, cum ex adverſo omnia plana ac perſpicua ſint, ubi mentis aciem in dominium convertis, in quo eſt jus occupandi tanquam res incorporalis eodem prorſus modo, quo in eodem ſunt corporales. Neque enim de rebus incorporalibus, quatenus in dominio ſunt, aliter ratiocinandum, quam de corporalibus, quatenus eidem ſubſunt. Nihil a nobis aſſeritur de jure occupandi, quod in dominio eſt, quam quod ultro conceditur ab omnibus de rebus corporalibus, in quibus dominium habemus. Quoniam analogia inter dominium rerum corporalium & dominium incorporalium hactenus non ſatis expenſa; non inconſultum ju-

dicamus eandem quoad caſum propoſitionis præſentis explanare, præſertim cum in aliis etiam uſui eſſe poſſit. Conferamus itaque jus piſcandi, quod in dominio eſt, cum agro, qui dominio noſtro ſubjectus eſt. Nemo rem quandam corporalem, veluti agrum, dominio ſuo ſubjicit niſi propter utilitatem inde percipiendam, veluti fruges, quas bene cultus profert. Ita ſimiliter nemo jus piſcandi in dominio ſuo habere vult, niſi propter utilitatem inde percipiendam, quæ in acquiſitione dominii piſcium captorum conſiſtit. Quemadmodum itaque fructus agri acquiruntur domino, ita etiam piſces acquiruntur ei, cui jus piſcandi proprium eſt. Hinc, prouti deinceps videbimus, capti etiam ab alio piſces tibi acquiruntur, quemadmodum fructus a poſſeſſore agri tui non ipſi, ſed tibi acquiri nemo dubitat & ſuo loco oſtenditur. Jus poſſideri nequit niſi eius exercitio ſeu uſu: qui ergo jus occupandi tuum ſibi arrogat hoc faciens, quod nonniſi tibi facere licet, non male comparatur cum poſſeſſore agri tui, qui eum colit, te non conſentiente. Videmus adeo, expenſa analogia dominii rerum corporalium & incorporalium ſine ulla difficultate caſum propoſitionis præſentis definiri, quem alias tantopere intricare ſolent.

§. 225.

Cujusnam ſint piſces capti ab alio, ubi jus piſcandi mihi proprium.

Si tu piſceris in ea fluvii parte, in qua jus piſcandi mihi proprium eſt; piſces capti non ſunt tui, ſed mei. Cum enim piſces, qui intra fluvium natant, ſint res nullius, etiam dominiis introductis (§. 215.), neque adeo ejus, cui jus piſcandi in aliqua fluvii parte proprium eſt; piſcatio, ubi dominia introducta ſunt, actus occupatorius eſt (§. 174.). Enimvero ſi tu rem nullius ibi occupas, in quo jus occupandi mihi ſoli competit, ſeu proprium eſt (§. 2.); res occupata non fit tua, ſed mea (§. 224.). Ergo ſi tu piſceris

tis in ea fluvii parte, in qua jus piſcandi mihi proprium eſt; piſces capti tui non ſunt, ſed mei.

Quæ ad illuſtrationem propoſitionis præſentis faciunt, ex iis petenda, quæ ad præcedentem annotavimus. Quodſi in præcedente generaliter non demonſtraſſemus, quid valeat occupatio contra jus proprium alterius facta, præſentem eodem prorſus modo demonſtrare potuiſſemus, quo anteriorem demonſtravimus.

§. 226.

An piſcatio in fluvio ubi jus piſcandi alteri proprium ſit injuria.

Si tu piſceris in ea fluvii parte, in qua piſcandi jus mihi proprium eſt, injuriam mihi facis. Etenim ſi jus piſcandi mihi proprium eſt, ego te eodem excludo (§. 119.), conſequenter tibi in ea fluvii parte piſcari non licet (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quodſi tamen hoc facis, id ipſum fit contra jus meum. Quoniam itaque injuriam mihi facis, ſi quid facis, quod eſt contra jus meum (§. 859. *part. I. Jur. nat.*); ſi me non conſentiente piſceris in ea fluvii parte, in qua piſcandi jus mihi eſt proprium, injuriam mihi facis.

Juri alterius detrahi, ſi quis piſcetur, ubi alteri ſoli jus piſcandi competit, agnoſcunt omnes: ſed an damnum detur, quod juxta inferiora ſit reparandum, id demum eſt, quod dubium ac anceps videtur in caſu præſenti. Dubium hoc potiſſimum inde eſt, quod piſces non ita ſint incluſi parti fluvii, ubi piſcandi jus tibi proprium eſt, ut inde non elabantur, conſequenter ibidem adhuc ſint, quando tu jure tuo uſus piſcari volueris, adeoque eosdem capturus poſtea fuiſſes, quos cepit alter. Videtur itaque is, qui te non conſentiente ibi piſcatur, ubi jus piſcandi tibi proprium eſt, occupare rem nullius, nec ullum tibi hoc pacto inferre damnum. Ea etiam ratio eſt, cur quidam JCti defendant,

eum piſces captos ſuos facere naturali jure (§. 179.): ſumunt enim ubi jus proprium non exercetur, jus autem naturale omnibus commune ſine damno alterius exerceri poteſt, reviviſcere jus illud naturale. Atque adeo caſum præſentem comparant cum eo, quo quis in fundo alieno capit avem, quam capere licet jure naturali: ubi injuriam quidem facit domino fundi, quod fundum ejus ipſo non conſentiente ingreditur, actu autem occupationis nullum eidem infert damnum. Enimvero ſpeciem omnem huic opinioni detrahit analogia dominii rerum corporalium & incorporalium, quæ acquiſitionem dominii piſcium captorum exhibet tanquam fructus ex re tua percipiendos (*not.* §. 224.).

§. 227.

Quales res ſint aves in aëre.

Aves in aëre res nullius ſunt. Etenim aves in aëre libere huc illucve volitant, ut nemo prohibere poſſit, ne avolent nunquam redituræ. Quamobrem facile apparet, nemini jus quoddam proprium in iis competere poſſe, antequam occupentur (§. 2.). Sunt ergo nullius (§. 6.).

Quamdiu aves in libero aëre huc illucve volitant, nulla allegari poteſt ratio, cur ſint tuæ. Si enim tuæ ſint, neceſſe eſt ut eorum dominium acquiſiveris cum natura res omnes nullius ſint, quæ natura largitur (§. 7.). Non dici poſſunt a te occupatæ, quod velis eſſe tuas: voluntate enim tua non ita rediguntur in poteſtatem tuam, ut de ipſis earumque uſu pro arbitrio tuo diſponere poſſis, quemadmodum exigit dominium (§. 118.). Requiritur præter animum eas habendi etiam actu quo in eum ſtatum rediguntur, ut tuæ eſſe poſſint (§. 174.), conſequenter ut tibi competere poſſit libera de iisdem diſponendi facultas (§. 124. 118.).

§. 228.

Jus aucupii num in dominio eſſe poſſit.

Jus aucupii in certo fundo dominio ſubjici poteſt. Etenim jus aucupii res incorporalis eſt (§. 497. *part. I. Jur. nat.*) & aves res nullius ſunt, quæ in aëre volitant (§. 227.), ut adeo earum dominium acquiri poſſit eas capiendo (§. 176. 178.). Quoniam igitur, ubi a communione primæva receditur res non minus corporales, quam incorporales dominio ſubjici poſſunt (§. 217.), quod vero dominio ſubjicitur, limitatum eſſe debet (§. 203.); quin jus aucupii in certo fundo dominio ſubjici poſſit, dubitandum non eſt.

Poteramus hoc ſumere vi principii generalis de rebus incorporalibus dominio ſubjiciendis. Quicquid enim dominio ſubjici poteſt, id etiam ubi a communione primæva receditur, dominio ſubjicere licet. Sane perinde eſt, ſive ex agro occupato omnem percipias utilitatem, quam inde percipere licet, ſive ex jure piſcandi, aucupandi alioque quocunque. Quemadmodum nemini injuria fit, quod agrum ſolus colas, qui antea erat communis, ac ſolus percipias fructus in rem tuam vertendos; ita nec injuria fieri poteſt cuiquam, quod jus piſcandi in certa quadam fluvii parte vel aucupandi in certo fundo ſolus exerceas ac utilitatem, quæ inde ſperari poteſt, habeas ſolus. Quodſi aves non egrederentur fundum, in quo includuntur; nullum eſt dubium, quin una cum fundo dominio ſubjicerentur, quemadmodum arbores cum ſuis fructibus, quos edunt, in eodem extantes aut poſthac naſcituræ. Quidni igitur citra ceterorum injuriam cum fundo ſimul dominio ſubjicere liceret jus aves in eo capiendi, quæ ibidem commorantur? Quodſi vero injuria nemini fit, ſi cum fundo occupetur jus in eodem aucupandi; eccur non idem jus occupari etiam poteſt ſine fundo, quatenus exercitium hujus juris non nocet fundo alterius, ſed in eius

uſu

uſu innoxio conſiſtit, ſiquidem fundus jam in dominio alterius eſſe ponatur, ubi jus aucupandi in eodem occupatur? Patebit ex ſequentibus uſum innoxium non poſſe denegari alteri, dominiis licet introductis.

§. 229.

An jus capiendi certas aves occupari poſſit.

Quoniam jus aucupii in certo fundo occupari poteſt (§. 228.), *quin* etiam *jus capiendi certæ tantummodo ſpeciei aves occupari poſſit, dubitari nequit.*

Jus aucupii in genere continet jus capiendi aves certæ ſpeciei. Quodſi ergo jus capiendi aves quaſcunque occupare licet (§. 228.), ecquis in dubium revocabit poſſe etiam occupari jus capiendi aves ſaltem certæ ſpeciei, quod rariores ſint. Sane quo rariores ſunt res, eo minus datur ratio quædam naturalis, quæ eorum occupationi obſtet, vel etiam juri, quod dominium antevertit.

§. 230.

Quomodo jus aucupii dominio ſubjiciatur.

Si quis aves capit ubi a communione primæva receditur in eo fundo, in quo nemo iisdem inſidiatur aut in fundo ſuo, nec patitur, ut alius ibidem aves capiat; jus aucupii dominio ſuo ſubjicit. Oſtenditur eodem modo, quo ſupra evicimus (§. 220.), jus piſcandi in fluvio non occupato dominio ſubjici poſſe.

§. 231.

Quomodo aves inſtrumentis occupentur.

Si inſtrumenta, quibus capiuntur aves, veluti decipulas ibi collocaveris, ubi eas capiendi jus habes; aves iisdem ita detentæ, ut avolare nequeant, tuæ ſunt. Etenim ſi inſtrumenta, quibus aves capiuntur, ibi colloces, ubi eas capiendi jus habes; aves ibidem capere atque eo fine inſtrumenta, quibus capiuntur, collocare licet (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo iisdem aves ita detineantur, ut avolare

Digitized by Google

lare nequeant, in eum ſtatum redactæ ſunt, quo eas apprehendere potes, & collocatio inſtrumentorum tale factum eſt, quo declaras, te aves iisdem captas tuas eſſe velle. Quoniam itaque, poſtquam dominia introduci cœperunt, rem mobilem occupaſſe cenſeris ejusque dominium acquiris, quam primum eam in eum ſtatum redigis, quo eam apprehendere potes, & factum tale eſt, ut una eodem declaretur, quod velis rem eſſe tuam (§. 184.); ſi inſtrumenta, quibus aves capiuntur, veluti decipulas, ibi collocaveris, ubi eas capiendi jus habes, aves iisdem detentæ, ut avolare nequeant, in dominio tuo ſunt, conſequenter tuæ ſunt (§. 124.).

Non hic ſupponimus, jus occupandi fuiſſe occupatum, ut ſit alicui proprium, vel in communione poſitiva. Valet etiam, ſi indifferenter competit omnibus, qui avibus indigent, adeoque eas capere volunt. Per ſe autem liquet, ubi inſtrumenta tibi non licet collocare, ibi aves iisdem capere non licere. Hinc quidam addunt, inſtrumenta collocata eſſe debere in fundo proprio, non alieno: id quod tamen ſubinde fallere poteſt. Fieri enim poteſt, ut jus occupandi, quod tibi proprium eſt, etiam competat in fundo alieno; quo in caſu cum eo conjunctum eſt jus inſtrumenta, quibus aves capiuntur, in fundo etiam alieno collocandi, neque dominus fundi illo modo impedire poteſt, quo minus jure utaris tuo. Vides itaque, cur nos in propoſitione præſente hanc adjecerimus determinationem, inſtrumenta eſſe collocanda ibidem, ubi aves capiendi jus tibi competit, ſive jus iſtud fuerit proprium, ſive, commune.

§. 232.

Si inſtrumenta aliena, non conſentiente domino, ibi a te collocentur, ubi aves capiendi jus habes, injuriam quidem facis

An inſtrumentis alienis piſces

& aves captæ ſint capientis.

inſtrumentorum domino, aves tamen iisdem detentæ, ut avolare nequeant, tuæ ſunt. Idem dicendum, ſi alienis inſtrumentis, domino non conſentiente, aves quocunque modo capias, ubi eas capiendi jus habes. Valet quoque idem de piſcibus alienis inſtrumentis, domino eorundem non conſentiente, ibi captis, ubi piſcandi jus habes. Eundem in modum hæc oſtenduntur, quo ſupra demonſtravimus, piſces tuos eſſe, qui alienis inſtrumentis, domino non conſentiente, ibi collocatis, ubi piſcandi jus habes, ita detinentur, ut elabi nequeant (§. 223.).

§. 233.

Cujusnam ſint aves captæ ab alio, ubi mihi jus aucupii proprium eſt.

Si tu aves capias in eo fundo vel diſtrictu, in quo jus aucupii mihi proprium eſt, aves captæ non tuæ ſunt, ſed meæ. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo ſupra de piſcibus contra jus piſcandi proprium alterius captis idem evicimus (§. 225.).

Quamobrem quæ ibidem annotavimus, de caſu propoſitionis præſentis etiam tenenda ſunt.

§. 234.

Cujusnam ſint res certæ ſpeciei contra jus proprium alterius occupatæ.

Si jus occupandi res certæ ſpeciei fuerit in dominio tuo, & alius te non conſentiente, eas occupat, eas non ſibi, ſed tibi acquirit, tibique ſimul injuriam facit. Quando jus occupandi res certæ ſpeciei eſt in dominio, per ſe patet, illud reſtrictum eſſe debere ad certum diſtrictum, quantuscunque demum is fuerit. Perinde igitur eſt ac ſi jus occupandi res certas ſeu in aliquo diſtrictu tibi fuerit proprium, in dominio tuo. Enimvero ſi quis rem quamcunque, quæ nullius eſt, occupet in eo diſtrictu, ubi jus occupandi eſt in dominio alterius, rem occupatam non ſibi, ſed ei acquirit, cui jus occupandi proprium eſt (§. 224.). Ergo ſi jus occupandi res certæ ſpeciei fuerit in do-

dominio tuo, & alius te non conſentiente eas occupet, eas non ſibi, ſed tibi acquirit. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam jus occupandi res illius ſpeciei in dominio tuo eſt, *per hypoth.* adeoque jus perfectum (§. 122.); qui te non conſentiente rem iſtius ſpeciei occupat, contra jus tuum perfectum agit. Cum itaque alteri injuriam faciat, qui contra jus perfectum alterius quid facit (§. 559. *part. I. Jur. nat.*); qui rem iſtius ſpeciei occupat, cujus ſpeciei res occupandi jus in dominio tuo habes, te non conſentiente, injuriam tibi facit. *Quod erat alterum.*

Injuria, quæ infertur alteri, cujus jus uſurpatur, diſtinguenda eſt ab eo, quod uſurpatione hujus juris acquiritur & alteri debetur. Patebit enim ſuo loco, utriusque rationem habendam eſſe, ubi determinandum quomodo ei, qui jus occupandi in dominio habet, ab altero, qui idem violavit, ſuum ſit reddendum.

§. 235.

Quando occupatio iſta citra injuriam alterius fiat.

Si quis jure ſuo occupandi uſus rem ejus ſpeciei caſu occupat, cujus occupandi jus alteri in dominio eſt, & rem occupatam huic tradit; nullam ipſi injuriam facit. Etenim in caſu propoſitionis præſentis dominium rei occupatæ non ſibi, ſed alteri acquirit, cujus in dominio eſt res iſtius ſpeciei occupandi jus (§. 234.). Quamobrem ſi alteri eandem tradit, ipſi reddit, quod ſuum eſt (§. 124.), conſequenter hoc ipſo nil facit contra jus ipſius, adeoque nec injuriam eidem facit (§. 859. *part. I. Jur nat.*). Enimvero cum occupatio ſit effectus caſualis *per hypoth.* adeoque occupanti imputari nequeat (§. 638. *part. I. Phil pract. univ.*), præſertim cum jure ſuo occupandi uſus eundem evitare non potuerit, nec actum occupationis tanquam in genere

Digitized by Google

ſibi licitum (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*) omittere obligatus fuerit (§. 639. 640. *part. I. Phil. pract. univ.*); nulla ratione dici poteſt, quod occupando rem ejus ſpeciei, cujus occupandæ jus alteri ſoli competit, contra jus alterius ſciens ac volens quicquam feceris (§. 460. *part. II. Theol. nat.*). Quamobrem nec hoc actu ipſi injuriam facis (§. 559. *part. I. Jur. nat.*).

Duplici modo injuria fieri poteſt ei, qui occupandi jus proprium habet, vel quatenus quod occupatur ab occupante retinetur tanquam ſibi acquiſitum, vel quatenus actus occupatorius eſt contra jus alterius. Utrumque ceſſat in hypotheſi propoſitionis præſentis. Quamobrem omnis quoque abeſt injuria ab occupatione. Immo in caſu propoſitionis præſentis injuria non aliter fieri poteſt, quam ſi res occupata non traditur ei, qui jus occupandi in dominio habet.

§. 236.

Res ſe moventes quænam dicantur.

Res ſe moventes dicuntur, quæ principio quodam intrinſeco moventur ex uno loco in alterum.

Contradiſtinguuntur iis mobilibus, quæ ex loco uno in alterum pervenire nequeunt, niſi ex illo in hunc transferantur, aut ex uno in alterum projiciantur, conſequenter ſe ipſas ex loco uno in alterum movere nequeunt. Res ſe moventes ſunt omnia animalia, veluti piſces, aves, feræ, pecudes. Continentur ſub rebus mobilibus tanquam genere ſuo (§. 148.), peculiarem tamen earum ſpeciem conſtituunt, quod modus, quo de loco in locum moveri poſſunt, diverſus eſt in ipſis & mobilibus aliis (§ 712. *Log.*). Unde & jam olim JCti Romani eas a ceteris mobilibus, ubi opus eſt, diſtinguunt veluti l. 1. ff. de ædilit. edicto. Dicuntur etiam ſubinde ſimpliciter *moventia*, quamvis *Celſo* inculcante

cante mobilia & moventia communiter idem ſignificent l. 93. ff. de V. S.

§. 237.

An ex eo, quod res ſe movens nullius ſit in fundo tuo tibi naſcatur aliquod jus in eam.

Ex eo, quod res ſe movens nullius ſit in fundo tuo, nullum tibi jus in eam naſcitur. Quoniam enim res ſe movens principio quodam intrinſeco de loco in locum movetur (§. 236.), quæ nunc eſt in fundo tuo mox in alio exiſtit, neque limitibus, quibus fundus aliquis continetur, coërcetur. Ita avis, quæ nunc eſt in horto tuo, mox avolat in alium, inde in campum patentem, vel ſylvam. Quamobrem cum non ita fundo tuo detineatur, ut inde elabi nequeat; per hoc, quod res ſe movens nullius ſit in fundo tuo, dici non poteſt in eum ſtatum redacta, quo eam apprehendere potes, neque per hoc declaratur voluntas tua, quod tuam eſſe velis, quippe quæ facto quidem tuo, ſed non res ſe moventis, declarari poteſt, conſequenter ea de cauſa res iſta tua dici nequit (§. 184.). Immo quia a te non pendet, ut res ſe movens nullius nunc ſit in fundo tuo, quæ ſua ſponte te inſcio & inconſulto de fundo uno in alterum movetur; per hoc, quod nunc eſt in fundo tuo, jus occupandi eam dominio tuo ſubjectum dici nequit (§. 219. & *not. ej.*). Quoniam itaque in rem nullius jus aliud acquiri nequit, niſi ut vel ipſa vel jus eam occupandi dominio ſubjiciatur, quod ubi a communione primæva receditur omnibus indifferenter competit (§. 179.); ex eo, quod res ſe movens nullius ſit in fundo tuo, nullum tibi jus in eam naſcitur.

Natura res omnes ſunt communes & earum quælibet nullius eſt (§. 7.): quando autem dominio ſubjiciuntur, ex communibus fiunt propriæ (§. 132. 136.). Res quæ ſunt in

Digitized by Google

communione primæva dominio ſubjiciuntur occupando (§. 175.) &, ubi a communione primæva receditur, jus occupandi omnibus indifferenter competit (§. 179.), nec idem dominio ſubjicitur niſi occupando (§. 219. & *not. ei.*). Hæc qui perpendit facile perſpiciet, per hoc, quod res ſe movens nullius nunc ſit in fundo tuo, nec rem, nec jus occupandi eam occupari, conſequenter nec rei dominium acquiri, nec jus eam occupandi in dominio tuo eſſe. Non datur autem jus aliud, quod in rem nullius acquiri poteſt, niſi aut dominium ipſius rei, aut juris occupandi, quemadmodum ex iis, quæ diximus, una eluceſcit. Nec acquiſitio dominii, nec juris occupandi a fundo pendet. Jus occupandi commune homini natura competit, quemadmodum ex ſupra demonſtratis palam eſt (§. 179.). Etſi autem jus occupandi res ſe moventes nullius perinde ac res ipſa occupari poſſit, ut in dominium tranſeat (§. 216.); non tamen occupatur una cum fundo, ſed fundus ſine hoc jure, & jus idem ſine fundo occupari poteſt, cum modus occupandi fundum a modo occupandi jus rem quandam occupandi prorſus diverſus ſit (§. 185. & §. 219.). Agnovit Imperator, etſi res a ſe movens nullius ſit in fundo tuo, ideo tibi non plus juris competere in eam, quam cuivis non domino fundi, ubi §. 12. Inſt. de rer. div. Non intereſt, inquit, feras beſtias & volucres utrum in ſuo fundo quis capiat, an in alieno. Qui in diverſam abeunt ſententiam, non diſtinguunt, utrum a domino fundi jus occupandi fuerit occupatum, nec ne, nec originarium modum jus iſtud acquirendi a derivativo diſcernunt, quorum tamen hic ab iſto pendet, nec ſine illo intelligitur.

§. 238.

Quid inde ſequatur. Quoniam ex eo, quod *res ſe movens nullius* eſt in fundo tuo nullum tibi jus in eam naſcitur (§. 237.); *quando eſt in fundo tuo manet nullius & jus occupandi eidem ſalvum, cui competebat.* Nimi-

Nimirum ſi jus occupandi adhuc fuerit commune, commune manet; ſi cuidam proprium fuerit, proprium manet: nulla hic accidit quoad rem vel jus occupandi, ſeu quoad jus in rem iſtam mutatio.

§. 239.

Res ſe movens in fundo alieno occupata cujus ſit.

Si quis rem ſe moventem nullius, cui eam occupandi jus eſt, occupet in fundo alieno, eam ſibi, non domino fundo acquirit. Quodſi tamen fundum alienum ingrediatur invito domino, eidem injuriam facit. Etenim ſi tibi fuerit jus rem ſe moventem nullius occupandi, eam occupare tibi licet (§. 170. *part. I. jur. nat. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum hoc jus maneat ſalvum, etiamſi res in fundo alieno exiſtat (§. 238.); in eodem adhuc eandem occupare licet. Quoniam itaque occupando acquiritur dominium rei (§. 175.), nec per hoc, quod ea eſt in fundo alieno, jus ullum domino fundi in eam naſcitur. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam domino fundi de ingreſſu in fundum ſuum pro ſuo arbitrio ſtatuere integrum (§. 118.); pati haud tenetur, ut tu ipſo invito utilitatis cujusdam tuæ gratia in fundum ipſius ingrediaris. Quodſi tamen illo prohibente hoc facis, contra jus ipſius hoc facis. Enimvero quando quid facis contra jus alterius, injuriam ipſi facis (§. 859. *part. I. Jur. nat.*). Ergo ſi rem ſe moventem nullius occupaturus ingrediaris in fundum alienum, quamvis tibi jus ſit eam occupandi, injuriam domino fundo facis.

Dum ſupponimus ei, qui rem ſe moventem occupat in fundo alterius, occupandi jus eſſe, ſimul ſumitur, domino fundi non eſſe jus occupandi proprium in iſto fundo. Pone enim tale jus ipſi competere, cum te eodem exclu-

dat in fundo ſuo (§. 119.), non potes habere jus occupandi in eodem fundo, etſi tibi alibi competat. Jus igitur occupandi, quod tibi eſt, non limitatur dominio fundi, ſed proprietate juris occupandi in iſto fundo.

§. 240.

Cujusnam ſint aves in fundo alieno captæ.

Si tibi jus capiendi aves, eas in fundo alieno captas tuas facis. Quodſi vero domino fundi fuerit jus eas capiendi proprium, captæ non tuæ ſunt, ſed domini fundi. Sunt enim aves in numero rerum ſe moventium (§. 236.). Enimvero ſi quis rem ſe moventem nullius, cui eam occupandi jus eſt, occupet in fundo alieno, eam ſibi acquirit (§. 239.). Ergo ſi aves, quas capiendi jus habes in fundo alieno capis, eas tuas facis. *Quod erat primum.*

Quando aves capis, ubi jus capiendi mihi proprium aves captæ non tuæ ſunt, ſed meæ (§. 233.). Quamobrem ubi jus capiendi aves domino fuerit proprium in ſuo fundo; aves a te in eodem captæ non tuæ ſunt, ſed domini fundi. *Quod erat ſecundum.*

Non ſuperfluum videri debet, quod adjiciatur in prima propoſitionis parte, ſi aves in fundo alieno captas tuas facere velis, tibi jus eas capiendi eſſe debere, quod §. 12. Inſt. de rer. diviſ. ſimpliciter aſſeratur, volucres in fundo alieno captas eſſe tuas. Romani enim ſuppoſuerunt, aves in communione primæva relictas occupandi jus manere omnibus hominibus commune, nec a quoquam occupari poſſe: cujus tamen contrarium & ſupra demonſtravimus (§. 228. 229.), & moribus noſtris convenit. Abſit adeo, ut tibi perſuadeas ad occupationem rei nullius ſive in fundo alieno, ſive alibi ubicunque non requiri jus occupandi in Jure Romano.

§. 241.

Digitized by Google

§. 241.

Quid tenendum circa jus proprium capiendi aves vel piſces certæ ſpeciei.

Si jus capiendi aves certæ ſpeciei tibi ſit proprium, qui te non conſentiente eas capit, non ſuas, ſed tuas facit, tibique ſimul injuriam facit. Quodſi vero jus capiendi piſces certæ ſpeciei tibi ſit proprium, eas qui capit, tuas facit, ſed nullam tamen injuriam fecit, modo tibi reddat. Etenim in genere conſtat, ſi tibi competit jus proprium occupandi res certæ ſpeciei, & alius te non conſentiente eas occupat, quod eas tuas faciat, non ſuas, ſimulque injuriam faciat (§. 234.), niſi caſu occupatam rem tibi reddat (§. 245.). Quamobrem ſi tibi eſt jus occupandi aves vel piſces certæ ſpeciei proprium, eos non facit ſuos, qui capit, ſed tuos, & cum aves dignoſci poſſint, antequam capiantur, piſces autem, ad quos tibi jus proprium eſt, non capiantur niſi caſu, ſi aves capit tibi injuriam facit, ſi vero piſces injuriam nullam facit, modo captos tibi tradat.

Moribus noſtris convenit, ut alicui competat jus aucupii & piſcandi, excipiantur tamen certæ ſpeciei aves ac piſces, quorum illas capere prohibetur, hos ſuos facere nequit, ubi caſu capit. In caſu adeo priori ipſe actus occupatorius eſt contra jus alterius tibique imputatur, quatenus ab eodem abſtinere poteras & debebas (§. 528. *part. I. phil. pract. univ.*), at in poſteriori non item, quia jure tuo piſcandi uſus capis caſu piſcem, quem tuum facere non potes, & quem a te captum iri prævidere non poteras. Non jam inquiro, quandonam fieri poſſit, ut nec tibi imputari poſſit, quod avem ceperis ejus ſpeciei, quam capiendi jus proprium alter habet. Quæ enim de imputatione in genere demonſtrata ſunt in Philoſophiæ practicæ univerſalis parte prima, ea unusquisque in caſu quolibet ſpeciali facile applicabit, qui ſufficiente attentione utitur, ne nimis prolixi eſſe teneamur.

§. 242.

Cujusnam ſint pulli avium in nido, qui eſt in fundo tuo. *Pulli avium in nido, qui eſt in fundo tuo, non ſunt tui; ſed nullius. Idem valet de ovis in eodem excluſis.* Aves enim nullius ſunt (§. 227.), & quando ſunt in fundo tuo manent nullius (§. 238.). Quamobrem ſi nidum exſtruunt in fundo tuo, ac in illa ova ponunt, ex his vero pullos excludunt, neque ova, neque pulli ſunt res ex re tua provenientes, conſequenter non ſunt fructus ex re tua percipiendi (§. 956. *part. I. Theol. nat.*), multo minus adeo referri poſſunt inter fructus ex fundo tuo provenientes. Quamobrem etſi tibi competat jus percipiendi omnem fructum fundi tui (§. 136.), non tamen ideo ova & pulli avium in nido, qui eſt in fundo tuo, tui ſunt: quod cum multo magis intelligatur de alio quocunque, patet omnino tam ova, quam pullos in nido, qui eſt in fundo tuo, nullius eſſe.

Idem adhuc evidentius patet, ſi demonſtrationem ad formam indirectæ reducere velis. Pone nimirum pullos avium & ova, ex quibus excluduntur, in nido, qui eſt in fundo tuo, eſſe tua. Quoniam aves nidum extruunt, ova in eodem deponunt & ex iis pullos excludunt, excluſosque educant; tam ova, quam pulli ſunt fructus avium (§. 956. *part. I. Theol. nat.*), adeoque fructus avium ideo ſunt tui, conſequenter in dominio tuo, quia nidificantes pullos gignunt in fundo tuo. Sunt vero aves iſtæ nullius (§. 227.) atque in numero rerum ſe moventium (§. 236.), adeoque ex eo, quod res ſe moventes nullius ſint in fundo tuo, cum dominium ſit jus proprium (§. 118.), conſequenter & jus fruendi, quod ipſum continet (§. 136.), tibi jus quoddam proprium in eas naſcitur: quod cum ſit abſur-

abſurdum (§. 237.), pulli avium ac ova in nido, qui eſt in fundo tuo, tua non ſunt, ſed nullius.

Quod aves nidos extruant in fundo tuo, nullo modo a fundo dependet, ſed aliæ ſunt rationes, quæ ipſas ad nidificandum ibidem determinant. Nulla igitur ratio a fundo, quod tuus eſt, derivari poteſt, cur tibi aliquod jus acquiratur in ova vel pullos; ſed ſi jus quoddam competere debet, id aliunde arceſſendum.

§. 243.

Si mihi eſt jus proprium capiendi aves ejus ſpeciei, quæ nidificant in fundo tuo, tibi ova & pullos, qui ſunt in nido, occupare non licet. Etenim ſi mihi eſt jus proprium capiendi ejus ſpeciei aves, quæ nidificant in fundo tuo, cum ego te excludam iſto jure (§. 119.), nec ex eo, quod aves ſint in fundo tuo, jus aliquod in eas naſcitur, quod non habes (§. 237.) per ſe patet, pullos in nido, qui eſt in fundo tuo, tibi occupare non licere (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.* *Quid licitum in caſu juris proprii.*

Enimvero quoniam pulli excluduntur ex ovis, nec tanto numero multiplicarentur aves, ſiquidem ex nidis auferentur ova; cui competit jus proprium capiendi aves certæ ſpeciei, ei etiam competit jus, ne ova, ex quibus excludendæ, ex nidis auferantur prohibendi, conſequenter ſi aves certæ ſpeciei capere non licet, nec ova eorum ex nidis auferre licet. Quodſi ergo mihi eſt jus proprium capiendi aves eius ſpeciei, quæ nidificant in fundo tuo, nec tibi ova earum ex nidis auferre licet. *Quod erat alterum.*

Pulli jam ſunt in numero avium, adeoque quod in aves competit jus, idem etiam in pullos eſt. Nemini ea de re

 ſcrupu-

Digitized by Google

ſcrupulus eſſe poteſt. De ovis idem adeo manifeſtum non eſt, propterea quod ova & aves ſunt res diverſæ. Enimvero cum in rerum natura exiſtere nequeant aves, niſi ova conſerventur, ex quibus excludendæ; nemo non levi attentione uſus intelligit jus tuum capiendi aves diminui, ſi ova auferantur, ne pulli inde excludi ac educari poſſint, conſequenter ablationem ovorum ex nido non minus eſſe contra jus tuum proprium, ac captura avium eſt (§. 239. *part. I. Phil. pract. univ.*).

§. 244.

Præſumtio quid ſit.

Præſumtio eſt collectio probabilis rei dubiæ in caſu ſingulari, vel ejus, quod dubium eſt in caſu ſingulari.

In jure Præſumtio opponitur probationi tit. ff. de prob. & præſumt. De quibus in foro litigatur, res ſingulares ſunt, veluti quod hoc ſit, vel factum ſit, e. gr. quam res, quam poſſides, ſit tua; num pecunia, quam tibi ſolutam fateris, ſit indebite ſoluta; num Titius, qui Mevium gladio interfecit, habuerit occidendi animum. Quæ igitur in foro probantur, vel præſumuntur, res ſingulares ſunt, non veritates univerſales, de quibus diſputatur in diſciplinis. Quod probari poteſt, pro certo habetur: quod vero præſumitur, donec contrarium probetur, veluti te habere dominium rei, quam juſto titulo poſſides, donec alter dominium ſuum probaverit, vel pecuniam tibi debite ſolutam, donec alter probaverit ſolutionem factam fuiſſe indebite, dubium eſt. Objectum adeo præſumtionis ſunt res dubiæ in caſu ſingulari: ſub rebus autem hic comprehenduntur etiam facta, quemadmodum fert ſignificatus rei in genere (§. 243. *Ontol.*). Quoniam vero quod dubium eſt, ſumitur tanquam verum; ideo tantummodo ex aliis, quæ certo cognoſcuntur, probabiliter colligitur (§. 578. *Log.*). Atque ideo præſumtio nonniſi collectio probabilis eſt, quæ in probatione certa eſſe debet. Hinc etiam nonnulli JCti præ-

præſumtionem dicunt probabilitatem quandam. Vid. Cel. *Bœhmerus* noſter in Introduct. in Jus Digeſtorum d. t. §. 11. p. 44. part. 2. Neque vero a mente Jctorum alienum eſt, ut præſumtiones in numerum collectionum referantur. Vid. *Huberus* in Prælect. Jur. civ. d. t. ff. §. 14. part. 4. p. 88. Vocabulum adeo præſumtionis ſumimus in recepto in Jure ſignificatu. Neque alius eſt ſignificatus, qui communiter obtinet. Ita præſumere dicimur cauſam, cur collegium aliquod extra ordinem fuerit congregatum, vel cur Titius Sempronium adierit. Vi præſumendi ſe excelluiſſe fatetur *Cicero epiſt.* 6. ad familiares lib. 6. & *Plutarchus* eam tantam facit, ut integro, antequam evenirent, decennio res futuras prædicere potuerit. Addunt nonnulli in definitione præſumtionis collectionem, quam diximus, fieri debere ex eo quod fit ut plurimum. Enimvero quamvis negari poſſit, hujus principii magnam eſſe vim in præſumtionibus; haud quaquam tamen affirmaverim, quod eam totam conficiat, multo minus autem affirmare licet, quod conficiat ſola. Conſentit omnino *Donellus* ad d. t. qui præſumtionem vocat judicium rei latentis, quod per rationes & ſigna colligitur, quemadmodum & juxta *Oldradum* in præſumtione res dubia ex aliquibus ſignis extrinſecus quæſitis colligitur. Et ſi quis plura præſumtionum exempla, quæ ipſi indies offeruntur, percurrere voluerit; facile deprehendet, ad præſumendum non ſufficere id, quod fit ut plurimum. Enimvero nec opus eſt, ut in definitione exprimantur rationes, per quas colligitur res dubia in præſumtionibus. Quoniam enim præſumtio probabilis collectio eſt, de rationibus ad probabile quid concludendum ſufficientibus ſtatuendum ex iis, quæ de probabilitate demonſtrantur (§. 578. & ſqq. *Log.*). Uberior vero tractatio pertinet ad Logicam probabilium. Nonnulli, cum quibus *Huberus* loco ante citato facit, præſumtionem per anticipationem judicii definiunt,

 quia

quia judicium fertur de re adhuc incerta, antequam ſcilicet adſint rationes ſufficientes ad aſſenſum præbendum. Quemadmodum vero in foro præſumtionibus carere non poſſumus, tam in civilibus, ubi exitus absque iis inveniri nequit, quam in criminalibus; ita etiam ampliſſimus earum uſus eſt in negotiis humanis quibusvis, ita ut prudentiæ ſatisfieri nequeat absque præſumtionibus: quæ ſuo loco clarius patebunt, ubi in Philoſophia morali praxin virtutis hujus intellectualis trademus. Tanta igitur cum ſit præſumtionum neceſſitas & utilitas, vel ex eo intelligitur, quantum interſit, ut non modo determinatam præſumtionis notionem habeamus, verum etiam theoria ejus exaſciata proſtet.

§. 245.

Voluntas & noluntas præſumta quid ſit.

Hinc *voluntatem & noluntatem alterius præſumere* dicitur, qui probabiliter colligit, quid alter velit, vel non velit in dato caſu ſingulari: ut adeo *Voluntas præſumta* dicatur actus volitionis in dato caſu ſingulari probabiliter collectus, & *Noluntas præſumta* actus nolitionis in dato caſu ſingulari probabiliter collectus. Communiter noluntas præſumta ſub voluntate præſumta comprehenditur, quatenus non minus nolitio, quam volitio habetur pro actu voluntatis ſumto vocabulo voluntatis in ſenſu latiori, ut etiam noluntatem ſub ſe comprehendat. Ceterum tam voluntas, quam noluntas præſumta non modo ſub ſe comprehendit volitionem & nolitionem præſentem, verum etiam præteritam & futuram.

Nimirum non ſolum præſumitur, quid quis velit in præſenti, verum etiam quid voluerit, vel ut velit futurum ſit. Quomodo voluntas præſumatur, noſtrum jam non eſt inquirere. Pertinet hoc ad Logicam probabilium, ut ex natura voluntatis fontes præſumtionis deducantur.

§. 246.

§. 246.

Quod præſumitur falſum eſſe poteſt. Quod enim præſumitur nonniſi probabile eſt (§. 244.). Enimvero propoſitio probabilis falſa eſſe poteſt (§. 591. *Log.*). Ergo etiam quod præſumitur falſum eſt poteſt. *An quod præſumitur ſit verum.*

Quod præſumitur eſt propoſitio quædam, ſi logice enunciatur, veluti Titius, qui iuſto prædium titulo poſſidet, eſt ejus dominus, ſeu pro domino habendus; Sybilla gravida pariet unum infantem, non gemellos, ſi nimirum ex eo colligitur, quod hoc plerumque fiat; Titius Mævio non indebite ſolvit pecuniam.

§. 247.

Quoniam *quod præſumitur*, falſum eſſe poteſt (§. 246.), *Præſumtio pro vero tantum habetur, donec contrarium fuerit probatum*, conſequenter *præſumtio fallere poteſt*, ſeu *infallibilis non eſt.* *Præſumtionum fallere poſſit.*

Nimirum non alius præſumtionis finis eſt, quam ut pateat, quid interea habendum ſit pro vero, donec de veritate conſtet, aut quid ſtatuendum, antequam de veritate conſtare poteſt, vel ubi de eadem nobis conſtare nequit, niſi ſolius curioſitatis gratia fiat.

§. 248.

Quod plerumque fit, id præſumitur, non quod rarius, ubi nullæ rationes peculiares proſtant. Præſumtioni locus eſt, quando de re dubia ferendum judicium (§. 244.), & interea quid habendum pro vero, donec contrarium probatur (§. 247.). Ubi igitur dubium eſt, num quid ſit, nec ullæ proſtant rationes peculiares, num quod rarius accidit potius videatur verum, quam quod plerumque fit; a ſola poſſibilitate concludendum ad actum. Enimvero ſi *Num præſumendum & quod plerumque fit.*

quid

quid plerumque fit, plures in hac rerum ſerie continentur caſus, in quibus ponuntur rationes actum determinantes, quam in quibus ponuntur rationes determinantes actum ejus quod fit rarius (§. 118. *Ontol.*). Quoniam igitur de his rationibus nihil prorſus conſtat *per hypoth.* id potius eſſe ſumitur, quod plures habet in hac rerum ſerie caſus, quam quod pauciores, ubi periculum errandi minus eſſe debet. Præſumendum igitur, quod plurimum fit, non quod rarius, ubi nullæ rationes peculiares proſtant, cur ſcilicet rarius præſumatur.

E. gr. Si Tanaquilla fuerit gravida, nec præterea quid conſtet, quam quod ſit gravida, nemo non præſumit fore, vt unum pariat infantem, quam vt pariat gemellos, aut plures, non alia de cauſa, quam quia illud contingit plerumque, iſtud rarius, hoc rariſſime. Quod enim plerumque contingit, id magis poſſibile intelligitur, ſi poſſibilitatem extrinſecam ſpectes, quam quod accidit rarius.

§. 249.

Rei derelictio quid ſit & animus derelinquendi.

Rem derelinquere dicitur, qui, cum ſua eſſet, eam non amplius ſuam eſſe nude vult, parum ſcilicet ſollicitus, quinam eandem ſuam facere velit. Hic vero actus voluntatis *animus derelinquendi* vocatur. Unde *Res derelicta* appellatur, quam tuam non amplius eſſe nude vis.

Nude quis vult rem, quæ ſua fuerat, non amplius eſſe ſuam, ſi actus voluntatis ſive volitio nil amplius continet, quam quod ſua eſſe non debeat. E. g. qui rem ſuam abjicit ea mente, ut eandem in rerum ſuarum numero eſſe nolit, nude vult eam non amplius eſſe ſuam, atque adeo eandem derelinquit. Enimvero ſi rem tuam alteri vendis, eam quoque non amplius tuam eſſe vis, ſed non nude: vis enim ſimul ut ſit emtoris. Voluntatis adeo tuæ actus non

præter

præter hoc, quod rem, quam vendis, tuam amplius eſſe nolis, ſimul includit volitionem, quod eſſe debeat venditoris. Hinc explicationis gratia adjecimus, derelinquentem parum ſollicitum eſſe, quinam eandem ſuam facere velit. Ceterum vocabulum derelictionis ſumitur in ſignificatu recepto in Jure Romano. Ita enim Imperator Inſt. tit. de rer. div. §. 36. Pro derelicto, inquit, habetur, quod dominus ea mente abjecerit, ut id in rerum ſuarum numero eſſe nolit. Quoniam tamen ad derelictionem non ſemper requiritur, ut res abjiciatur; verba Imperatoris pro definitione accipi non poſſunt, adeoque definitio verbis generalioribus concipienda fuit, ut omni in caſu ſatisfaciat.

§. 250.

Rei derelictæ dominium quomodo intereat.

Qui rem derelinquit, ſtatim dominus ejus eſſe deſinit. Qui enim rem derelinquit, eam non amplius ſuam eſſe vult (§. 249.), adeoque ſtatim ejus eſſe deſinit (§. 153. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum dominus rei non ſit, cujus res non eſt (§. 124.); ſi quis rem derelinquit, ſtatim dominus ejus eſſe deſinit.

Nimirum a tua voluntate pendet, utrum rei tuæ dominus manere velis, nec ne, cum actionum tuarum nemini rationem reddere tenearis, quamdiu nil facis, quod eſt contra jus alterius (§. 158. *part. I. Jur. nat.*): id quod non fit, ſi jus quoddam tuum, veluti hic dominium, habere non vis. Ex libertate adeo naturali fluit, quod rem derelinquendo dominus ejus eſſe deſinas. Hinc etiam in demonſtratione ad libertatem naturalem tantummodo provocavimus. Tuum eſt, non alterius judicare, utrum dominus rei manere velis, nec ne (§. 156. *part. I. Jur. nat*), quemadmodum a tua, non vero alterius voluntate pendet, utrum rem nullius occupare (§. 174.) & occupando tuam facere velis, nec ne (§. 175.). Inde eſt, quod affirmetur, iisdem modis res deſinere eſſe noſtras, quibus acquiruntur.

§. 251.

Res dereli-cta cujus-nam ſit.

Res derelicta ſit nullius. Etenim ſi rem derelinquis, ſtatim dominus ejus eſſe deſinis (§. 250.), & quoniam nude vis eam non amplius eſſe tuam, parum ſollicitus, quinam eandem ſuam facere velit (§. 249.), nec jus quoddam proprium ad eam ulli naſcitur ex derelictione (§. 2.). Enimvero res nullius eſt, ad quod nemini jus quoddam proprium competit (§. 6.), quale etiam dominium eſt (§. 118.). Res igitur derelicta nullius eſt, ſeu; quia derelinquitur, ideo ſit nullius.

§. 252.

Quomodo ejus dominium acquiratur.

Rei derelictæ dominium acquiritur occupando. Etenim res derelicta nullius eſt (§. 251.), adeoque non alius datur modus eam acquirendi niſi originarius (§. 176.). Quoniam itaque modus acquirendi dominium originarius occupatio eſt (§. 178.); rei derelictæ dominium acquiritur occupando.

Res derelicta, quia nullius (§. 251.), occupabilis eſt, ſeu in numero earum eſt, quæ occupari poſſunt. Quamobrem cum occupando acquiratur dominium (§. 175.); rei derelictæ etiam occupando dominium acquiri debet.

§. 253.

Quinam ſuam facere poſſit.

Quoniam rei derelictæ dominium occupando acquiritur (§. 252.), jus vero rem quamcunque occupandi indifferenter omnibus competit, qui eadem indigent (§. 179.), quamdiu ipſum dominio ſubjectum non fuit (§. 219.); *Quamdiu jus rem derelictam occupandi in nullius dominio eſt, ſeu nulli proprium eſt, eam ſuam facere poteſt qui eadem indiget*, conſequenter *qui vult* (§. 180.), cumque qui jus occu-

occupandi in dominio habet eodem excludat ceteros omnes (§. 120.), *ubi jus occupandi rem derelictam in cujusdam dominio eſt, rem ſuam facere nequit niſi qui jus iſtam occupandi in dominio habet.*

Equidem §. 46. Inſt. tit. de rer. div. ſimpliciter pronunciatur, ſi rem derelictam occupaverit quis, ſtatim eum dominum effici; non tamen id contrariatur aſſerto noſtro: in Jure enim Romano ſupponitur, jus occupandi manſiſſe commune, nec ullius proprium factum eſſe. Certe Romani idem omnibus commune eſſe voluerunt.

§. 254.

Rem ſuam jactare dicitur, qui nullo urgente officio, nec neceſſitate ulla, ſine ulla utilitate eam non vult eſſe ſuam. *Rem ſuam jactare quinam dicatur.*

Dictionem hanc explicamus ſecundum receptum loquendi uſum. Nemo non eſt, qui non dicat, Titium jactare ſuum, ſi venditori ſtatim ſolvit, quod exigit, pretium, viliori rem vendituro, niſi in idem extemplo conſenſiſſet. Quod ultra vilius pretium ſolvit, id nullo urgente officio abſque ulla utilitate ſua ſuum eſſe non vult. Ac ideo non alia de cauſa ſuum jactare dicitur, quam quod ſuum eſſe non vult abſque ulla utilitate, etiam ſi nullum urgeat officium, quemadmodum accidit, ubi egeno danda eleemoſyna: ſit ita quod per inconſtantiam loquendi tanquam ſcienti ac libere volenti tribuatur, quod inconſultus facit. Quando enim homines de aliis judicant, in applicandis definitionibus ſeu notionibus, quæ earum locum ſuſtinent, confuſis non ſatis accurati ſunt. Ubi vero de vocabulorum ſignificatu agitur, non quæritur, quomodo reſpondentes iisdem notiones applicentur, ſed quænam iisdem reſpondeant, aut quænam eas applicantium animo obverſetur idea.

§. 255.

An homines ſuum jactare præſumantur.

Nemo ſuum jactare præſumitur. Videmus enim quotidie homines rerum ſuarum eſſe amantes, ut, niſi rationis uſu deſtituantur, veluti infantes & amentes, qui quod faciunt non intelligunt, absque ulla urgente ratione, quod ſuum eſt alterius eſſe nolint. Sane infantes atque amentes, quando pecuniam temere abjiciunt, ejus uſum non intelligunt, aut non conſiderant. Immo vix reperias hominem, qui nullo urgente officio, cui ſatisfacere decreverit, ubi nullam utilitatem ſperat, qualiscunque tandem illa fuerit, pro diverſitate opinionum, rem ſuam eſſe nolit, conſequenter qui ſuum jactare velit (§. 254.). Quoniam itaque præſumitur quod ut plurimum fit (§. 248.); ultro quilibet concedet, quod nemo ſuum jactare præſumatur.

Quod præſumitur, pro vero tamdiu habetur, donec probetur contrarium (247.), nec obtinet præſumtio, niſi quamdiu dubia res eſt, de qua ſtatuendum. Non igitur quæſtio de eo eſt, num quidam ſuum jactare dicantur, ubi de actione nobis perſpecta ferendum judicium, ſed quid affirmandum ſit in caſu dubio. In hoc ubi quæritur, num Titius ſuum ſit jactaturus; quilibet eum hoc facturum negabit, immo plerisque ridicula videbitur quæſtio. Pro certo potius habendum putabunt, quod ſuum jactaturus non ſit, quam ut negent id præſumendum eſſe. Qui prodigi ſunt, non ideo ſuum jactare volunt: dantur enim rationes prodigalitatis, quæ dilapidationem bonorum ſuorum prodigo commendant, quemadmodum ſuo loco videbimus.

§. 256.

An dominus habeat jus

Domino competit jus rem ſuam derelinquendi. Etenim cum dominium proprietatem contineat (§. 136.); domi-

nus habet jus de ipſa ſubſtantia rei ſuæ pro arbitrio diſpo- nendi (§. 131.), conſequenter cum natura nemo alteri rationem reddere teneatur, quomodo re ſua utatur, nec ulli jus eſt abuſum rerum impediendi, quamdiu qui rebus ſuis abutitur nil facit, quod eſt contra jus alterius (§. 169.), rem quoque ſuam e numero rerum ſuarum eximendi, ſeu dominio ſuo ſeſe abdicandi. Quoniam igitur qui nude vult rem ſuam non amplius eſſe in numero rerum ſuarum eam derelinquit (§. 249.); dominus quoque rem ſuam derelinquendi jus habet. *rem ſuam derelinquendi.*

Jus derelinquendi opponitur juri occupandi: quemadmodum enim occupando dominium acquiritur (§. 175), ita derelinquendo amittitur (§. 250.). In communione primæva uſus rerum neceſſarius patet omnibus, prouti unicuique opus fuerit (§. 27.) & uniuscujusque judicio relinquendum, in quantum uſus rerum ſit neceſſarius (§. 43.). Quando itaque a communione primæva receditur, juri res in uſum ſuum pro arbitrio apprehendendi reſpondet jus occupandi. Si in communione primæva re quadam, quæ uſu conſumitur, actu uteris; nemo alius ejusdem uſum licite prætendere poteſt: ſi vero uteris re, quæ uſu non conſumitur, nemo alius eodem tempore uſum ejusdem licite prætendere poteſt (§. 35.). Quando res, quæ erant nullius, dominio ſubjiciuntur, jus quod erat omnium commune tranſit in unum (§. 166.). Quamobrem nunc unus excludit uſu rei cujusdam ceteros, quemadmodum in communione primæva quilibet habebat jus uſu actuali excludendi ceteros. Et hinc dominium involvit hoc jus excludendi. Denique in communione primæva finito rerum uſu, quæ uſu non conſumuntur, alius quicunque iisdem licite uti poteſt, nec is, qui uſus ante fuerat, eum ab earundem uſu arcere poteſt (§. 38.). Res adeo, quæ durante uſu juri proprio erat ſubjecta (§. 2.), finito uſu iterum fit nullius (§. 6.).

 Ubi

Ubi igitur a comunione primæva receditur, ſi rei cujusdam uſus domino non amplius in poteſtate eſt, idem denuo patet cuicunque, qui eandem apprehendere in uſum ſuum valet, &, ubi quis uſum ejus non curat, eandem uſui relinquorum cur relinquat, nil obſtat. Atque hinc naſcitur jus rem ſuam derelinquendi, ſive quis neceſſitate adductus, ſive ſponte ſua hoc faciat. Hæc ideo paulo diſtinctius inculcari viſum fuit, ut appareat, quomodo jus dominii non penitus intelligatur, niſi agnoſcatur, quomodo a jure communionis primævæ dependeat. Introductis enim dominiis jura in communione primæva homini competentia immutantur, quantum juris proprii a communi differentia exigit, nec alia præter hæc jura immutata quoad res eidem competere poſſunt. Ceterum hinc quoque intelligitur, cur homini jus rem ſuam derelinquendi competere evicerimus, ut conſtet eam hoc licite facere poſſe, & neceſſitatem quoque derelictionem imperare vel invito, quoniam jus nullum extenditur ad impoſſibile.

§. 257.

An cum poſſeſſione dominium amittatur.

Si poſſeſſio amittitur, non ideo dominium amittitur, ſed ejus ſaltem exercitium ſuſpenditur. Si quis poſſeſſionem amittit, rem ſuam non amplius detinet (§. 150.), adeoque de eadem actu diſponere nequit pro arbitrio ſuo, conſequenter exercitium dominii ſuſpenditur (§. 118.). *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam ideo, quod rem tuam non amplius detines, ut de eadem pro arbitrio tuo actu diſponere poſſis, non vis eam non amplius eſſe tuam; rem tuam ideo non derelinquis (§. 249.), conſequenter nec ideo deſinis eſſe dominus (§. 250.). Quamvis adeo poſſeſſio amittatur, non tamen ideo dominium amittitur. *Quod erat alterum.*

Propo

Propoſitio præſens illuſtrari poteſt jure libertatis. Vi enim libertatis homo facere poteſt, quod ſalva ſua obligatio facere libet (§. 138. *part. I. Jur. nat.*) & ejus conſcientiæ relinquendum, quid agat (§.157. *part. I. Jur. nat.*), nec ulli hominum rationem reddere tenetur ſuarum actionum, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 158. *part. I. Jur. nat.*). Quando vero vi facere prohibetur, quod libet; non ideo jure libertatis privatur, ſed ejus exercitium ſaltem ſuſpenditur. Eodem prorſus modo ſeſe res habet, ſi dominus poſſeſſionem rei ſuæ amittit.

§. 258.

Num rei dominium ſolo animo retineatur.

Dominium retinetur ſolo animo. Pone enim dominium ſolo animo non retineri. Amittitur itaque, quamprimum amplius non detines rem, ut de ea actu pro arbitrio tuo diſponere poſſis, conſequenter quando poſſeſſionem omittis (§. 150.). Quod cum ſit abſurdum (§.257.); dominium ſolo animo retineri neceſſe eſt.

Dominium originarie acquiritur occupando (178.), adeoque voluntate tua (§. 174.), nec tranſit in alium niſi voluntate tua, quemadmodum ſuo loco videbimus. Dominus igitur efficeris, quia vis eſſe dominus, & dominus manes, quamdiu eſſe volueris. Etſi adeo actu externo opus ſit ad dominium acquirendum, quo declaras, te ejus rei dominum eſſe velle, ut de voluntate, conſequenter de jure ſuo conſtet aliis, nullo tamen actuo externo opus eſt, quo declaras, te dominium retinere velle, quia nemo ſuum jactare præſumitur (§. 255.). Unde neceſſe eſt, ut vel actu quodam externo declares, te dominum amplius eſſe nolle. vel ut ex aliis rationibus idem probabiliter colligatur, cum tamdiu habendus ſis pro domino, donec de contraria voluntate tua conſtet (§. 247.).

§. 259.

§. 259.

Num poſſeſſio ſolo animo retineri poſſit.

Poſſeſſio ſolo animo retineri nequit. Ut enim rem poſſideas, neceſſe eſt, ut eam actu detineas tanquam tuam (§. 150.). Enimvero nemo non intelligit, te ideo rem non actu detinere, ut de eadem pro arbitrio tuo actu diſponere poſſis, quia eam retinere vis. Quamobrem impoſſibile eſt, ut poſſeſſio ſolo animo retineatur.

Contradictionem omnino involvit, quod poſſeſſio ſolo animo retineatur. Qui enim vult rem poſſidere, eam vult detinere tanquam ſuam (§. 150.), adeoque actu non detinet. Poſſeſſionem itaque ſolo animo retinere idem eſt ac eandem actu detinere & non detinere.

§. 260.

Num jus poſſidendi.

Jus poſſidendi ſolo animo retinetur. Etenim dominium ſolo animo retinetur (§. 258.). Enimvero jus poſſidendi non competit niſi domino (§. 157.), adeoque a dominio inſeparabile eſt, conſequenter qui dominium retinet, jus etiam poſſidendi retinet. Jus itaque poſſidendi ſolo animo retinetur.

Quamprimum igitur patet tibi dominium rei competere, ſimul manifeſtum poſſeſſionem tibi deberi, cum nemo præter te eam licite poſſideat. Equidem non ignoro JCtos Romanos ſtatuiſſe, quod poſſeſſio ſolo animo retineatur, quæ etiam communis eſt JCtorum modernorum, Interpretum Juris Romani, ſententia; non tamen exiſtimandum eſt, quaſi in re ſit diſſenſus, qui nonniſi in verbis eſt. Non diſtinguunt illi jus poſſidendi ab ipſa poſſeſſione, adeoque illud vago quodam ſignificatu poſſeſſionis nomine compellant. Poſſeſſio etiam ab ipſis definitur per detentionem cum animo ſibi habendi, quæ definitio a noſtra, ſi mentem, non verba ſpectes, non differt

Digitized by Google

fert (§. 150.). Ecquis igitur dixerit, rem actu detineri, ut tamquam tua uti pro arbitrio poſſis, ſi tantummodo detineri velis? Bene autem obſeruat *Struvius* in Synt. Jur. civ. Exercit. 42. §. 22. pag. 154. part. 3. edit. *Mülleri*, rem detineri vel actu ſecundo, cum ipſo corpore tenetur, ſi nimirum mobilem comprehendimus, immobili inſiſtimus, jus quod in ea habemus exercemus; vel actu primo, quando res ita comparata eſt, ut licet res jam manibus non teneatur, aut ei inſiſtatur, aut jus exerceatur, ea tamen corpore & actu a nobis, quandocunque volumus, teneri poſſit ſaltem remoto obſtaculo, ſi quod adeſt, non excludens facultatem rem mobilem complectendi, vel immobili inſiſtendi, veluti ſi quis abſens eſt. Quodſi cum Jctis Romanis earumque interpretibus dicere velis actu primo poſſeſſionem retineri tantummodo animo, in verbis utique diſſenſus eſt, ſed non in re. Qui enim actu primo rem detinet, non eam tantummodo detinere vult, vocabulo detentionis in latiori hoc ſignificatu accepto, ſine quo poſſeſſio non concipitur. Quamvis autem poſſidendi jus non competat niſi domino (§. 157.), in caſu tamen dubio tribuendum eſt ei, qui dominus præſumitur, quemadmodum ſuo loco uberius explicabitur. Videbimus autem ſuo loco, quod, quæ Jcti ex eo deducunt, quod poſſeſſio ſolo animo retineatur, etiam ex principiis noſtris recte colligantur. Nec mirum, cum omnes quæſtiones huc redeant, cui jus poſſidendi ſit tribuendum.

§. 261.

Volucrium poſſeſſio ſine dominium quomodo amittatur.

Si volucres feræ ex aviario vel cavea, aut cuſtodia tua quacunque avolant, per hoc earum poſſeſſionem, ſed non jus poſſidendi, nec dominium amittis. Si enim ex cuſtodia tua, veluti ex aviario vel cavea avolant, non amplius a te detinentur tanquam tuæ, ut de iis pro arbitrio diſponere poſſis. Quoniam itaque poſſeſſio in iſtiusmodi detentione conſiſtit (§. 150.);

150.); quod poſſeſſio amittatur, dubitari nequit. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam ideo non amittitur dominium, quia poſſeſſio amittitur (§. 257.), jus autem poſſidendi domino ſoli competit (§. 157.); propterea quod volucres e cuſtodia tua avolant, ut eas non amplius poſſideas *per demonſtrata*, cum non minus jus poſſidendi, quam dominium ſolo animo retineatur (§. 268. 258.), jus poſſidendi eas eorumque dominium non amittitur. *Quod erat alterum.*

Nimirum ex eo, quod avis avolavit, quæ erat tua, nondum colligi poteſt, quod eam tuam amplius eſſe nolis, conſequenter quod eam derelinquas. Actus nolitionis determinari debet per aliquod motivum, aut ponitur, quia actus volitionis contrarius tendit ad impoſſibile, ſive abſolute, ſive hypothetice tale. Motivum volitionis eſt repræſentatio boni (§. 80. *Pſych. empir.*), adeoque volitio ceſſat, ſi nulla adſit boni repræſentatio (§. 889. *Pſychol. empir.*). Nolle autem tenemur, quod ut fiat voluntate noſtra efficere non poſſumus. Quoniam aves, quæ ſunt in cuſtodia tua, vis eſſe tuas, aliquod motivum volitionis adeſſe debet, quo earum poſſeſſio repræſentatur tanquam bona, conſequenter etiam dominium, ſine quo non eſt poſſeſſio juſta (§. 157.). Hoc motivum, qualecunque tandem illud fuerit pro diverſa hominum opinione, non mutatur per hoc, quod avis, quam habere vis, avolat. Unde voluntas eam habendi ſubſiſtit, neque adeo ex eo ſolo, quod avolat, colligitur animus eam derelinquendi (§. 249.). Atque inde eſt, quod eam recuperari optes & ex recuperatione voluptatem percipias, minimum ea tibi non ingrata accidat. Diverſæ enim cum ſint hominum de rebus ſuis opiniones, nec omnium idem prorſus eſt animus. Videmus itaque homines adhuc animum

avem

avem ſibi habendi habere, etiamſi avolaverit, conſequenter animo dominium & cum eo connexum jus poſſidendi retinere. Volunt nimirum avem adhuc eſſe ſuam, volunt eandem a ſe poſſideri, nec aliter hunc animum deponunt niſi ſub conditione, ſi eam recuperari impoſſibile ſit; prouti ex ſequentibus clarius conſtabit.

§. 262.

Cujusnam ſit avis, quæ avolavit, capta ab alio, ſi internoſci poſſit.

Quoniam dominium & jus poſſidendi non amittitur, ſi volucres feræ ex aviario vel cavea, aut cuſtodia tua quacunque avolant (§. 261.); *ſi avis tua, quæ avolavit & ab alio capta fuit, internoſci ab aliis poſſit, ea tibi tanquam tua reddenda* (§. 924. *part. I. Jur. nat.*).

Non refert, unde avis tua, quæ avolavit, internoſcatur ab aliis, ſive ſigna quædam adſint naturalia, ſive artificialia, quæ Græci γνωρίσματα dicunt, *Apulejus* crepundia vocat. Nulla igitur ratio eſt, cur *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 8. §. 3. propoſitionem ad caſum poſteriorem ſignorum artificialium ſolum reſtringat, niſi dicas eum hunc caſum exempli ſaltem loco referre, propterea quod rarius ſit, ut ex ſignis naturalibus internoſcantur aves.

§. 263.

An aves avolantes ſtatim fiant nullius.

Ex eadem ratione patet, *aves non ideo fieri nullius, quod ex cuſtodia noſtra elapſæ libertati ſuæ reſtituantur.*

Hinc etiam videas rationem, quæ in contrarium affertur, eſſe nullam, ſcilicet quod res facile redeat ad ſuam naturam & nativam libertatem vid. *Manzius* ad Inſt. de rerum div. §. 12. n. 29. Libertati nimirum ſuæ reſtitui hic non aliud ſignificare poteſt, quam a poſſeſſione liberari.

§. 264.

Quando derelictio rei

Si poſſeſſio recuperatu impoſſibilis, aut ſaltem ſpes nulla eam

præſumatur. *recuperandi ſupereſt; dominus rem derelinquere præſumitur.* Etenim ſi poſſeſſio amittitur, exercitium dominii ſuſpenditur (§. 257.). Quodſi ea recuperatu impoſſibilis, fieri quoque non poteſt, ut ullum actum edas vi dominii tibi competentem, &, ubi ſpes nulla eſt eam recuperandi, nulla tibi ſpes relinquitur fore, ut ullus actus vi dominii tibi competens in tua poteſtate ſit. Res igitur, cujus poſſeſſionem amiſiſti, æquiparanda rei, ex qua nulla prorſus utilitas percipi poteſt, & in ea dominium nullius prorſus valoris eſt. Quamobrem eum nemo hominum appetat ea, quæ ipſi prorſus inutilia ſunt & quæ nullum habent valorem; ſi poſſeſſio amiſſa recuperatu impoſſibilis aut ſaltem ſpes nulla eam recuperandi ſupereſt; ex eo colligitur, quod eam dominus ſuam eſſe non amplius velit, parum ſollicitus, utrum alius eandem occupaturus ſit, nec ne. Quoniam itaque iſtiusmodi collectio præſumtio eſt (§. 244.), & rem derelinquit, qui eam ſuam non amplius eſſe vult, parum ſollicitus, utrum alius eandem occupaturus ſit, nec ne (§. 249.); ſi poſſeſſio amiſſa recuperatu impoſſibilis, aut ſaltem ſpes nulla eam recuperandi ſupereſt, dominus rem derelinquere præſumitur.

Si res quædam tibi nulli prorſus uſui, nec ejus ullus valor eſt, ut eam cum alia permutare aut pretium ejus loco recipere poſſis; eam cur habere velis, ratio ſane nulla eſt. Quamobrem nec fieri poteſt, ut eam appetas ſeu tuam eſſe velis (§. 889. *Pſych. empir.*). Quoniam igitur res, cujus amiſſa poſſeſſio recuperatu impoſſibilis, minimum difficillima, quæ vix ac ne vix quidem ſperari poteſt, iſtiusmodi rei æquiparanda venit; præſumtio ſuperſtruitur principio evidenti, a nemine in dubium revocando. Ipſa omnino experientia docet, homines rem ſuam pro derelicta habere,

bere, quamprimum poſſeſſionis recuperandæ ſpes nulla apparet. Equidem cum ſint rerum ſuarum amantes, ut poſſeſſionem amiſſam recuperent optant, adeoque mallent eam eſſe ſuam, quam fieri alterius. Inde eſt, quod, ubi videant rem recuperatu eſſe poſſibilem, de cujus poſſeſſione iterum acquirenda deſperarunt, voluntatem ſuam facile mutent. Enimvero hic tantum modo attenditur, quænam ſit voluntas ſub circumſtantiis præſentibus, ubi quæritur, quid præſumi debeat; non vero quænam hiſce mutatis futura ſit voluntas. Admittendæ autem ſunt præſumtiones in caſu dubio, ne jura hominum maneant incerta.

§. 265.

Quamprimum res a domino derelicta præſumi poteſt, pro re nullius habenda. Etenim ſi res derelicta a domino præſumitur, probabiliter pro tali habenda (§. 244.). Enimvero res derelicta nullius fit (§. 251.). Ergo quamprimum res a domino derelicta præſumi poteſt, pro re nullius habenda.

Quando res pro re nullius habenda.

Equidem præſumtio fallere poteſt (§. 247.), conſequenter etiam fieri poteſt, ut pro re nullius habeatur quæ non eſt, ſed cujus dominium (§. 258.) & jus poſſidendi animo adhuc retinet dominus (§. 260.): non tamen ideo effectus, præſumtionis naturaliter nullus eſt, excuſat enim occupantem, ne dici poſſit doloſe retinuiſſe rem alterius (§. 705. *part. I. Phil. pract. univ.*), quam eidem reddere debebat. Immo ſufficiens ratio eſt, cur dominium ei tribuatur, qui juſto titulo poſſeſſionem acquiſivit, lege præſertim poſitiva: id quod ſuo loco evidentius patebit.

§. 266.

Quamdiu ſpes recuperandi rem, cujus poſſeſſionem amiſiſti, adhuc ſupereſt; eam derelictam a te eſſe non præſumitur. Etenim

Quando rei, cujus poſſeſſio amiſſa,

dereliƈtio præſumi nequit. enim ſi ſpes recuperandi rem, cujus poſſeſſionem amiſiſti, adhuc ſupereſt, ſine ulla urgente neceſſitate, nec ulla tua utilitate eam tuam non eſſe amplius velles, conſequenter rem tuam jactares (§. 254.). Quoniam itaque nemo rem ſuam jactare præſumitur (§. 255.); nec eam a te derelictam eſſe præſumi poteſt, quamdiu ſpes recuperandi rem, cujus poſſeſſionem amiſiſti, adhuc ſupereſt.

Poterat hæc propoſitio ſumi ſine probatione, poſtquam eviceramus præſumtioni locum eſſe in caſu oppoſito, cum alias derelictio ſemper eſſet præſumenda, ubi poſſeſſio amiſſa: contra quod militat præſumtio, quod nemo res ſuas jactet (§. 255.). Conſultius tamen viſum fuit eandem demonſtrari, ut clarius eluceſcat, quomodo dicta modo præſumtio militet contra univerſalem præſumtionem derelictionis rei, cujus poſſeſſio amiſſa.

§. 267.

Diſcernibile & indiſcernibile quodnam ſit. Si rei tuæ notas manifeſtas easque ſufficientes alteri recenſere vales, per quas eam a ceteris individuis ejusdem ſpeciei diſtinguere certo potes, etiamſi ante non viderit; *res tua diſcernibilis* eſt: ſin minus, *indiſcernibilis.* Dicuntur autem notæ manifeſtæ, quarum notio, vocabulo audito, ſtatim ſuccurrit.

Dominiis rerum introductis, quarum poſſeſſio multis modis amitti poteſt, retento tamen dominio & jure poſſidendi (§. 257. 258. 260.), haud parum refert diſcernibiles ab indiſcernibilibus accurate diſtingui. Notandum vero pro notis manifeſtis etiam haberi, quas confuſe percipiunt alii, qui rem viderunt, modo de eorum fide certus ſis per ea, quæ alibi de eadem demonſtravimus (§. 613. *& ſeqq. Log.*). Teſtimonium enim teſtium oculatorum certum ſubit vicem notarum rei tuæ ab aliis individuis ejus-dem

dem ſpeciei diſtinguendæ ſufficientium. Ceterum quæ hic de individuorum diſcernibilitate dicuntur non confundenda ſunt cum probatione, qua evincitur rem eſſe tuam: fieri enim poteſt, ut etiam rei indiſcernibilis dominium probetur. De probatione vero dominii hic non agitur, ſit ita quod diſcernibilitas rei tuæ etiam ad probandum dominium tuum facere poſſit. Quoad diſcernibilitatem vero perinde eſt, ſive notæ petantur ab iis, quæ rei naturæ inſunt, ſive ab iis, quæ ſupra ſigna artificialia diximus (*not.* §. 262.). Notandum præterea, ſubinde notam unam eſſe ſufficientem, ſubinde requiri plures. Sed talia in caſu dato facile intelliguntur, ut hic de iis multa moneri non ſit opus.

§. 268.

Si volucris indiſcernibilis fera ex cuſtodia tua avolans conſpectui tuo ſeſe ſubducit, & ea loca petit, ubi alia ejusdem ſpeciei individua commorari ſolent; ea a te derelicta præſumitur: me autem, ſi diſcernibilis fuerit, vel ea loca non petit, in quibus alia ejusdem ſpeciei individua deprehendi ſolent. Etenim ſi volucris fera ex cuſtodia tua avolans conſpectui tuo ſeſe ſubducit, tibi conſtare nequit, ubinam ea jam ſit. Quodſi ergo petit loca, ubi alia ejusdem ſpeciei individua commorari ſolent, cum ſit indiſcernibilis *per hypoth.* adeoque per notas manifeſtas a ceteris individuis diſtingui nequeat (§. 267.); etiamſi ab alio ibidem occupetur, non tamen conſtare poteſt, utrum ea tua ſit, nec ne, conſequenter nulla tibi eam recuperandi ſpes ſupereſt. Enimvero ſi poſſeſſionem amiſſam recuperandi ſpes nulla ſupereſt, dominus rem dereliquiſſe præſumitur (§. 264.). Quamobrem ſi volucris fera indiſcernibilis ex cuſtodia tua avolans conſpectui tuo ſeſe ſubducit & ea loca petit, ubi alia ejusdem ſpeciei individua commorari ſolent; ea a te derelicta præſumitur. *Quod erat unum.* Enim-

Quando derelictio avis ex cuſtodia præſumatur.

Enimvero ſi volucris fera ex cuſtodia tua avolans conſpectui tuo ſeſe ſubducit, ut ignores, quo avolaverit, fuerit autem diſcernibilis, eam eſſe tuam conſtare poteſt, ubi ab alio occupatur (§. 267.). Idem conſtat, ſi vel maxime indiſcernibilis in eo fuerit loco, ad quæ iſtiuſmodi volucris advolare non ſolet, cum inde colligatur, eam eſſe iſtam, quæ ex cuſtodia tua avolavit. Quoniam itaque in hoc caſu ſpes eam recuperandi adhuc ſupereſt, poſtquam poſſeſſionem amiſiſti; eam a te derelictam eſſe non præſumitur. *Quod erat alterum.*

Nemo ſuum jactare præſumitur (§. 255.). Quamdiu igitur ſpes ulla ſupereſt, te rem amiſſam recuperare poſſe, eam eſſe vis tuam, adeoque dominium non minus, quam jus poſſidendi animo retines (§. 258. 260.). Etſi adeo neſcias ubinam ſit res tua, cujus poſſeſſionem ſive caſu, ſive alia quacunque de cauſa amiſiſti; minime tamen vis, ut alter eandem ſuam faciat, in cujus poteſtatem quomodocunque venit, ſed vis potius, ut tibi reſtituatur, ubi conſtiterit eam eſſe tuam. Nemo dubitaverit, hunc eſſe hominum animum, niſi adſint cauſæ, quæ eundem mutari jubent. Derelictio igitur præſumi nequit niſi in eo caſu, ubi ſpes rem amiſſam recuperandi prorſus decollata eſt. Hoc ſane obtinet, ſi res tua fuerit indiſcernibilis & inter alia individua ejusdem ſpeciei deprehendatur quæ nullius ſunt, qui eſt caſus propoſitionis præſentis quoad partem primam. Quoniam vero tamdiu vis rem tuam, ſi in poſſeſſionem alterius devenerit, tibi tanquam tuam reſtitui, ubi conſtare poteſt, eam eſſe tuam; ecquis præſumere recte poteſt, te eam derelinquere (§. 249.). Quamdiu res tua ab aliis internoſci poteſt, impoſſibile non eſt, ut poſſeſſionem amiſſam recuperes. Atque hic eſt caſus propoſitionis præſentis quoad partem ſecundam. Si igitur accurate

Digitized by Google

rate definire volueris, quandonam avis e cuſtodia tua avolans pro derelicta haberi debeat; non aliter decidenda quæſtio eſt, quam eo, quo factum in propoſitione præſente, modo. Oſtendimus (§. 246. *Coſmol.*), in rerum natura exiſtere non poſſe duo individua ejusdem ſpeciei ſimilia, conſequenter ſingula eſſe diſcernibilia. Videtur adeo in propoſitione præſente univerſaliter pronunciandum, quod dominium volucris feræ, quæ ex cuſtodia tua avolavit, etſi ignores ubinam ea ſit, animo retineas cum jure eam poſſidendi. Enimvero dubium hoc facile ſolvitur. Quæ in ſe ſpectata diſcernibilia ſunt, non tamen ideo talia dicenda reſpectu tui. Multo minus dici poteſt, te in caſu dubio ſemper probare poſſe, quod avis, quam alter cepit, ſit ea, quæ ex cuſtodia tua elapſa fuit, præſertim ſi non ſtatim, nec in vicinia fuerit capta. Videndum itaque, quid præſumendum ſit in caſu dubio. Etſi vero Imperator §. 12. In de rer. div. afferat, volueres naturalem recipere libertatem, cum vel oculis tuos effugerint, vel ita ſint in conſpectu tuo, ut difficilis ſit earum perſecutio; ea tamen non contrariantur principiis, quibus in ſtabilienda præſumtione utimur. Quodſi enim quæſiveris, cur volucres naturalem recipiant libertatem, cum vel oculos tuos effugerint, vel ita ſint in conſpectu tuo, ut difficilis ſit earum perſecutio, non aliam reddi poſſe rationem apparet, quam quod de earum recuperatione ſit deſperandum. Dominium vero derelinquere præſumitur, qui poſſeſſionem amiſſam recuperandi ſpem nullam habeat. Imperator itaque exiſtimat derelictionem præſumendam eſſe in eo caſu, quo volucris vel oculos tuos effugit, vel ita eſt in conſpectu tuo, ut ejus perſecutio difficilis ſit. Pendet adeo receptio libertatis naturalis volucrum a derelictione præſumta. Etſi autem præſumtio tum non ſatis ſit fundata, ſi jus naturæ ſpectes; non tamen hoc obſtat, quo minus admittatur in jure civili, quemadmodum ſuo loco patebit.

Digitized by Google

§. 269.

Præſumtio de avibus in aëre volitantibus. *Aves in aëre libere hinc inde volitantes præſumuntur nullius, niſi adſint rationes per quas contrarium patet.* Etenim aves in aëre res nullius ſunt (§. 227.), nec dominio ſubjiciuntur, niſi quando capiuntur (§. 176. 178.). Enimvero ſive aves diſcernibiles ſint, ſive minus, non tamen indè agnoſcitur quod jam fuerint ab aliquo captæ in dominio & poſſeſſione ejus. Quamobrem cum præſumtioni tamdiu locus ſit, donec contrarium conſtiterit (§. 247.); aves in aëre hinc inde volitantes nullius eſſe præſumuntur, niſi adſint rationes, per quas contrarium patet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Illud præſumitur, quod plerumque obtinet (§. 248.). Enimvero cum originarie aves omnes in aëre libere hinc inde volitantes nullius ſint (§. 227.); nemo negaverit, quod nullius ſit avis, quam libere in aëre hinc inde volitantem conſpicit, id plerumque obtinere. Præſumendum igitur eſt avem, quæ in aëre libere hinc inde volitat, eſſe nullius, niſi adſint rationes, per quas contrarium patet.

Reſtrictionem addimus ex ſuperfluo in eorum gratiam, qui non omnia ſatis accurate penſitant. Præſumtio enim cum obtineat in caſu dubio (§. 244.), per ſe patet, aves non poſſe præſumi nullius, ſi per rationes quasdam contrarium patet. Quinam vero ſit præſumtionis hujus effectus, ex ſequentibus eluſcet.

§. 270.

Quando dominium avis avolantis amittatur. *Quamprimum volucris fera indiſcernibilis, quæ ex cuſtodia tua avolat, conſpectui tuo ſe ſubducit & ea loca petit, ubi alia ejusdem ſpeciei individua commorari ſolent; res nullius fit & tu dominus*

dominus eſſe deſinis. Etenim ſi volucris fera indiſcernibilis ex cuſtodia tua avolat & conſpectui tuo, ſeſe ſubducit, eaque loca petit, ubi alia ejusdem ſpeciei individua commorari ſolent; ea à te derelicta præſumitur (§. 268.). Quoniam itaque res derelicta nullius fit (§. 251.) & qui rem derelinquit ſtatim ejus dominus eſſe deſinit (§. 250.); quamprimum volucris fera indiſcernibilis, quæ ex cuſtodia tua avolat, conſpectui tuo ſe ſubducit & ea loca petit, ubi alia ejusdem ſpeciei individua commorari ſolent, avis fit nullius & tu ſtatim ejus dominus eſſe deſinis.

Dubium nullum eſt, quod illud, quod præſumitur, pro vero tamdiu habendum, donec contrarium fuerit probatum (§. 247.), conſequenter non recte inferatur, avem avolantem fieri nullius & te dominium ejus amittere. In hypotheſi enim propoſitionis præſentis probatu impoſſibile eſt, avem captam eſſe tuam, etiamſi iſta fuerit, quæ ex cuſtodia tua avolavit. Semper itaque præſumendum eſt, eam a te eſſe derelictam. Immo ſi vocabulum præſumtionis difficultatem faceſſit, dicendum eſt, neceſſe eſſe ut a te derelinquatur, ſive velis, ſive nolis. Neque enim hic præſumitur, niſi quod a te fieri neceſſe eſt, quatenus nimirum abſurda velle nemo præſumitur. Si dominium, aut jus poſſidendi in hypotheſi propoſitionis præſentis animo retines, quod in ſe non repugnat; ea tibi retentio prorſus inutilis eſt, nec effectum juris ullum habere poteſt, cum impoſſibile ſit, ut niſi caſu inſcius avem, quæ ex cuſtodia tua avolavit, recuperes, eoque rariſſimo, in probabilibus pro nullo prorſus habendo.

§. 271.

Si avis, quæ ex cuſtodia tua avolat, diſcernibilis fuerit, vel ea loca non petit, ubi alia ejusdem ſpeciei individua deprehendi ſo- *Quando retineatur.*

Hh 2 *lent;*

Digitized by Google

lent; ea manet tua tibique debetur poſſeſſio. Etenim ſi avis, quæ ex cuſtodia tua avolat, diſcernibilis fuerit, vel ea loca non petit, ubi alia ejusdem ſpeciei individua deprehendi ſolent, præſumi nequit, quod eam dereliqueris (§. 268.), conſequenter præſumendum potius eſt, quod tuam adhuc eſſe velis (§. 249.), immo nullum prorſus dubium eſt, quin tuam eſſe dicturus ſis & poſſeſſionem ejus prætenturus, ubi tibi conſtiterit, eam eſſe ab alio captam. Quoniam igitur non minus poſſidendi jus (§. 260.), quam dominium ſolo animo retinetur (§. 258.); avis manet tua (§. 124.), tibique adhuc competit jus poſſidendi (§. 157.), conſequenter cum unicuique ſuum ſit reddendum (§. 924. *part. I. Jur. nat.*), poſſeſſio tibi debetur (§. 170. *part I. Phil. pract. univ.*).

Non nego caſum propoſitionis præſentis eſſe rariſſimum, conſequenter rariſſime te avem, quæ avolavit, recuperaturum: quoniam tamen hic non quæritur, quid raro contingat, ſed quid de jure tuo ſtatuendum ſit, caſus propoſitionis præſentis a caſu præcedentis omnino diſtinguendus erat.

§. 272.

Quid obtineat, ſi avis domino naturaliter diſcernibilis, aut cujus domino ignoratur, capiatur.

Si quis avem naturaliter diſcernibilem domino ibi capit, ubi alia ejusdem ſpeciei aves capi ſolent, aut in caſu oppoſito reſcire nequit, ex cujus nam cuſtodia elapſa fuerit; eam bona fide poſſidet & tanquam dominus de ea diſponit: quamprimum tamen conſtiterit, eam ex cuſtodia tua avolaſſe, eam tibi reddere tenetur. Quoniam enim aves in aëre libere volitantes nullius eſſe præſumuntur, niſi adſint rationes, per quas contrarium patet (§. 269.), quando autem avis capitur, ubi aliæ ejusdem ſpeciei aves capi ſolent, etiamſi domino natu-

Digitized by Google

naturaliter diſcernibilis ſit, nullæ tamen adſunt rationes, per quas tibi conſtare poteſt, quod ea ex cuſtodia avolaverit; avis naturaliter licet domino diſcernibilis, ſi ibidem capitur, ubi aliæ ejusdem ſpeciei aves capi ſolent, pro ave nullius recte habetur. Idem obtinet in caſu oppoſito, ubi reſcire nequis, ex cujusnam cuſtodia fuerit elapſa, quoniam enim fieri nequit, ut dominus poſſeſſionem amiſſam recuperet, eam dereliquiſſe præſumendus (§. 264.), conſequenter ea pro ave nullius habenda (§. 265.). Enimvero qui rem, quam poſſidet, pro re nullius habet, cum eam occupando ſuam faciat (§. 176. 178.), ſuam eſſe putat, adeoque bona fide poſſidet (§. 153.), & de ea tanquam dominus diſponit (§. 124. 118.). Quamobrem ſi quis avem naturaliter diſcernibilem domino ibi capit, ubi aliæ ejusdem ſpeciei aves capi ſolent, aut in caſu oppoſito reſcire nequit, ex cujus cuſtodia elapſa fuerit; eam bona fide poſſidet & tanquam dominus de ea diſponit. *Quod erat unum.*

Quod præſumitur tamdiu habetur pro vero, donec contrarium fuerit probatum (§. 247.). Quamobrem quamprimum conſtiterit, avem ex cuſtodia tua eſſe elapſam, quæ ab altero capta fuit, eam pro re nullius amplius habere nequit, antequam caperetur (§. 265. 266.), nec pro ſua, poſtquam capta fuit; ſed tuam eſſe, agnoſcit (§. 258.), tibique poſſeſſionem deberi novit (§. 260.). Quoniam itaque ſuum cuique reddendum (§. 924. *part. I. Jur. nat.*); avem a ſe captam tibi reddere tenetur. *Quod erat alterum.*

Non ignoro a nonnullis objici, quaſi hoc pacto qui aves capiunt in perpetua incertitudine verſentur, an non

ea, quæ capta fuit avis, forſan ſit alterius, iisdemque metuendum ſit, ne forſan quis eam vindicaturus ſit: ſed hæc difficultas non tanta eſt, quæ veritatem eorum, quæ ex notione dominii conſequuntur, immutare poſſit. Eadem ſane multo fortius urgenda adverſus emtionem a non domino factam, quo tamen dominium transferri nemo defendere audet. Quidni igitur quod in translatione dominii non attenditur, idem in acquiſitione ejus originaria etiam non attendendum? Difficultatem hanc, ſi revera talis exiſtimari poteſt, in præſenti caſu minus attendendam eſſe, quam in dominii translatione, ex iis patebit, ad quæ dominus obligatur avem capienti, cujus recuperatio in ipſius non erat poteſtate: id quod præſenti loco, nondum oſtendi poteſt. Notandum præterea, lege poſitiva aliter ſtatui poſſe. Hic vero, ubi quæritur, quid ſit legis naturalis, ſeu rationi conveniat (§. 250. *part. I. Phil. pract. univ.*), pro vero utique habendum, quod ex rerum notionibus deducitur. Neque etiam hic quicquam valent litigia infinita & nunquam terminanda, quæ metuenda ſint, ſi propoſitio præſens admittatur tanquam vera; præterquam enim quod rariſſime iisdem locus eſſe poſſit, ea veritatem juris naturalis non immutant, ſed ſaltem ſuadent, ut in lege poſitiva a naturali tantisper recedatur.

§. 273.

Quid ſentiendum de ave ſclopeto trajecta vel vulnerata.

Si avis eo in loco, ubi tibi aucupii jus eſt, ſclopeto trajecta vel alio quocunque modo vulnerata, ut avolare nequeat; tua eſt, antequam eam manu apprehenderis. Etenim ſi avis quocunque modo necatur vel vulneratur, ut avolare nequeat, in eum ſtatum redacta eſt, quo eam apprehendere potes, & actu tuo, quo eam necas vel vulneras, ſatis declaras, te avem capiendo tuam facere velle: cumque tibi aucupii jus ſit, ubi hoc facis, *per hypoth.* eam capiando tuam facere licet (§. 170.

(§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque, poſtquam dominia introduci cœperunt, rem mobilem occupaſſe cenſeris ejusque dominium acquiris, quamprimum eam in eum ſtatum redigis, quo eam apprehendere potes, & factum tale eſt, ut una eodem declaretur, quod velis eſſe tuam (§. 184.); ſi avis eo in loco, ubi tibi aucupii jus eſt, ſclopeto trajecta vel alio quocunque modo vulnerata, ut avolare nequeat, tua eſt, antequam manu eam apprehenderis.

Cum naturaliter aves in aëre nullius ſint (§. 227.); atque adeo avis omnis in aëre hinc inde volitans nullius præſumatur niſi adſint rationes, per quas contrarium patet (§. 269.); immo rariſſime accidat, ut avis aliqua ex cuſtodia domini avolans in illarum numero ſit, cujus a domino dominium animo retinetur, prouti per modo demonſtrata abunde patet: quoties de avibus capiendis ſimpliciter loquimur, eas eſſe nullius ſupponimus, ut adeo opus non ſit hanc determinationem ſemper adjici.

§. 274.

Feræ in ſylvis apertis libere vagantes quales res ſint natura.

Feræ in ſylvis apertis aut agris & campis libere circumvagantes nullius ſunt. Etenim feræ, quæ in ſylvis apertis libere circumvagantur, non ſunt in eum ſtatum redactæ, quo tanquam de rebus tuis pro arbitrio tuo de iis diſponere poſſis, adeoque in dominio tuo eſſe nequeunt, etiam ſi tuas eſſe velis (§. 118.), conſequenter quamdiu libere circumvagantur, ut nunc hic, nunc alibi ſint, manent, quales ſunt natura, etiam ſi a communione primæva receditur & dominia introducuntur (§. 140.). Enimvero natura nullius ſunt (§. 7.). Quamdiu itaque in ſylvis apertis aut agris & campis libere circumvagantur nullius ſunt.

Quæ

Quæ ſupra annotavimus, cum aves in aëre inter res nullius collocaremus (*not* §. 227.); ea quoque propoſitioni præſenti illuſtrandæ inſervire poſſunt. Nullum tibi jus proprium in feris, quæ per ſylvas circumvagantur, competere poſſe utique certum eſt, quamdiu nulla allegari poteſt ratio, cur dici poſſint a te occupatæ. Qui enim vult eas eſſe ſuas, ei probandum eſt, quomodo dominium earum acquiſiverit, modum vero nullum, quo id acquiſiverit, oſtendere valet.

§. 275.

Venatio quid ſit & ejus ſpecies.

Occupatio ferarum, per ſylvas apertas libere circumvagantium, vel in agris & campis oberrantium, proprie *Venatio* dici ſolet. Receptus tamen eſt apud Autores, juris præſertim naturalis, ſignificatus latior, quo etiam piſces & aves camprehenduntur. Quoniam vero piſcium occupatio ſpeciali nomine *Piſcatio*, & occupatio avium *Aucupium* dici ſolet, & ferarum occupatio nullum peculiare nomen nacta eſt præter venationem; ad evitandam ambiguitatem Venationis nomen nonniſi ferarum occupationi reſervare libuit. Quodſi tamen quis in genere Venationem dicere velit animalium quorumcunque ferorum occupationem & hanc deinde diſtinguere in piſcationem, aucupium & venationem in ſpecie ſic dictam, per nos hoc faciat.

Diverſi dantur modi capiendi feras, piſces & aves: ſed actuum phyſicorum, in quibus conſiſtunt, differentia nihil ad jus facit, de quo hic loquimur.

§. 276.

Jus venandi num in do-

Jus venandi in certo fundo dominio ſubjici poteſt. Etenim jus venandi res incorporalis eſt (§. 497. *part. I. Jur. nat.*), & ſe-

minio eſſe poſſit.

& feræ, quæ per ſylvas apertas, agros atque campos libere vagantur, nullius ſunt (§. 274.), ut adeo earum dominium eas occupando (§. 176.), conſequenter venando acquiri poſſit (§. 275.). Quoniam vero res non minus incorporales, quam corporales dominio ſubjici poſſunt, ubi a communione primæva diſceditur (§. 217.), quod vero dominio ſubjiciendum, limitatum eſſe debet (§. 203.); jus venandi in certo fundo dominio utique ſubjici poteſt.

Quæ ſupra anotavimus (§. 228.), cum de jure accupii dominio ſubjiciendo ageremus, propoſitionem quoque præſentem illuſtrant.

§. 277.

An jus venandi feras certæ ſpeciei occupabile ſit.

Quoniam jus venandi in certo fundo dominio ſubjici poteſt (§. 276.); *quin jus venandi feras certæ ſpeciei dominio ſubjici poſſit, dubitandum non eſt.*

Repetenda hic ſunt, quæ de jure capiendi aves certæ tantummodo ſpeciei occupando annotavimus (*not.* §. 229.). Ubi a communione primæva receditur, jus occupandi indifferenter competit unicuique, prouti ipſi viſum fuerit (§. 179. 180.). Qui adeo jus in certo fundo vel diſtrictu venandi occupare voluerit, vel ſine ulla reſtrictione, vel ad certas feras reſtrictum occupare poteſt.

§. 278.

Quomodo jus venandi dominio ſubjiciatur.

Si quis venatur, ubi a communione primæva receditur, in eo fundo, in quo nemo adhuc jus venandi dominio ſuo ſubjecit, aut jus venandi in fundo ſuo, nec patitur, ut alius ibidem venetur; jus venandi dominio ſuo ſubjicit. Jus enim, quod erat commune, dominio ſubjicitur, ſi tu eodem utaris, nec patiaris, ut alii eodem utantur (§. 219.). Quamobrem patet, jus venandi,

Digitized by Google

quod adhuc nullius eſt, ſed omnium hominum commune, in certo fundo dominio aliter non ſubjici poſſe tuo, quam ſi tu in eo fundo veneris, nec patiaris, ut in eodem venetur alius.

§. 279.

Cujusnam ſit fera in fundo alieno capta. *Si jus venandi nemini proprium in aliquo fundo; fera a te in fundo alieno capta tua eſt.* Sunt enim feræ in numero rerum ſe moventium (§. 236.). Sed ſi quis rem ſe moventem nullius, cui eam occupandi jus eſt, occupet in fundo alieno, eam ſibi, non domino fundi acquirit (§. 239.). Quamobrem cum jus venandi in aliquo fundo nemini proprium ſit *per hypoth.* adeoque tibi tanquam omnium commune (§. 134.) denegari non poſſit; fera a te in fundo alieno capta non domino fundi, ſed tibi acquiritur, conſequenter tua eſt.

Quæ de dubio, quod ex Inſtitutionibus *Juſtinianeis*, moveri poterat etiam contra propoſitionem præſentem, monuimus, cum de avibus in fundo alieno captis ageremus; hic loci quoque tenendum. Quoniam enim Romani JCti ſuppoſuerunt, jus venandi in communione primæva eſſe relictum, & relinquendum eſſe cenſuerunt; quando dicunt, feram in fundo alieno captam eſſe tuam, utique ſupponunt tacite, ſi jus venandi nemini proprium in iſto fundo.

§. 280.

Cujusnam ſit fera capta ibi, ubi mihi jus venandi proprium. *Si tu veneris in eo fundo vel diſtrictu, ubi jus venandi mihi proprium eſt; fera capta non tua, ſed mea eſt, mihique ſimul, dum eam capis, injuriam facis.* Eſt enim venatio ferarum occupatio (§. 275.). Enimvero ſi rem nullius occupes in eo fundo vel diſtrictu, in quo jus occupandi mihi proprium eſt; res occupata non fit tua, ſed mea (§. 224.).

Quam-

Quamobrem ſi tu veneris in eo fundo vel diſtrictu, ubi jus venandi mihi proprium eſt; fera capta non tua, ſed mea eſt. *Quod erat unum.*

Negare autem non potes, dum venaris in eo diſtrictu vel fundo, ubi jus venandi mihi proprium eſt, te hoc facere contra jus meum perfectum. Enimvero injuriam alteri facit, qui quid facit contra jus perfectum alterius (§. 859. *part I. Jur. nat.*). Ergo in caſu propoſitionis præſentis mihi injuriam facis. *Quod erat alterum.*

§. 281.

Si jus capiendi feras certæ ſpeciei tibi fuerit proprium, qui te non conſentiente eas capit, non ſuas, ſed tuas facit, tibique ſimul injuriam facit. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo ſupra idem evicimus de jure capiendi feras certæ ſpeciei (§. 224.).

Quid tenendum de jure proprio venandi certas feras.

Convenit hoc & quod propoſitione præcedente dictum moribus noſtris, ut cuidam ſit jus venandi quoad feras certæ ſpeciei, quoad alias vero eidem negetur: id quod aliter erat moribus Romanorum. Noſtri autem mores non minus ſunt juri naturæ conformes, quam Romanorum, quemadmodum ex demonſtratis liquet. *Grotius* non videtur mores noſtros probare niſi in ſtatu civili; ſed per demonſtrationes noſtras patet, eos juri naturæ convenire etiam extra ſtatum civilem.

§. 282.

Retibus a nobis ibi poſitis, ubi venandi jus habemus, irretita fera, ut ſeſe extricare nequeat, vel inſtrumentis aliis quibuscunque ibidem collocatis quocunque modo, ita tamen detenta, ut effugere nequeat, tua eſt. Cum feræ per ſylvas & cam-

Cujusnam ſit fera retibus noſtris irretita, vel alio inſtrumento detenta.

Digitized by Google

pos libere vagantes nullius ſint (§. 274.), perinde ac piſces in fluvio (§. 215.); propoſitio præſens eodem modo oſtenditur, quo ſupra demonſtravimus, piſces retibus ita incluſos, ut elabi nequeant ſi a te fuerint collocata, ubi piſcandi jus habes, tuos eſſe (§. 221. 223.).

Unde etiam ad propoſitionem præſentem illuſtrandam faciunt, mutatis mutandis, quæ ibidem annotavimus. Ceterum in propoſitione præſente non determinamus, utrum retia, vel inſtrumenta alia a te poſita ſint tua, an aliena, & num aliena poſita a te ſint domino conſentiente, an diſſentiente. Quemadmodum enim ſupra demonſtravimus, piſces adhuc tibi acquiri, etiamſi inſtrumenta fuerint aliena iisdemque domino invito utaris; ita quoque idem valet de feris, quæ capiuntur inſtrumentis alienis, quibus invito domino uteris. Ceterum cum præſente propoſitione conſentiunt, quæ *Proculus* conſultus reſpondit l. 55. ff. de acquir. rer. dom.

§. 283.

Cujusnam ſit fera proſtrata vel vulnerata, ut effugere nequeat.

Si fera a te occupabilis ſclopeto proſternatur, aut ita vulneretur, vel laſſata fuerit, ut manus tuas effugere nequeat; jam tua eſt, antequam eam actu apprehenderis. Oſtenditur propoſitio præſens eodem prorſus modo, quo paulo ante evicimus, aves eo in loco, ubi tibi aucupii jus eſt, ſclopeto trajectas vel alio quocunque modo vulneratas, ut avolare nequeant, tuas eſſe, antequam eas manu apprehenderis (§. 273.).

Brevitatis gratia diximus, feram a te eſſe occupabilem. Cui enim termini perſpecti ſunt, is ſatis intelligit, nonniſi eam rem nobis occupabilem eſſe, ſi cujus occupandæ jus ſive commune, ſive proprium nobis competit. Sunt equidem, qui contrarium ſtatuunt, propterea quod ad occupationem omnem rei mobilis cujuscunque, adeoque etiam

iam feræ, actualem apprehenſionem manibus factam requirunt. Sed hi ſunt, qui non ex ſuo fonte, primis nimirum principiis, jura deducunt. In communione primæva uſus rerum promiſcue patet omnibus, qui eadem indigent (§. 27.), & hinc cuilibet competit jus rem, qua indiget, in uſum ſuum apprehendendi. Quando itaque rei apprehendendæ operam dat, jure ſuo utitur, conſequenter nemo ipſum impedire debet, quo minus eodem utatur (§. 180. *part. I. Phil. pract. univ.*). An non vero alter a te impeditur in exercitio juris ſui, ſi in communione primæva rem in eum ſtatum redigit, in quo eam apprehendere poteſt, & tu eundem impedis, quo minus apprehendere poſſit? Jam ubi dominia rerum introducuntur, apprehenſio rei in uſum ſuum, quæ erat in communione primæva, degenerat in occupationem (§. 174.). Nonne igitur ſimiliter ſtatuendum, te impedire alterum in exercitio juris ſui, ubi impedis quocunque modo, ne apprehendere poſſit rem, veluti feram, quam in eum ſtatum redegit, ut apprehendere poſſit? Quoniam itaque occupatio modus acquirendi originarius eſt (§. 178.), annon occupaſſe rem dicendus es, & occupando eam feciſſe tuam, ubi eandem in eum ſtatum redegeſti, quo eam apprehendere potes? Non ſatis profunde jura ſcrutantur, qui ab actuali apprehenſione dominii acquiſitionem ſuſpendunt in omni caſu.

§. 284.

Feræ in vivario & ſylva eo fine a te circumſepta, ne feræ inde effugere poſſint, incluſæ tuæ ſunt. Feræ enim, quæ vivario a te includuntur, tuæ ſunt, quod hic ſupponitur. Eidem vero incluſæ cum effugere nequeant, a te detinentur tanquam tuæ, conſequenter poſſidentur (§. 150.). Nulla igitur ratio eſt, cur eorum dominus eſſe deſinas, quia in vivario libere circumvagantur, adeoque vivario incluſæ manent tuæ. *Quod erat unum.*

Cujusnam ſint feræ in vivario & ſylva circumſepta.

Quodſi ſylvam circumſepias eo fine, ne feræ inde effugere poſſint, eædem in hunc ſtatum redactæ ſunt, quo eas capere poſſis, quando viſum tibi fuerit, & hoc ipſo facto declaras, quod eas velis eſſe tuas. Quamobrem cum res mobiles, qualis etiam eſt res ſe movens fera quælibet (§. 236.), a te occupata cenſeatur & tu dominium ejus acquiras, quamprimum eam in eum ſtatim redigis, quo eam apprehendere potes, & factum tale eſt, quo declaratur, quod velis rem eſſe tuam (§. 184.); ſi ſilva a te circumſepiatur eo animo, ne feræ inde effugere poſſint, iisdem incluſæ tuæ ſunt. *Quod erat alterum.*

Nerva filius l. 3. ff. de acquir. poſſ. primam propoſitionis partem concedit, alteram negat. Utrumque defendit *Grotius* de J. B. & P. libr 2. c. 8. §. 2. ſylvam circumſeptam pro vivario magno habens. Nobis tamen paulo aliter utramque propoſitionis partem demonſtrare viſum eſt, ne differentia inter feras vivario & ſylva circumſepta incluſas intercedens objici poſſit. *Nerva* utique ſuppoſuit, feras adhuc manere in libertate ſua naturali, adeoque nullius, quod in ſylva circumſepta eodem adhuc modo libere circumvagentur, ſicuti ante: quod etſi omnimode verum non ſit, cum jam intra certos limites coërceantur, quos egredi nequeunt, ut adeo hoc reſpectu ſylva circumſepta dicenda ſit vivarium magnum, ſi tamen dominium hoc facto a te acquiſitum ægre quis admittat, cum etiam jus venandi occupari poſſit (§. 276.), in dubium revocare nequit, jus in hac ſylva venandi a te eſſe occapatum, quam eo fine circumſepis, ne feræ hinc aufugiant. Si vero jus venandi in eadem tibi proprium eſt, nemo præter te feras in ſylva circumſepta ſuas facere poteſt (§. 119.). Parum igitur referre videtur quoad effectum juris, ſive dicas in ſylva circumſepta jus venandi tibi proprium eſſe, ſive concedas, feras in ea eſſe

eſſe tuas. Quoniam tamen jus venandi proprium tibi eſſe poteſt, etiamſi ſylva non fuerit circumſepta, & proprium tibi fiat, dum non pateris, ut alius quis in eadem venetur (§. 278.); ubi ſylvam circumſepis, non modo jus venandi, ſed ipſas feras in ſylva incluſas tuas eſſe vis, conſequenter occupas (§. 184.), quemadmodum oſtendimus. Mox etiam eluceſcet, eſſe effectum quendam juris, ſi fera in ſylva circumſepta tua ſit, qui nullus eſt, ſi tibi tantummodo competit jus in ſylva iſta venandi proprium (§. 286.).

§. 285.

Poſſeſſio feræ quomodo amittatur ſine dominio.

Si fera ex cuſtodia tua elabitur; per hoc ejus poſſeſſionem, ſed non jus poſſidendi, nec dominium amittis. Oſtenditur utraque pars propoſitionis eodem prorſus modo, quo idem ſupra de volucribus feris evicimus (§. 261.).

Feræ in vivario & ſylva circumſepta incluſæ ſunt in cuſtodia tua, quatenus a te prohibentur ultra limites a te poſitos evagari & ex fundo tuo in alienum aufugere. Quamobrem propoſitio præſens etiam de feris ex vivario & circumſepta ſylva elabentibus intelligenda. Ceterum hic repetenda ſunt, quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 285.).

§. 286.

Cujusnam ſit fera ex cuſtodia elapſa & ab alio capta.

Quoniam dominium feræ & jus eam poſſidendi non amittitur, *ſi ex cuſtodia tua elabitur; qui eam capit, eam tibi reddere tenetur, ubi ab aliis internoſci poteſt.*

Quæ ſupra de avibus in hoc caſu annotavimus (*not.* §. 262.); ea etiam de feris intelligenda.

§. 287.

An feræ ex cuſtodia elapſæ ſtatim feræ fiant nullius.

Ex eadem ratione patet, *feras non ideo fieri nullius, quod ex cuſtodia tua elapſæ libertati ſuæ reſtituantur.*

Feræ in libertate ſua naturali ſunt, quando in ſylvis apertis, agris & campis libere circumvagantur. In hoc ſtatu ſunt natura, antequam ab aliquo in poteſtatem ſuam rediguntur. Unde quando dicitur feras in ſylvis apertis, agris atque campis libere circumvagantes eſſe nullius, non ideo hoc aſſeritur, quod in libertate ſunt, ſed quod nemo adhuc eas ſuas fecerit, prouti ex demonſtratione ſuperiori abunde patet (§. 274.).

§. 288.

Quando derelictio feræ ex cuſtodia elapſæ præſumatur.

Si fera indiſcernibilis ex cuſtodia tua elapſa in ſylvas aut campos aufugit, ubi alia ejusdem ſpeciei individua circumvagantur; ea a te derelicta præſumitur: minime autem, ſi diſcernibilis fuerit, vel in ea loca ſe non recipit, ubi alia ejusdem ſpeiciei individua deprehendi ſolent. Oſtenditur eodem fere modo, quo ſupra de volucribus feris ex cuſtodia tua avolantibus utrumque demonſtratam fuit (§. 268.).

Expendenda etiam hic ſunt, quæ ibidem prolixe annotavimus.

§. 289.

Quando dominium feræ ex cuſtodia elapſæ amittatur.

Quamprimum fera indiſcernibilis ex cuſtodia tua elapſa conſpectui tuo ſe ſubducit & in ſylvas aut campos recipit, ubi alia ejusdem ſpeciei individua commorari ſolent; res nullius fit & tu dominus eſſe deſinis. Demonſtratur eodem modo beneficio propoſitionis præcedentis (§. 288.), quo ſupra idem de volucribus feris ex cuſtodia tua avolantibus oſtendimus (§. 270.).

Quæ de volucri ibidem annotavimus, ad feram quoque applicari poſſunt, ac debent.

§. 290.

Quando retineatur.

Si fera ex cuſtodia tua elapſa fuerit diſcernibilis, vel in ea loca fugit,

fugit, ubi alia ejusdem ſpeciei individua deprehendi minime ſolent; ea manet tua tibique debetur poſſeſſio. Oſtenditur eodem modo vi præſumtionis modo ſtabilitæ (§. 288.), quo utrumque demonſtravimus de volucri fera in caſu ſimili. (§.271.).

Non obſtare raritatem caſus, quo minus a ceteris diſtinguatur in Jure naturæ, ſupra jam annotavimus (*not.* §. *cit.*). Non perinde leges naturales, quemadmodum civiles diſponunt de eo, quod ſit ut plurimum, *Celſo* monente & *Pomponio* l. 3. & ſeqq. ff. de LL.

§. 291.

Præſumtio de feris in ſylvis apertis & campis.

Feræ in ſylvis apertis & campis libere circumvagantes nullius eſſe præſumuntur, niſi adſint rationes, per quas contrarium patet. Cum feræ in ſylvis apertis & agris ac campis libere circumvagantes naturaliter ſint nullius (§. 274.), præſens propoſitio porro iisdem modis oſtenditur, quo hanc præſumtionem de avibus in aëre libere hinc inde volitantibus ſtabilivimus (§.269).

§. 292.

Quid obtineat, ſi fera domino naturaliter diſcernibilis aut cujus dominus ignoratur, capiatur ab alio.

Siquis feram naturaliter diſcernibilem domino ibi capit, ubi alia ejusdem ſpeciei individua commorari ſolent, aut in caſu oppoſito reſcire nequit, ex cujusnam cuſtodia elapſa fuerit; eam bona fide poſſidet & tanquam dominus de ea diſponit: quamprimum tamen conſtiterit, eam ex cuſtodia elapſam eſſe, eam tibi reddere tenetur. Vi propoſitionis præcedentis veritas præſentis eodem modo evincitur, quo in caſu ſimili idem oſtendimus de avibus (§. 272.).

Huic propoſitioni, ut & ſuperiori de avibus (§. *cit.*) plurimum lucis affundetur per ea, quæ inferius de rebus deperditis demonſtrabuntur.

§. 293.

Quid ſtatuendum de fera vulnerata, quam perſequi deſinis.

Quodſi feram a te vulneratam perſequi deſinis, ea fit occupantis. Quodſi enim feram a te vulneratam perſequi deſinis, nondum a te in eum ſtatum redacta, quo eam capere potes, conſequenter nec tua cenſetur (§. 184.): Et ſi vel maxime lethaliter vulnerata cadat, ut capi poſſit; ubi tamen eam non amplius perſequeris, cum hoc ipſo ſignifices te depoſuiſſe animum eam tibi habendi, ſi vel maxime tua fuiſſet, eam tamen dereliquiſti (§. 249.); Quoniam itaque res, quæ nullius eſt (§. 175.), & quæ ab alio derelicta, occupantis fit (§. 252.); ſi feram a te vulneratam perſequi deſinis, ea fit occupantis.

Equidem Imperator §. 13. Inſt. de rer. div. ſententiam hanc olim nonnullis JCtis probatam rejicit, oppoſitam aliorum confirmans, qui non aliter tuam eſſe feram, quam ſi eam ceperis, putaverunt: ex anterioribus tamen abunde eluceſcit, priorem ſententiam cum principiis Juris naturalis magis cohærere. Jure Saxonico confirmata ſententia; quæ nobis verior viſa. Permittitur enim hoc jure feram vulneratam fugientem in alterius etiam territoria perſequi, utut ſine clamore & clangore, quod ibidem venandi jus tibi non competit. Vid. Land-Recht lib. 2. art. 61. Hoc vero jure tuo fieri non poterat, niſi admittatur, feram vulneratam ut capi poſſit (id quod in dubio præſumitur) eſſe tuam, antequam ceperis eam (§. 283.).

§. 294.

Cujusnam ſint apes ſylveſtres.

Apes ſylveſtres nullius ſunt. Etenim perinde ac feræ in ſylvis & pratis libere circumvagantur & favos efficiunt. Unde eodem, quo de feris idem demonſtratum fuit, modo oſtenditur eas eſſe nullius (§. 274.).

Studio

Digitized by Google

Studio dico, apes ſylveſtres. Conſtat enim, eas poſſe alveo includi, & quando in eodem favos efficiunt, avolare & revolare, ut a te detineantur tanquam tuæ (§. 118. 124.), conſequenter a te poſſideantur (§. 150.), ut adeo dubitari nequeat, alveo incluſas in dominio eſſe poſſe.

§. 295.

Jus favos eximendi in ſylvis dominio ſubjici poteſt. Oſtenditur eodem modo, quo ſupra demonſtravimus jus venandi in certo fundo dominio ſubjici poſſe (§. 276.). *An jus favos eximendi in ſylvis occupari poſſit.*

Quoniam apes ſylveſtres nullius ſunt (§. 294.), favi quoque, quos efficiunt, nullius eſſe debent: quod nemo in dubium revocaverit.

§. 296.

Si examen apium conſpectui tuo ſeſe ſubducit, pro re nullius habendum. Etenim ſi examen apium conſpectui tuo ſeſe ſubducit, ea plerumque petit loca, ut ignoretur, quo avolaverit. Et, ſi vel maxime, te inſcio, in arbore aliqua, quæ in vicinia eſt, adhæſerit, non tamen diu ibidem commoratur, niſi ſtatim conveniente modo alveo indatur, ſed potius avolat nunquam rediturum. Quamprimum igitur conſpectui tuo ſeſe ſubducit, ut idem perſequi non poſſis, ſpes ipſum recuperandi nulla ſupereſt, conſequenter a te derelictum præſumitur (§. 264.), atque adeo pro re nullius habendum. *Quamprimum examen apium fiat nullius.*

Ideo Imperator §. 14. Inſt. de rer. div. definit, examen apium, quod ex alveo tuo evolavit, eo usque intelligi tuum, donec in conſpectu tuo eſt, nec difficilis perſecutio ejus eſt, alioquin occupantis fieri.

§. 297.

Quoniam tamen dominium animo retines, quemadmodum *Quando ab alio inclu-*

ſum reſtituendum. modum retineri poteſt (§. 258.); *ſi extemplo, quando examen conſpectui tuo ſeſe ſubducit, perconteris, num in vicini cujusdam arbore conſederit,* adeoque idem quantum datur perſequeris, *vicinus, qui idem alveo ſuo incluſit, tibi reſtituere tenetur.*

Equidem Jure Saxonico contrarium obtinet, quod examen apium ad vicinum evolans & ab eo incluſum includenti acquiſitum pronunciat, Weichbild art. 119. principiis tamen juris naturæ convenientius eſt, ut tibi reſtituatur, ſi animus idem non derelinquendi fuerit manifeſtus. Hoc vero non obſtante non negamus, jure civili ſanciri poſſe, ut maneat includentis, prouti ſuo loco conſtabit.

§. 298.

An ex eo tibi jus naſcatur in examen apium, quod in arbore tua conſedit. *Si examen apium in arbore tua conſederit; non ideo tuum eſt.* Etenim apes res ſe moventes ſunt (§. 236.) & maxime examen apium, quod ex improviſo iterum procul hinc avolat & conſpectui tuo ſeſe ſubducit. Enimvero ex eo quod res ſe movens nullius ſit in fundo tuo, nullum tibi jus in eam naſcitur (§. 237.), ergo nec in examen apium ex eo tibi dominium, quod jus proprium eſt (§. 118.), naſci poteſt, quod in arbore tua conſederit, conſequenter nec ideo tuum eſt (§. 124.).

Conſentit Imperator loco ante citato *not.* §. 297. Quando enim de apibus loquitur, de examine apium accipienda ſunt, quæ dicit. Ceterum hic tanquam notum ſuppono, per examen apium intelligi novam earum ſobolem, quæ inſtar novæ coloniæ, alveum, in quo genitæ, relinquere coguntur alias ſibi ſedes quæſituræ: eo enim in caſu apes examinare, œconomiæ ruralis peritis pervulgatum eſt.

§. 299.

§. 299.

Quoniam itaque *examen apium, quod in arbore tua conſederit*, non ideo tuum eſt (§. 298.); *ſi nullius fuerit, nullius manet.* *Cujusnam ſit examen apum in arbore tua conſidens.*

Quoniam ex eadem ratione patet, quod maneat domini, ex cujus alveo evolavit, ſi adhuc animo dominium retinet; hinc quoque demonſtrari poterat, quod a te alveo tuo incluſum non tibi acquiratur, ſed domino reſtituendum veniat (§. 297.).

§. 300.

Quoniam dominium rei nullius occupando acquiritur (§. 176. 178.); *ſi examen apium, quod in arbore tua conſedit, nullius fuerit, a te alveo includatur, tuum fit; ſi vero includatur ab alio quocunque, hujus idem fieri debet.* *Quando fiat occupantis.*

Monet Imperator loco ante (*not.* §. 297.) citato, dominum fundi, ſi re integra te fundum ſuum ingredientem præviderit, te jure prohibere poſſe, ne ingrediaris. Quod utique ex notione dominii liquet (§. 118.), ut demonſtratione nulla indigeat.

§. 301.

Si apes favos effecerint in arbore tua, hi nullius ſunt. Apes, quæ favos efficiunt in arbore tua, cum hic ſupponantur vel ſylveſtres, vel derelictæ, ſpe omni examen ex alveo evolans recuperandi decollata, nullius ſunt (§. 294. 296.). Favi igitur, quos efficiunt, non ſunt res ex rebus tuis provenîens, conſequenter nec fructus (§. 956. *part. I. Theol. nat.*), a te percipiendi (§. 136.), multo minus autem haberi poſſunt pro fructibus arboris tuæ, aut horti tui, in quo ea vegetatur. Ex eo igitur, quod apes favos effecerint in arbore tua, nullum tibi jus in has competere poteſt proprium. Sunt adeo nullius (§. 6.). *Cujusnam ſint favi, quos apes efficiunt in arbore tua.*

Demonſtratio fere coincidit cum ea, quam ſupra dedimus, cum oſtenderemus, ſi aves nidum efficiat in arbore tua, nec ova, nec pullos ideo fieri tuos, ſed nullius eſſe. Neque hoc mirum videri debet: Caſus enim apium in arbore tua favos efficientium caſui avium in tua arbore nidos facientium ſimilis. Quod etiam Imperator §. *cit. de rer. div.* agnovit, qui ab hoc ad illum concludit. Poterat ſane vi principii reductionis demonſtratio ita concinnari, ut caſus præſens apium ad ſuperiorem avium reduceretur.

§. 302.

Quinam favos eximere poſſit, quos effecere apes in arbore tua.

Quoniam favi, quos apes efficiunt in arbore tua, nullius ſunt (§. 301.); jus autem occupandi commune eſt, ſeu cuilibet indifferenter competit (§. 179.), quamdiu a nemine occupatum eſt (§. 217.); *Favos, quos effecere apes in arbore tua, eximere quilibet poteſt; quodſi tamen jus eximendi a te fuerit occupatum,* quod occupari poſſe per ſuperiora patet (§. 216.), *nemo præter te eos eximere poteſt.*

Imperator nude pronunciat prius. Ratio ex anterioribus manifeſta. Romani jus occupandi res certas noluerunt fieri proprium. Etſi autem jus eximendi favos, utpote quod nonniſi ſemel exercetur, ſeu uno actu abſolvitur, non videatur ex rerum incorporalium numero eſſe, quæ occupari poſſunt (§. 219.); non tamen ideo occupatio hujus juris habenda pro impoſſibili. Etenim favi, quos effecere aves in arbore tua, jam ſunt in eo ſtatu, ut a te apprehendi poſſint, quando viſum fuerit. Quodſi ergo tantummodo ſigno quodam declares, te pati nolle, ut alius eos eximat; ecquis dubitabit, hoc pacto jus favos eximendi tibi fuiſſe acquiſitum (§. 219.). Non prorſus ab hiſce abludunt, quæ Imperator dicit, ſi re integra prævideris ingredienem fundum tuum, te eum jure prohibere poſſe, ne ingrediatur: quo facto jus, quod ipſi commune erat, eximendi favos tibi proprium facis.

§. 303.

§. 303.

Quodſi examen tuum in arboris tua cavitate favos efficiat, cum arbor hæc ſit loco alvei, cui includuntur induſtria humana, dominium autem contineat jus fruendi (§. 136.), *favi utique tui ſunt.* *Quandonam iſti tui ſint.*

Caſus hic rariſſimus eſt, ut adeo in jure præſertim poſitivo habendus ſit pro nullo; in Jure tamen naturali a ceteris diſtinguendus.

§. 304.

Quemadmodum *Animalia fera* dicuntur, quæ hominum conſuetudinem fugiunt, adeoque ex cuſtodia, ſi datur, aufugiunt vel avolant nunquam reditura; ita ex adverſo *manſueta* appellantur, quæ hominum conſuetudine gaudent, & abeunt redeuntque, vel avolant revolantque, nec longius abire vel revolare ſolent. *Animalium manſuetorum a feris diſcrimen.*

Nemo non videt animalibus feris annumeranda eſſe, quæ ferarum nomine vulgo compellantur & volucres, quas feras dicere ſolemus: de quibus dictum eſt in anterioribus. Manſueta animalia cum hominum conſuetudine gaudeant, non vero eandem fugiant, ferarum inſtar, *domeſtica* etiam appellari ſolent. Tales ſunt gallinæ, anſeres, anates ex genere volatilium; equi, vaccæ, boves, capræ, canes, feles ex genere quadrupedum. Animalia adeo manſueta in dominium cur non æque venirent, ac res mobiles inanimatæ, ubi dominia rerum introducebantur, nihil prorſus obſtabat, quemadmodum ferorum animalium natura urgebat, ut eadem in communione primæva relinquerentur.

§. 305.

Animalia manſueta nemo derelinquere præſumitur, etiamſi conſpectui ipſius ſeſe ſubducant, dum abeunt, vel avolant. Quoniam *conſpecti no-* *Cur animalia manſueta*

ſtro ſe ſub ducentia non habeantur pro dereli-ctis.

niam enim animalia manſueta non longius abeunt, vel avolant, dum conſpectui tuo ſeſe ſubducunt (§. 304.), nec aliis ſuæ ſpeciei individuis, quæ nullius ſunt & a quibus diſcerni nequeunt, commiſcentur, quemadmodum animalia fera e cuſtodia elapſa; ſpes quoque eadem recuperandi ſupereſt, etiamſi ignores, ubinam ſint. Immo cum hominum conſuetudine gaudeant (§. 304.), in aliorum ædes ſeſe recipere ſolent, ubi quilibet ſtatim agnoſcit ea non eſſe ſua, ſed alterius. Eorum itaque recuperatio in ſe non impoſſibilis. Quamobrem nulla ratio eſt, cur quis animalia manſueta non velit eſſe amplius ſua, quia abierunt vel avolarunt & conſpectui ipſius ſeſe ſubduxerunt. Quoniam rem non derelinquit, niſi qui, cum ſua eſſet, eam non amplius ſuam eſſe vult, parum ſollicitus, quinam eam ſuam facere velit (§. 249.); nemo etiam animalia manſueta derelinquere præſumitur, quamvis conſpectui ipſius ſeſe ſubducant, dum abeunt, vel avolant.

Experientia confirmat, neminem animalia manſueta derelinquere, etiamſi abierint, vel avolarint, nec ipſe norit, ubinam ſint. Quodſi etiam ſcruteris rationes, cur dominium animo retineant, non alias eſſe deprehendes, quam quibus uſi ſumus in evincenda veritate propoſitionis præſentis. Immo ſi attendas animum ad conſuetos hominum ſermones, ubi animalia manſueta abeſſe vel non redire, aut, ſe præſentibus, abeunt vel avolant; has ipſas, non alias eſſe rationes abunde verbis, quæ proferunt, ſignificant.

§. 306.

Cur non haberi poſſint pro re nullius, domino ignorato.

Quoniam nemo præſumitur *animalia ſua manſueta* derelinquere, ſi abierint vel avolarint, ut ignoret ubinam ſint (§. 305.); *propterea haberi nequeunt pro rebus nullius, quod eorum dominus ignoratur* (§. 251.).

Anima-

Animalia manſueta non carent domino, quemadmodum fera: quod nemini ignotum. Nullius adeo fieri nequeunt niſi derelictione (§. 250. 251.). Quamdiu itaque pro derelictis haberi nequeunt, nec pro re nullius haberi poſſunt.

§. 307.

Animalia manſueta cur poſſeſſione amiſſa maneant tua.

Animalia manſueta, quocunque loco ſint, etiamſi ignores, ubinam ſint, manent tua. Etenim animalia manſueta derelinquere nemo præſumitur, etiamſi conſpectui ipſius ſeſe ſubducant, dum abeunt vel avolant (§. 305.), ut adeo ignoret, ubinam ſint. Quamobrem quocunque loco ſint, etiamſi ignores ubinam ſint, non tamen ideo quod poteſtatem tuam evaſerunt velle deſinis, ut ſint tua (§. 249.), conſequenter cum dominium ſolo animo retineatur (§. 258.), eorum dominus manes, adeoque ipſa manent tua (§. 124.).

De gallinis & anſeribus idem pronunciat Imperator §. 16. Inſt. de rer. div. ratio autem cum petenda ſit a manſueta eorum natura, de manſuetis animalibus in genere idem nobis demonſtrandum fuit.

§. 308.

An ab alio poſſideri poſſint.

Quoniam *animalia manſueta, quæ poteſtatem tuam evaſerunt*, tua manent, quocunque loco ſint (§. 307.); *nemo ea* tanquam ſua detinere, conſequenter *poſſidere poteſt* (§. 150.). *Quodſi* ergo *quis ea tanquam ſua detinet, poſſeſſor malæ fidei eſt* (§. 153.).

Nondum oſtendimus, quando furtum committat, qui ea detinet (§. *cit. Inſt. not.* §. 307.), cum quid ſit furtum nondum explicaverimus, neque hoc loco explicandum ſit. Neque etiam hic oſtendimus, quo caſu tua fieri poſſint, cum id deinceps in genere oſtendendum ſit de rebus

Digitized by Google

amiſſis, quarum utique in numero ſunt animalia manſueta, quæ abeunt, nec redeunt, & quorum dominus ab eo ignoratur, in cujus poteſtatem venerunt.

§. 309.

Quo animo detineri queant. *Si animalia manſueta aliena in poteſtatem tuam veniunt; eo animo a te detineri poſſunt, ut dominus ea recuperare poſſit.* Quando enim in poteſtatem tuam veniunt, manent adhuc domini ſui (§. 307.); nec niſi ipſi adeo competit jus ea poſſidendi (§. 157.). Quamobrem cum unicuique jus ſuum ſit tribuendum (§. 922. *part. I. Jur. nat.*), jus vero ſuum alteri tribuat, qui quid eidem convenienter facit (§. 921. *part. I. Jur. nat.*); animalia manſueta aliena eo animo a te detineri poſſunt, ut dominus ea recuperare poſſit.

Officium humanitatis alteri præſtat, qui animalia manſueta, quæ ipſius poteſtatem evaſerunt, ubi in ſuam veniunt, eo animo detinet, ut recuperatio ſit domino non difficilis, certe non impoſſibilis.

§. 310.

Animalia manſuefacta quænam ſint. *Animalia manſuefacta* dicuntur, quorum natura fera eſt, ſed quæ ex conſuetudine abeunt redeuntque, vel evolant revolantque.

Talia animalia ſiint pavones & columbæ, ex conſuetudine evolantes & revolantes: id quod etiam faciunt apes. Immo Imperator §. 15. Inſt. de rer. div. jam obſervavit, cervos quoque ita manſuetos fieri poſſe, ut in ſylvam eant redeantque. Et experientia multiplici conſtat, feras etiam alias manſuetam induere poſſe naturam. Et memini me audiviſſe, quod monachi quidam in Bohemia habuerint aves adeo cicures, ut per apertas feneſtras e Refectorio in hortum evolaverint revolaverintque.

§. 311.

§. 311.

Quoniam *animalia fera* ſua natura a conſuetudine hominum abhorrent & ex cuſtodia elapſa non redeunt, ſed in ſolitudinem ſe recipiunt (§. 304.); *quamdiu manſuefacta ex conſuetudine abeunt redeuntque, vel evolant revolantque, pro manſuetis habentur; quando autem redeundi, vel revolvandi conſuetudinem deſerunt, pro feris.* *Quamdiu pro manſuetis habeantur.*

Hinc ad ea applicantur, quæ de manſuetis demonſtrata ſunt, quamdiu abeunt redeuntque; quæ vero de feris oſtendimus, quando revertendi conſuetudinem deſerunt.

§. 312.

Animalia manſuefacta dicuntur *habere animum revertendi*, quamdiu ex conſuetudine abeunt redeuntque, vel evolant revolantque. Hinc *animalia manſuefacta tamdiu habentur pro manſuetis, quamdiu animum revertendi habent; feris autem denuo annumerantur, ſi revertendi animum habere deſierint* (§. 310.). *Animus revertendi animalium quid ſit.*

Animus revertendi cum brutis tribuatur in Jure Romano §. 15. Inſt. de rer. div. ut uſus Juris naturæ in Romano explicando fiat magis conſpicuus, quid eodem ſignificetur, exponendum & in eodem ſignificatu termino iſto utendum nobis erat.

§. 313.

Res domino adhuc carentes cum *Grotio* lib. 2. c. 8. §. 7. dicuntur *ἀδέσποτα*, ſive occupando in dominium nondum fuerunt deductæ, ſive a dominis derelictæ, ſive caſu quodam dominio exemtæ: Utemur autem hoc vocabulo de rebus tantummodo inanimatis. Dicuntur etiam *Res dominio vacua.* *ἀδέσποτα quænam ſint.*

Ita inter ἀδέσποτα referuntur metalla in viſceribus terræ

 latentia,

latentia, quæ cum fundi occuparentur certo quodam fine, veluti agriculturæ aut domus extruendæ gratia, non fuerunt ſimul occupata. In eorundem numero ſunt theſauri, quorum dominus ignoratur, ſi vel maxime aliquis adhuc ſuperſtes ſit, qui dominium in iis habere deberet, ita ut impoſſibile ſit probatu, utrum adhuc aliquis ſit, nec ne, cui dominium competat. Hi igitur caſu quodam dominio fuerunt exemti. Refert etiam *Grotius* l. c. in eundem numerum Inſulam deſertam Aconthon, quæ carebat domino, quod nondum ab aliquo eſſet occupata. Quo jure autem *ἀδέσποτα* appellantur, quorum dominium caſu interiit; eodem quoque hoc nomine compellari poſſunt, quorum dominium voluntate dominii deſiit, hoc eſt, res derelictæ (§. 265.). Ita iisdem annumeranda ſunt bona ejus, qui inteſtatus decedit, nec hæredem ab inteſtato habet. Ea enim caſu dominio eximuntur. Similer apparet, poſſe etiam piſces, aves & feras, quamdiu a nemine occupantur, ad *ἀδέσποτα* referri, cum & ipſa hæc animalia domino careant: id quod etiam menti *Grotii* l. c. convenire videtur. Quodſi cum nonnullis hoc nomine compellare tantummodo libuerit res iſtas, quæ in fundo in dominium deducto inoccupata manſerunt; circa arbitrarium vocabuli ſignificatum nemini litem movebimus. Cur vero nos vocabulo tantummodo utamur de rebus inanimatis, hæc potiſſimum ratio eſt, quod de rebus animatis domino carentibus non per omnia eodem modo ratiocinandum, quo de inanimatis, ut adeo has ab illis nomine diſtingui interſit.

§. 314.

Quales res ſint. *Omnia ἀδέσποτα res nullius ſunt.* Etenim domino carent (§. 313.), conſequenter cum dominium ſit jus proprium in rebus (§. 118.), de iis pro arbitrio ſuo diſponendi, nemo hominum de iisdem pro arbitrio ſuo quomodocunque diſponere poteſt, ita ut præter ipſum nemo alius hoc

hoc facere poſſit (§. 121.). Quoniam itaque nemini jus quoddam proprium in ea competit (§. 2.), res vero nullius eſt, ad quam nemini hominum jus proprium competit (§. 6.); ἀδέσποτα omnia res nullius ſunt.

Oſtendi etiam poteſt hoc modo. Cum dominium contineat proprietatem (§. 136.), res, quæ domino carent, adeoque ἀδέσποτα omnia (§. 313.), propriæ non ſunt (§. 132.), conſequenter communes (§. 134.). Sed ad res communes nemini in ſingulari jus quoddam competit (§. 42.). Ergo ad ἀδέσποτα omnia nemini jus quoddam proprium competit (§. 2.). Quamobrem cum res nullius ſint, ad quas nemini hominum jus proprium competit (§. 6.); omnia ἀδέσποτα res nullius ſunt.

Ipſa demonſtratio loquitur, ἀδέσποτα hic ſumi in ſenſu latiſſimo, ita ut perinde ſit, ac ſi dicas: *Res omnes, quæ dominio carent, nullius ſunt.*

§. 315.

Eorum, quæ ſunt ἀδέσποτα, ſeu dominio adhuc carent, dominium acquiritur occupando. Sunt enim res nullius (§. 314.), adeoque non niſi modo originario acquiri poſſunt (§. 176). Sed modus acquirendi dominium originarius occupatio eſt (§. 178.). Ergo eorum, quæ ἀδέσποτα ſunt, ſeu domino adhuc carent (§. 313.), dominium acquiritur occupando.

Quomodo illorum dominium acquiratur.

§. 316.

Jus occupandi ἀδέσποτα dominio ſubjici poteſt. Jus occupandi ἀδέσποτα res incorporalis eſt (§. 497. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum etiam res incorporales dominio ſubjici poſſint (§. 216.); jus etiam occupandi ἀδέσποτα dominio ſubjici poteſt.

An jus ea occupandi dominio ſubjici poſſit.

Digitized by Google

Noſtris moribus hoc convenit, & ſuo videbimus loco, cur in civitate ἀδέσποτα fiſco adjudicari poſſint: quod licite fieri non poſſet, niſi lege naturali occupatio juris occupandi ἀδέσποτα eſſet licita. Quamobrem nos, qui jura ex primis fontibus deducere decrevimus, quid extra ſocietatem civilem licitum ſit demonſtrare tenemur, ne deſint principia demonſtrandi ea, quæ licite fiant in civitate.

§. 317.

Cuinam ἀδέσποτα acquirantur. *Si jus occupandi ἀδέσποτα nemini adhuc fuerit proprium; ea ſtatim fiunt occupantis: ſi vero jus iſtud jam fuerit in dominio, ei acquiruntur, cui hoc jus proprium eſt.* Etenim ſi jus occupandi ἀδέσποτα nemini adhuc fuerit proprium, nemo quoque alios eodem jure excludit (§. 119.). Quare cum cuilibet indifferenter competat jus occupandi rem quamcunque ab alio nondum occupatam (§. 179.), niſi jus occupandi jam fuerit alicui proprium factum (§. 217. 120.), & occupando acquiratur dominium (§. 178.), conſequenter res occupantis fiat (§. 124.); ſi jus occupandi ἀδέσποτα nemini adhuc fuerit proprium, ea ſtatim fit occupantis. *Quod erat unum.*

Altera pars propoſitionis hoc modo oſtenditur. Ἀδέσποτα res nullius ſunt (§. 314.). Sed ſi tu res nullius occupas, quas occupandi jus mihi proprium eſt, ea non fit tua, ſed mea (§. 224.). Quamobrem ſi jus occupandi ἀδέσποτα fuerit in dominio, adeoque alicui proprium (§. 118.); res a quocunque occupata ei acquiritur, cui hoc jus proprium eſt.

§. 318.

Metalla & mineralia in ... *Metalla & mineralia in viſceribus terræ latentia ſunt ἀδέσποτα, ſeu res dominio vacua.* Originarius acquirendi modus occu-

occupatio eſt (§. 178.). Quamobrem cum res occupari non poſſint niſi facto quodam tuo in eum redigantur ſtatum, quo tuæ eſſe poſſunt, & quo ſimul declaras, te tuas eſſe velle (§. 174.), de metallis vero & mineralibus in viſceribus terræ latentibus hoc affirmari non poſſit, antequam ex terræ viſceribus eruantur (§. 118. 124.); metalla quoque & mineralia in viſceribus terræ latentia nullius eſſe poſſunt, antequam emantur. Domino igitur carent, quamdiu in terræ viſceribus latent, conſequenter ἀδέσποτα, ſeu dominio vacua ſunt (§. 313.).

Viſceribus terræ latentia quales ſint res.

Non licet excipere, quod metalla & mineralia in viſceribus terræ latentia occupentur una cum fundo, adeoque propoſitionem præſentem non poſſe eſſe veram niſi in fundo non occupato, qui & ipſe inter ἀδέσποτα ſit referendus (§. 313.). Etenim ſi fundi occupantur, propter uſum occupantur, quem habere poſſunt, veluti agriculturæ, horticulturæ vel ædium extruendarum gratia. Fundus igitur eo usque tuus eſt, quatenus uſum præſtat, ob quem tuum eſſe voluiſti. Quæ igitur in terra latent, nullo modo a te dici poſſunt cum fundo occupata, præſertim cum tantum non ſemper ignoretur, quænam in fundo lateant. Quodſi ſuſpicio ſit aut aliquo modo conſtet, metalla & mineralia alicubi in viſceribus terræ latere, jus quidem ea occupandi & ſua faciendi occupari poteſt (§. 316.), ut adeo nemini præter te ea eruere & ſua facere liceat; non tamen ipſa metalla & mineralia in dominio tuo eſſe poſſunt, antequam fuerint eruta. Jus occupandi proprium cum dominio occupatione acquiſito confundi minime debet. Equidem non ignoro eſſe nonnullos, quibus contrarium videtur; non tamen eorum ſententia ſatis firmo nititur talo.

§. 319.

Si jus effodiendi metalla & mineralia in aliquo fundo nemini

Cujusnam adhuc ſint metalla

& mineralia ex terra eruta. *adhuc fuerit proprium; qui ea eruit, ſtatim ſua facit: in caſu oppoſito ejus fiunt, cui jus ea effodiendi fuerit proprium.* Metalla enim & mineralia in viſceribus terræ latentia ſunt ἀδέσποτα (§. 318.). Quoniam itaque ἀδέσποτα ſtatim fiunt occupantis, ſi jus ea occupandi nemini adhuc fuerit proprium, in caſu autem oppoſito ei acquiruntur, qui jus iſtud in dominio habet (§. 317.); metalla quoque & mineralia in eo fundo, ubi nemini adhuc jus ea effodiendi proprium eſt, ſtatim ſua facit, qui ea eruit; in caſu autem oppoſito ejus fiunt, cui jus ea effodiendi fuerit proprium.

Qui metalla & mineralia in viſceribus terræ latentia una cum fundo occupari exiſtimant, quoad effectum juris non diſſentiunt. Negare enim non poſſunt, a tua pendere voluntate, utrum ea, quæ in terra latent, cum fundo ſimul occupare velis, nec ne. Quodſi nolis, nec tua erunt, ſed manent ἀδέσποτα, qualia natura ſunt, conſequenter ea ſibi acquirit, qui eruit. Quodſi vero volueris, tua erunt, adeoque qui ea eruit, ſua facere nequit. Idem vero cum obtineat, quemadmodum pars altera propoſitionis habet, ſi jus occupandi in viſceribus terræ latentia una cum fundo, aut, poſtquam fundus jam fuerit in dominio tuo, occupaveris; quoad effectum juris omnino perinde eſt, ſive quæ intra terram latent tua ſint, ſive jus ea occupandi tibi fuerit proprium. Verior tamen dicenda ſententia, quæ notionibus nullam vim infert, nec Scholaſticorum more diſtinctionibus demum ſalvatur, ne iisdem repugnet.

§. 320.

Cujusnam ſint, ſi effodiantur in fundo alieno. Quoniam qui eruit metalla & mineralia in aliquo fundo, ubi jus ea effodiendi nemini adhuc proprium eſt, ſtatim ſua facit (§. 319.); *ſi quis in fundo tuo metalla vel mineralia alia quæcunque ex terra eruit, cum jus ea eruendi a te non fuerit occupatum, ea ſua facit.* Pona-

Ponamus e. gr. operarios juſſu tuo effodere terram in fundo tuo, veluti ſi cella condenda aut ædium ſubſtructio fieri debet, & intra ejus viſcera reperiri mineras aut minerale quoddam; in caſu propoſitionis præſentis dubium non eſt, quin quod inveniunt ſit operariorum, modo quod inveniunt occupare, adeoque occupando ſuum facere velint (§. 175.). Ut enim ipſorum ſit, non ſufficit, quod quid effodiant, ſed prætera requiritur etiam animus id ſibi habendi (§. 174.). Quare ſi quod effodiunt abjiciant, non minus tu, quam alius quicunque idem occupare poteſt.

§. 321.

An occupatio rei dominio vacuæ a domino fundi impediri poſſit, etſi jus occupandi ipſi proprium non ſit.

Si cui conſtat rem quandam dominio vacuam in fundo tuo latere, tibi vero jus eam occupandi non fuerit proprium; haud quaquam tamen pati debes, ſed prohibere potius potes, ne quis eam ex terra eruat. Etenim domini eſt de fundo ſuo diſponere pro arbitrio ſuo (§. 118.) & ipſi competit jus interdicendi cuivis non domino omni actu vi dominii licito, nec patiendi, ut quis alius quicquam faciat ſe invito, quod ſibi vi dominii facere licet (§. 121.). Quamobrem cum tibi tanquam domino in fundo tuo terram effodere liceat, prout viſum fuerit; ne alius hoc faciat prohibere potes, nec ut faciat ferendum, ſi velit. Quoniam itaque rem dominio vacuam, quæ intra terram in fundo tuo latet, eruere & occupando ſuam facere nequit (§. 319.), niſi terram effodiat; etiamſi cuidam conſtet rem quandam dominio vacuam in fundo tuo latere, tibi vero jus eam occupandi non fuerit proprium, haud quaquam tamen pati debes, ſed prohibere potius potes, ne quis eam ex terra eruat.

Conſona hæc ſunt principiis Juris Romani. Sane Imperator, dum §. 12. Inſt. de rer. div. feras & volucres in fundo alieno captas ei adjudicat, qui capit, domino tamen, ſi

is præviderit, non adimit jus prohibendi, ne ingrediatur, qui fundum ejus ingreditur venandi aut occupandi gratia. Si dominus ne pati quidem debet, ut quis ſe invito fundum ipſius ingrediatur, multo minus pati debet, ut in eo terram fodiat. Quodſi hoc facit eo animo, ut ipſemet rem dominio vacuam intra terram latentem effodiat; quin hoc ipſo jus eandem occupandi dominio ſuo ſubjiciat dubitandum non eſt (§. 219.). Suppono nimirum animum alteri ſignificari, cum ad occupationem non ſufficiat, ut velis aliquid eſſe tuum, ſed voluntas tua etiam aliis ſufficienter indicanda ſit, ut de eadem conſtet. Cavendum præterea, ne diu intermiſſa effoſſione ejus, quod in terra latet, animum id tibi habendi depoſuiſſe præſumaris, ut jus occupandi pro derelicto habeatur (§. 249.).

§. 322.

An prohibitio domini acquiſitionem impediat.

Si tibi jus eſt occupandi rem dominio vacuam ſeu nullius quamcunque; occupatione in fundo alieno facta contra prohibitionem domini, ne fundum ipſius ingrediaris, tuam tamen facis. Si enim tibi jus eſt occupandi rem dominio vacuam ſeu quæ nullius eſt, licite eandem occupas (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter cum occupatio ſit modus dominium acquirendi originarius (§. 178.), actus in ſe talis eſt, quo dominium rei acquirere, adeoque rem tuam facere potes (§. 124.). Et quoniam nemo alterum impedire debet, quo minus jure ſuo utatur (§. 180. *part. I. Phil. pract. univ.*); dominus quoque fundi prohibere nequit, ne alter rem nullius occupet, quam occupare jure ſuo poteſt. Quamvis vero prohibere poſſit, ne fundum ſuum ingrediaris, nec, ſi ad occupationem opus fuerit, terram fodias (§. 320.), conſequenter ſi contra prohibitionem hoc facias injuriam ipſi facias (§. 859. *part. I. Jur. nat.*); ingreſſus

ſus quidem in fundum alterius illicitus eſt, effoſſio terræ illicita (§. 911. *part. I. Jur. nat.*), actus tamen occupatorius manet, qualis eſt, adeoque licitus & acquiſitivus *per demonſtrata*. Quamobrem quod eodem acquiritur, tibi acquiritur, nec ulla eſt ratio, cur ob prohibitionem domino fundi acquiri debeat, quemadmodum ipſa notio rationis ſuggerit (§. 56. *Ontol.*). Quodſi igitur tibi jus ſit occupandi rem dominio vacuam ſeu nullius quamcunque; occupatio rei in fundo alieno facta contra prohibitionem domini, ne fundum ipſius ingrediaris, tuam tamen facit.

Res, quam occupas, cum nullius ſit *per hypoth.* domino fundi nullum in eam jus proprium competit (§. 6.), quo te excludere poterat, quo minus eam occupares (§. 119.), adeoque a re nulla peti poteſt ratio, quod tua eſſe nequeat. Prohibere poteſt, ne fundum ipſius ingrediaris, vi dominii (§. 121.) & hactenus uſum juris tui impedire, cum in colliſione juris tui occupandi & dominii ipſius exceptio facienda ſit pro dominio, quemadmodum mox oſtendetur, ut adeo prohibitio non ſit illicita, ſed ingreſſus contra prohibitionem illicitus fiat. Quoniam tamen actus occupatorius acquiſitivus eſt, quatenus in ſe licitus, nec quatenus acquiſitivus eſt juri alterius repugnat; prohibitione quoque alterius, ne fundum ipſius ingrediaris effici nequit, ne maneat acquiſitivus, conſequenter ut res a te occupata maneat nullius ſeu dominio vacua, multo minus autem, ut hoc actu dominium acquiratur prohibenti domino fundi, cui vi dominii jus nullum competit prohibendi ipſam occupationem, hac ipſa prohibitione potius illicita exiſtente (§. 910. *part. I. Jur. nat.*). Videmus adeo, nullam, quemadmodum in demonſtratione diximus, adeſſe rationem, cur res, quam occupando tuam facere poteras, tua minime eſſe debeat, propterea quod contra prohibitionem domini fundum ipſius ingredi non debebas. Alia vero jam quæſtio

 eſt,

eſt, quid liceat domino fundi in contemtorem prohibitionis ſuæ, quatenus ipſi competit jus puniendi (§. 1061. *part. I. Jur. nat.*) & jus exigendi reparationem damni, ſi quod datum, quod ſuo loco domino competere oſtendemus: Sed de hac quæſtione in præſenti non agimus, ubi tantummodo definiendnm, cujusnam eſſe debeat, quod occupatur.

§. 323.

Quomodo exceptio facienda in colliſione juris communis & proprii.

Si jus omnium hominum commune cum jure proprio collidatur; proprium vincit commune. Si enim jus tibi fuerit proprium, eodem excludis ceteros omnes (§. 119.): ſi vero jus fuerit omnium hominum commune, alius quicunque eodem te excludere nequit. Quodſi ergo jus omnium hominum commune cum jure proprio collidatur, adeoque aliquid fieri debeat vel contra jus tuum proprium, vel contra jus omnium commune (§. 510. *Ontol.*); qui jure communi uti vult cedere potius debet ei, qui jure utitur proprio, quam ut prætendere poſſit, hunc in gratiam ſui juri proprio cedere debere. Exceptio igitur, quæ hic facienda (§. 510. *Ontol.*), cum fieri debeat pro jure proprio; jus proprium commune vincit (§. 208. *part. I. Phil. pract. univ.*).

Aliter. Si jus commune cum jure proprio collidatur cum jus ſit facultas moralis agendi (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*), actio tibi licita (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*), repugnat actui, quo alter vi juris proprii te excludere poteſt, non quidem per ſe, ſed ex accidente, quatenus ſcilicet illa patrari nequit, niſi facias, quod invito altero a te fieri haud quaquam poteſt (§. 119. *part. 2 Jur. nat.* & §. 510. *Ontol.*). Quodſi ergo te eodem excludere voluerit alter, aut omittendum eſt, quod alias licite facere poteras, aut faciendum, quod eſt contra jus alterius,

terius, conſequenter injuria alteri facienda (§. 859. *part. I. Jur. nat.*). Quoniam igitur alter jure ſuo uſus ne tu hoc facias prohibet, atque adeo tibi injuriam non facit, nemo autem alteri injuriam facere debet (§. 910. *part. I. Jur. nat.*), tu potius ab uſu juris abſtinere debes quam alter, conſequenter jus proprium alterius vincit commune.

Quodſi jure tuo uti non potes, niſi quid facias, quod præter alterum nemo ipſo minime conſentiente facere poteſt, adeoque actus accedat, quo alter te excludit jure ſuo; uſus juris tui in hoc caſu habendus eſt pro moraliter impoſſibili. Enimvero cum alter te eodem excludere poſſit jure ſuo uſus, excluſio ipſa eſt actus moraliter poſſibilis. Ecquis ergo negare auſit, jus proprium commune vincere debere in caſu colliſionis.

§. 324.

Quamdiu jus occupandi res certas nullius, ſeu dominio adhuc vacuas, in nullius fuerit dominio, hoc ipſum jus indifferenter omnibus competit (§. 179.), adeoque omnium hominum commune eſt (§. 2.). Quamobrem cum dominium ſit jus proprium (§. 118.), jus autem proprium commune vincat, quando hoc cum iſto colliditur (§. 323.); *ſi jus occupandi res nullius ſeu dominio adhuc vacuas commune colliditur cum proprio alterius; dominium jus occupandi vincit*, conſequenter *prohibitione ingreſſus in fundum ſuum impedire licet occupationem rei dominio vacuæ alias non impediendam* (§. 180. *part. I. Phil. pract. univ.*).

Quomodo exceptio facienda, ſi jus occupandi commune colliditur cum domino.

Ex iis, quæ de occupatione rei dominio vacuæ in fundo alieno contra prohibitionem domini facta annotavimus (*not.* §. 322.), liquet, prohibitionem poſſe videri illicitam, quia impedit jus occupandi alterius, propterea quod

nemo alterum impedire licite poſſit, quo minus jure ſuo naturali utatur (§. 180. *part. I. Phil. pract. univ.*). Qua de cauſa diximus jus occupandi commune alterius & jus tuum proprium dominium inter ſe collidi, cum nec alter quicquam facere debeat, quod eſt contra jus tuum perfectum (§. 910. *part. I. Jur. nat.*), quale eſt dominium (§. 128.), ne ipſi injuriam faciat (§. 859. *part. I. Jur. nat.*), lege naturali prohibitam. Hoc igitur dubium jam ſuſtulimus: quod ut clarius eluceſcat, hactenus dicta ad caſum aliquem particularem applicare lubet. Jus aviculas ex nido auferendi, antequam evolent, hodienum commune manſit, etiamſi jus aucupii fuerit proprium factum. Ponamus itaque te ex nido, qui eſt in horto meo, aviculas eximere velle. Cum jus eximendi ſupponatur commune, quod tibi eſt, id etiam mihi eſt. Actus adeo tibi licitus, etiam mihi licitus eſt. Jure tuo tu me non excludis eo actu, qui vi juris tui tibi licitus. Enimvero facere hoc non potes, niſi hortum meum ingrediaris. De ingreſſu in hortum meum non tuum, ſed meum eſt ſtatuere (§. 118.). Mihi is licitus tanquam domino (§. *cit.*): Sed cum ego te jure ingrediendi hortum meum excludam (§. 120.), ego interdicere poſſum, ne hoc facias (§. 121.), conſequenter non licet tibi ingredi, niſi me conſentiente ac permittente. Vi libertatis naturalis mihi integrum eſt de uſu juris mei eximendi aviculas ex nido ſtatuere, quod lubet (§. 152. *part. I. Jur. nat*), conſequenter aviculas ex nido eximere poſſum, ſi lubet, poſſum etiam permittere ut avolent. Enimvero tibi non æque integrum eſt, num hortum meum ingredi velis, an nolis (§. 121.). Ecquis ergo dixerit, jus commune potius eſſe debere proprio, ita ut ego juri proprio cedere debeam, quo tu facere poſſis, quod perinde mihi ac tibi facere licet?

§. 325.

§. 325.

An jus occupandi rem in fundo alieno proprium fieri poſſit in ſtatu naturali.

In ſtatu naturali jus occupandi res nullius ſeu dominio vacuas in fundo tuo te invito nemo occupare, ſeu dominio ſuo ſubjicere poteſt. Etenim ſi jus quoddam, quod commune eſt, in communione primæva dominio tuo ſubjicere volueris, neceſſe eſt ut prohibere poſſis, ne alii te invito uti volentes eodem utantur (§. 219.). Enimvero cum dominus fundi vi dominii prohibere poſſit, ne fundum ipſius ingrediaris (§. 121.), actus, quo jus occupandi commune dominio tuo ſubjicere vis, pugnat cum actu domino licito, conſequenter jus commune dominio ſuo ſubjiciendi jus occupandi commune colliditur cum jure proprio alterius (§. 510. *Ontol.*). Quoniam itaque jus occupandi rem nullius, qualis hic eſt incorporalis, nempe jus occupandi rem corporalem nullius, ubi colliditur cum dominio alterius, dominio cedit (§. 324.); in ſtatu naturali jus occupandi res nullius ſeu dominio vacuas in fundo tuo te invito nemo occupare ſeu dominio ſuo ſubjicere valet.

Ita nemo in fundo tuo aves capiendi, vel venandi jus ſibi proprium facere poteſt, te invito, quoniam tu prohibere, nec pati debes ingreſſum in fundum tuum. Cur vero in ſtatu civili licitum fieri poſſit, quod in naturali fieri nequit, ſuo oſtendetur loco. In fundo non occupato jus quoddam occupandi dominio ſubjici poſſe dubium non eſt (§. 216.), cum tum occupatio fiat citra injuriam alterius. Ubi vero jus occupandi fuerit in dominio tuo, antequam alter fundum occupet & ſuo ſubjiciat dominio; per ſe patet, fundi occupationem aliter non eſſe poſſibilem, quam ut tibi maneat jus occupandi in eodem proprium. Alias fundi occupatio foret cum injuria tua conjuncta, cum tibi invito jus quoddam auferret, quod acquiſiviſti.

Digitized by Google

§. 326.

Quæ in mari inveniuntur quales ſint res.

Lapilli, gemmæ & cetera, quæ in mari inveniuntur, ἀδέσποτα ſunt. Natura enim, quemadmodum res ceteræ omnes, nullius ſunt (§. 7.), conſequenter cum modus acquirendi dominium originarius occupatio ſit (§. 178.), quamdiu a nemine fuerunt occupatæ, domino carent. Enimvero res domino carentes ἀδέσποτα ſunt (§. 313.). Ergo lapilli, gemmæ & cetera, quæ in mari inveniuntur ἀδέσποτα ſunt.

§. 327.

Cuinam acquirantur occupando.

Lapilli, gemmæ & cetera, quæ in mari inveniuntur, ſtatim inventoris fiunt, quamdiu jus occupandi nemini adhuc proprium: in caſu oppoſito fiunt ejus, cui hoc jus fuerit proprium. Sunt enim ἀδέσποτα (§. 326.). Enimvero ſi jus occupandi ἀδέσποτα nemini adhuc fuerit proprium, ea ſtatim fiunt occupantis; in caſu autem oppoſito acquiruntur ei, cui jus iſtud fuerit proprium (§. 317.). Quamobrem lapilli, gemmæ & cetera, quæ in mari inveniuntur, ſtatim inventoris fiunt, quamdiu jus occupandi nemini adhuc proprium: in caſu autem oppoſito ejus fiunt, cui hoc jus proprium fuerit.

Romani ſuppoſuerunt, jus occupandi ἀδέσποτα manſiſſe commune. Hinc Imperator §. 18. Inſt. de rer. div. ſimpliciter pronunciat, jure naturali lapillos, gemmas & cetera, quæ in mari inveniuntur, ſtatim fieri inventoris. Ratio vero, quam vulgo reddunt Interpretes, quod res iſtæ ejusdem ſint juris, cujus ſunt littora, quæ natura communia ſint, nulla eſt, cum littora poſſint occupari & in dominium deduci ſalvo jure communi occupandi ea, quæ in littoribus inveniuntur, quemadmodum cum fundo non occupatur jus

jus occupandi ἀδέσποτα in fundo exiſtentia, veluti metalla & alia mineralia in viſceribus terræ latentia, vel cum fluvio jus piſcandi, aut cum ſylva jus venandi.

§. 328.

Theſaurus ſunt res mobiles abditæ, præſertim pretioſæ, quarum dominus ignoratur. *Theſaurus quid ſit.*

Tales inprimis ſunt pecunia, aurum & agentum. Hinc *Paulus* l. 3. ff. de acquir. rer. dom. theſaurum definit, quod ſit vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. Plerumque enim homines metus cauſa vel cuſtodiæ pecuniam in loco abdito recondere ſolent. Quodſi ergo ſubita morte extinguantur, nec aliis præter ipſos conſtet, quod eam & ubi eandem recondiderint, ubi longo tempore poſt caſu quodam invenitur, dominus ignoratur. Non tamen ideo theſaurus de ſola dicitur pecunia, ſed etiam de re mobili alia vocabulum uſurpatur a Juris interpretibus. Immo latior ſignificatus communi quoque uſui loquendi convenit: ſit ita quod vulgus eundem trahat ad res potiſſimum pretioſas. Ubi autem de Jure quæritur, quantitatis pretii nulla habetur ratio. Quando vero dicitur dominus ignorari, neceſſe eſt ut ignorantia inventoris ſit invincibilis, ita ut adhibita omni diligentia detegi minime poſſit, quinam res iſtas mobiles in loco abdito veluti ſub terra, aut intra murum recondiderit. Ideo *Paulus* requirit, ne depoſitionis extet memoria. Inde enim infert, quod jam non habeat dominum, quia deficiunt indicia, ex quibus colligi poſſit, quandonam & a quonam res iſtæ abſconditæ fuerint.

§. 329.

Quodſi igitur *conſtat, a quonam pecunia vel res mobiles alia fuerint recondita, etſi qui recondidit per errorem vel oblivionem* *Quando res mobiles abdita non ſint theſaurus.*

nem non repetiit, res mobiles abditæ theſaurus non ſunt. Tum enim dominus non ignoratur, ſine qua ignorantia theſaurus non intelligitur (§. 328.).

E. gr. Ponamus tempore belli te ſub terra recondere pecunias, ſed poſtea oblviſci, quonam præciſe loco eam ſepeliveris, ut repetere non poſſis. Quodſi jam caſu inveniatur ab alio, pro theſauro haberi nequit, præſertim cum nummi recentius cuſi loquantur, eam recentius ſub terra reconditam fuiſſe. Similiter ſi domum emas & in muro reperias pecuniam a venditore vel ejus parentibus reconditam, ea pro theſauro haberi nequit, cum jam conſtet, a quonam ibidem recondita fuerit. Nimirum res abditæ ubi inveniuntur, non ante haberi poſſunt pro theſauro, quam nullo modo fieri poſſit ut conſtet, a quonam fuerint reconditæ: id quod ex circumſtantiis colligendum.

§. 330.

An nummi inſuti in veſte emta ſint theſaurus.

Similiter quia theſaurus non intelligitur, quamdiu dominus non ignoratur (§. 328.); *ſi veſti, quam emiſti, reperiantur inſuti nummi, pro theſauro iidem haberi nequeunt.*

Noſti enim, a quonam veſtem emeris, adeoque conſtare poteſt, a quonam nummi eidem inſuti fuerint, conſequenter dici nequit, dominum ignorari, ſi vel maxime ſatis certus fueris, venditorem hoc non feciſſe. Eſt nimirum in hoc caſu ignorantia vincibilis, cum inquirere poſſis, quinam iſtorum nummorum ſit dominus. Equidem cupiditas habendi facile perſuadet hominibus, ut rebus abditis, quas inveniunt, inhient easque a ſe inventas reticere ſoleant: non tamen hic quæritur, quid perverſis hominum moribus conveniat & quamnam excuſationem iisdem prætexant, ſed quid veritati conſentaneum ſit.

§. 331.

§. 331.

Theſauri quales ſint res.

Theſauri ſunt ἀδέσποτα. Etenim theſauri ſunt res mobiles abditæ, quarum dominus ignoratur (§. 328.). Enimvero res, quarum dominus ignoratur, adeoque perinde eſt ac ſi dominum non haberent, conſequenter domino adhuc carere cenſentur Quoniam itaque res, quæ domino adhuc carent, ἀδέσποτα ſunt (§. 313.). Theſauri ſunt ἀδέσποτα.

Sane *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 8. theſauros inter ἀδέσποτα refert, addita ratione, quod non apparet pro eo eſſe quod non ſit, conſequenter perinde eſſe, ac ſi nullus ſit dominus, ſi dominus ignoratur.

§. 332.

Cuinam theſauri acquirantur.

Si jus occupandi theſauros nemini adhuc fuerit proprium, ii fiunt inventoris: in caſu oppoſito acquiruntur ei, cui hoc jus proprium eſt. Sunt enim ἀδέσποτα (§. 331.). Enimvero ſi jus occupandi ἀδέσποτα nemini adhuc fuerit proprium, ea ſtatim fiunt occupantis; in caſu autem oppoſito ejus, cui jus fuerit proprium (§. 317.). Quamobrem ſi jus occupandi theſauros nemini adhuc fuerit proprium, iidem fiunt inventoris: in caſu oppoſito acquiruntur ei, cui hoc jus proprium eſt.

Ita ſentit *Grotius* loco paulo ante citato (*not.* §. 331.). Theſauri, inquit, naturaliter fiunt inventoris, id eſt ejus, qui loco moverit apprehenderitque. Et idem quoque ſtatuit Divus *Adrianus* §. 39. Inſt. de rer. div. Quando vero additur, ſi quis in alieno loco, non data ad hoc opera, ſed fortuito invenerit, dimidiam domino ſoli & dimidium inventori deberi, adeoque ſi quis in Cæſaris loco invenerit, dimidium inventoris & dimidium Cæſaris eſſe, conſequen-

Digitized by Google

ter etiam, ſi quis in fiſcali loco, vel publico, vel civitatis invenerit, dimidium eſſe debere fiſci, vel civitatis, dimidium vero inventoris; id prorſus civile eſt, nec ſatis convenit principiis Juris Romani ipſius de occupatione rerum nullius in fundo etiam alieno. Theſaurorum occupatione acquiritur dominium, quia dominum non habentes cenſentur nullius. Ubicunque igitur reperiantur, nullius ſunt, & jus occupandi commune manet, quamdiu nemini proprium factum juxta ſuperiora. Ipſa vero hujus juris occupatio cum legi naturæ conſentanea ſit (§. 216.), ob rationes civiles ſuo loco expendendas lege civili dominium theſauri inventi variis modis definiri poteſt, cui ſit tribuendum. Unde & l. un. C. de theſ. theſaurus in loco alieno inventus totus adſcribitur loci domino. Dimidia vero pars inventori non relinquitur, niſi quando caſu, non ſtudio perſcrutandi fuerit inventus. Per ſe autem unicuique patet, quæ ſuperius de occupatione rerum dominio vacuarum demonſtrata ſunt in anterioribus (§. 321. & ſqq.), ad theſauros quoque applicari poſſe, immo applicanda eſſe.

§. 333.

Cujusnam ſint fœtus animalium. *Quæ ex animalibus tuis nata ſunt, tua ſunt*, ſeu, *fœtus animalium tuarum tui ſunt.* Fœtus enim animalium cum ſint res ex re tua provenientes, res autem ex re tua provenientes fructus ſint (§. 956. *part. I. Theol. nat.*); fœtus igitur animalium tuorum ſunt fructus ex iis percipiendi. Enimvero dominium etiam continet jus fruendi (§. 136.), conſequenter de quolibet rei fructu pro arbitrio diſponendi (§. 135.), atque adeo rei tuæ fructus non minus ac res ipſa in dominio tuo (§. 118.), adeoque tui ſunt (§. 124.). Quamobrem fœtus animalium tuorum tui ſunt.

Idem ſtatuit Imperator §. 19. Inſt. de rer. div. Idem quoque §. 37. h. t. fœtus in pecudum fructu eſſe ſtatuit. Cum

Cum igitur fructus referendi ſint ad eam utilitatem ex rebus percipiendam, ob quam dominia introducta fuerunt; non alia ratione opus eſt, cur tua eſſe debeant, quæ ex animalibus tuis nata ſunt, quam quod in numero fructuum ſint. Rationes adeo, quas vulgo afferre ſolent interpretes juris civilis & quas videre licet apud *Mynzium* in Commentario, quas etiam conciſe refert *Pomeriſchius* in Tirocinio juris ad §. 19. h. t. nullam in Jure naturæ attentionem merentur.

§. 334.

Quando tua eſſe incipiant.

Fœtus adeo pecudum tuarum, agni, hædi, vituli, equuli, ſuculi ſtatim tui ſunt, quamprimum in lucem eduntur.

Non igitur ullo actu opus eſt ad acquirendum fœtus pecudum dominium.

§. 335.

Cujusnam ſit fœtus, qui naſcitur ex animali meo a tuo impragnato.

Si equus tuus prægnantem fecerit equam meam, quod ex ea naſcitur meum eſt, aut in genere, *ſi animal tuum imprægnaverit meum, mas nempe fœminam, quod natum eſt, meum eſt, non vero utriusque.* Si enim equus tuus prægnantem fecerit equam meam, aut in genere animal tuum imprægnaverit meum, hoc tamen non obſtante, quod animal tuum concurrat ad conceptionem, nec hæc absque ejus concurſu concipiatur poſſibilis, fœtus adhuc res eſt ex re mea proveniens, conſequenter fructus rei meæ (§. 956. *part. I. Theol. nat.*). Unde porro eodem, quo ante modo ſequitur, quod ex equa mea, vel in genere ex animali meo naſcitur, eſſe meum (§. 333.), adeoque non eſt utriusque.

Prior ſententia placuit *Pomponio* & *Ulpiano* lib. 5. ff. de rei vindic. poſterior magis arridet *Grotio* de J. B. & P. lib. 2. c. 8. §. 15. modo de patre probabili ratione conſtet. Rationem hanc reddit, quod certum ſit patris partem eſſe quod naſci-

naſcitur. Non jam urgere lubet, ex notione partis oſtendi minime poſſe, quod fœtus ſit pars genitoris, immo nec ſatis quidem intelligi, quo ſenſu dicatur pars ejusdem, niſi forſan quod, ubi ſpectatur tanquam effectus a genitore & genetrice productus, effectus hic ad genitorem ex parte ſit referendus tanquam ad ſuam cauſam: id quod tamen ad præſentem quæſtionem definiendam nullum momentum affert. Notaſſe ſufficit, non jam quæri, quomodo fœtus a patre & matre dependeat quoad actum; ſed cujusnam eſſe debeat, non invito dominio in alterutro animali generante jam acquiſito. Fœtus cum nondum extiterit, antequam naſceretur, per ſe nullius dominio ſubjacet. Videbatur adeo referendus inter ea, quorum dominium occupando acquiritur: id quod de fructibus arborum ſimili modo affirmandum. Enimvero cum dominia rerum acquiramus propter uſum, quem eædem nobis præſtare poſſunt, uſus vero non poſtremus ſit, quod res quædam fructus edant; dominium involvit jus fructus percipiendi, quatenus jus fructus occupandi ſimul cum re, quæ fructum proferre poteſt, occupatur. Atque hinc eſt, quod dominus rei jure percipiendi fructus excludat ceteros omnes, & hoc ſenſu fructus jam dicuntur ipſius antequam eos percipit, quia nemini niſi ipſi per naturam juris proprii acquiri poſſunt, quamprimum exiſtunt. Quodſi igitur quæratur, an fœtus tantummodo matris, an vero patris fructus ſimul ſit, cum in fructu tantummodo ſpectetur res, unde provenit, inſuper habitis cauſis ceteris, qui ad actum ipſius concurrunt, nemo non affirmaverit, fœtum non eſſe niſi fructum matris. Alia vero prorſus eſt ratio liberorum, in quos liberos jus naſcitur ex obligatione eos educandi, & qui non ſunt in numero rerum, quæ dominio noſtro utilitatis noſtræ gratia ſubjiciuntur. JCti igitur Romani fœtus animantium ab humanis recte diſtinxerunt, & de illis ex jure rerum judicium tulerunt, cum ſeductrix ſit analogia, quæ fingitur, inter fœtus

Digitized by Google

tus animantium & hominum. Ad fructus arborum etiam concurrit ſol. Ecquis vero ideo dixerit, fructus arborum ex parte eſſe arboris, ex parte vero ſolis; conſequenter cum arbor ſit in dominio, ſol minime, ſed uſus, quem nobis præſtat, omnium communius, eos ex parte domini arboris, ex parte communnes eſſe debere? Natura ipſa ſatis indicat, fœtus non eſſe tali parentum juri ſubjectos, quale eſt dominium rerum. Videmus enim promiſcuum eſſe coitum, ut pater ignoretur, ubi ſola mater fœtui educando ſufficit, ut adeo dici nequeat, natura fœtum eſſe & patris, & matris, conſequenter eorum, quorum in dominio eſt pater & mater. Hæc multo clariora evadent, vbi jus parentum in liberos evolverimus: tum enim dilucide conſtabit, jus iſtud prorſus diverſum eſſe a dominio, conſequenter ab eo ad dominium argumentationem fieri non poſſe. Atque tum etiam intelligetur, cur decipiat analogia, quæ ducitnr a liberis ad fœtus animantium: quæ ipſi *Grotio* viro alias valde acuto nebulas offudit.

§. 336.

An jus acquiſitum alteri invito auferri poſſit.

Jus acquiſitum nemo alteri invito auferre poteſt. Etenim jus eſt facultas agendi moralis (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum natura homo liber ſit (§. 146. *part. I. Jur. nat.*), adeoque in agendo independens a voluntate alterius (§. 152. *part. I. Jur. nat.*), ipſique permittendum, ut in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu contra jus tuum nil facit (§. 156. *part. I. Jur. nat.*); etſi jus acquiſitum homini auferri ſimpliciter non repugnet (§. 67. *part. I. Jur. nat.*), ipſius tamen eſt de jure ſuo ſtatuere quid velit, ſcilicet an velit manere ſuum, an fieri alterius. Jus igitur acquiſitum nemo alteri invito auferre poteſt.

Oſtendi etiam poteſt hoc modo. Jus ſuum unicui-
que

que tribuendum (§. 922. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter nemo quicquam facere debet, quod eſt contra jus alterius, ſed nonniſi ea facere tenetur, quæ ſalvo jure alterius fieri poſſunt (§. 921. *part. I. Jur. nat.*). Multo minus igitur alteri invito jus ſuum, conſequenter etiam acquiſitum auferre poteſt.

Demonſtrationem priorem ideo attulimus ut appareat, ex quo fonte fluat moralis impoſſibilitas alteri invito jus ſuum auferendi, nimirum ex libertate naturali. Hoc obſervaſſe utile erit in aliis, quæ ſuo loco demonſtrabuntur. Per ſe autem patet, nos hic non alia tradere, niſi quæ conveniunt ſtatui naturali, adeoque non extendenda ad ſtatum civilem, niſi quatenus per hunc naturalis non fuit immutatus.

§. 337.

Dominium quale ſit jus. *Dominium eſt jus acquiſitum.* Natura enim res communes ſunt (§. 7.) & quando a communione primæva receditur, dominia introducuntur (§. 140.), originarie occupando (§. 175.), adeoque facto quodam tuo acquirenda (§. 174.). Quoniam itaque jus acquiſitum eſt, quod ex ſola quadam obligatione connata non oritur, ſed interveniente demum facto quodam humano reſultat (§. 35. *part. I. Jur. nat.*); dominium jus acquiſitum eſt.

Ex obligatione naturali tum erga ſe ipſos, tum erga alios oritur jus communionis primævæ; ſed facto demum humano, nempe occupatione, interveniente in ejus locum ſuccedit dominium, quod adeo ex connata obligatione ſola non oritur.

§. 338.

An invito dominium auferri poſſit Quoniam dominum jus acquiſitum eſt (§. 337.), jus vero acquiſitum nemo alteri invito auferre poteſt (§. 336.); nemo

nemo quoque *alteri dominium rei ſuæ invito auferre poteſt*, conſequenter *quod meum eſt, me invito non poteſt fieri tuum.*

Hinc omnino etiam ſequitur, quod nemo alterum cogere poſſit, ut rem ſuam ſibi vendat. Invito enim auferres dominium, quatenus in te transferre cogitur invitus, quod ipſe retinere mallet, etiamſi pro re pretium ſolvat. Sed de hoc ſuo loco.

§. 339.

Species appellari ſolet res ſingularis ſeu individuum certæ ſpeciei. Hinc *ſpeciem facere* vel *ſpecificare* dicitur, qui ex materia aliqua facit rem certæ cujusdam ſpeciei, ſed diverſæ ab ea, cujus eſt materia. Unde & intelligitur, quid ſit *ſpecificatio*, nimirum actus, quo ex materia quadam efficitur res alterius ſpeciei. *Species & ſpecificatio quid ſit.*

E. gr. Si quis ex uvis vinum, olivis oleum fecerit, ex medicamentis emplaſtrum compoſuerit, ex auro, argento vel ære vas quoddam, ex tabulis ligneis navem vel menſam fabricaverit, ex lupulo & hordeo cereviſiam coxerit, ex ſaxo ſtatuam ſculpſerit; vinum, oleum, emplaſtrum, vas, navis, menſa, cereviſia, ſtatua dicuntur ſpecies, & qui ſpeciem fecit ſpecificans, actus vero, quo fecit, ſpecificatio.

§. 340.

Si quis ex aliena materia ſpeciem fecit, ea communis eſt materiæ domino & ſpeciei auctori pro rata ejus, quanti unum quodque eſt. Si quis enim ex aliena materia ſpeciem facit, cum quod meum eſt, me invito non poſſit fieri tuum (§. 338.), materiæ dominus dominium in eadem retinet. Enimvero cum pluris ſit ſpecies nova, quam materia fuerat; forma quoque, unde nova ſpecies pendet, perinde ac materia *Specificationis jus.*

æſtimabilis, & quoniam formam materiæ induxit ſpecificans, quin ea non domini materiæ, ſed ſpeciei auctoris ſit dubitari haud quaquam poteſt. Species itaque nova cum conſtet ex materia & forma, forma autem ſine materia ſubſiſtere non poſſit, quod per ſe notum; illa communis fieri debet pro rata ejus, quanti unumquodque eſt.

Si quis ex argento vas aliquod fecerit, vas argenteum commune erit argenti domino & fabro, qui vas fecit. Cumque vas argenteum maioris ſit pretii quam maſſa argenti, ex qua factum; forma vaſis, quam induxit argento faber, non minus æſtimari poteſt quam argentum ipſum. Vas igitur pro rata commune erit. Similiter ſi quis ex alienis tabulis navem fabricavit, navis pluris eſt, quam tabulæ erant. Atque adeo denuo forma navis non minus ſuum habet pretium, quam materia. Navis ergo communis eſt pro rata ejus, quanti ſunt tabulæ & quanti eſt forma navis. Idem tenendum de exemplis ceteris, quæ paulo ante adduximus (*not.* §. 239.). Probatur nobis *Grotii* ſententia lib. 2. de J. B. & P. c. 8. §. 19. etſi in Jure Romano aliter ſtatuatur §. 25. Inſt. de rer. div. Nimirum inter *Sabinianos* & *Proculianos*, ſeu *Sabini* & *Proculi* JCtorum ſectatores, agitata olim fuit controverſia de dominio ſpeciei ex aliena materia factæ. *Sabiniani* ejus eſſe dominium volebant, qui materiæ fuiſſet dominus, ea dubio procul de cauſa, quod tuum fieri nequeat altero invito, quod ſuum eſt (§. 338.). Enimvero qui formam inducit, quæ materiam in novam ſpeciem mutat, cum ea non minus ac materia ſit æſtimabile quid, formam pro re ſua habet, conſequenter nec ipſi quod ſuum eſt auferri invito poteſt (§. *cit.*). Eadem adeo ratione rejicitur *Sabinianorum* ſententia, qua admittitur. *Proculiani* ſpeciem ejus eſſe volebant, qui eam feciſſet, quia per eam eſſe cœpiſſet, quod ante non exiſtebat. Videbatur igitur ipſis nova ſpecies

res,

Digitized by Google

res, quæ antea nullius fuerat, adeoque acquiritur ei, qui eam fecit, conſequenter ut exiſteret voluit & fecit. Enimvero hinc omnino ſequitur, quod meum eſt me invito ſeu non volente poſſe fieri tuum, quia dominus materiæ dominium, quod habet in re ſua, amittit citra voluntatem ſuam, quod utique abſurdum (§. *cit*). Imperatori media placuit ſententia exiſtimantium, ſi ea ſpecies ad priorem & rudem materiam reduci poſſit, eum videri dominum ejus eſſe, qui materiæ dominus fuerit. Si non poſſit reduci, eum potius intelligi dominum, qui fecerit. E. gr. vas conflatum ex argento ad rudem materiam argenti reduci poteſt: vaſis ergo dominus dicendus erit dominus argenti. Oleum ad olivas referri non poteſt: dominium adeo olei tribuendum ei, qui ex olivis id expreſſit. Enimvero quis non videt, ſententiam hanc non minus pugnare cum principio, quod tuum te nolente meum fieri non poſſit, quam ſententias *Sabinianorum* & *Proculianorum*. Equidem *Connanus* non immerito improbat iſtam ſententiam; non tamen meliorem ſubſtituit, dum hoc unum videri vult, referente *Grotio* l. c. plus ne ſit pretii in opere (ſive forma), an in materia, ut quod pluris eſt, id prævalentia ſua ad ſe trahat, quod minus eſt. Etenim hic denuo ſive dominus materiæ, ſive ſpecificans ſe invito alterius fieri pati debet quod ſuum eſt. Patet adeo *Grotii* ſententiam cum principiis Juris naturalis magis cohærere, quam ceteras, & bene idem obſervat loc. cit. §. 21. ut majus ad ſe trahat minus, naturale eſſe facti, non juris, cum qui fundi pro viceſima parte dominus ſit, tam maneat dominus, quam qui partes habet novemdecim.

§. 341.

Quoniam in demonſtratione propoſitionis præcedentis tantummodo ſupponitur, novam ſpeciem ex aliena materia eſſe factam, minime vero, quod bona fide eam fece- *An hic attendenda ſit mala fides.*

rit

rit ſpecificans; *nova ſpecies ex aliena materia facta adhuc communis erit domino materiæ & ſpeciei autori pro rata ejus, quanti unum quodque eſt, etiamſi hic in mala fide verſetur*, hoc eſt, *etiamſi norit materiam eſſe alterius*.

Mala igitur fides nihil immutat. Quod vero nulla ſit objectio, quaſi hoc pacto ſecuritati dominorum periculum creetur, ſi cuilibet liceat pro lubitu ſuo ex aliena materia cum ſuo lucro ſpeciem facere, nec teneatur niſi de pretio materiæ refundendo; ex propoſitione ſequente pateſcit.

§. 342.

Quod ſpecificans malæ fidei injuriam faciat domino materiæ.

Si ex aliena materia mala fide ſpeciem feceris, injuriam facis domino materiæ. Quoniam enim dominus materiæ jure ſuo in ea te excludit (§. 120.), dum ex ipſius materia mala fide ſpeciem facis, ſciens ac volens contra jus ipſius agis, adeoque ipſi injuriam facis (§. 859. *part. I. Jur. nat.*)

Ecce igitur tibi! Domino materiæ, ex qua mala fide ſpeciem feciſti, competit jus te puniendi (§. 1061. *part. I. Jur. nat.*), adeoque impune hoc non facis. Unde *Grotius* loc. cit. §. 20. bene obſervat, quod ſpecificans malæ fidei ſpeciem perdat, aut potius operæ pretium juxta l. 12. ff. ad exhibend. eſſe pœnale, adeoque non naturale, non tamen ideo inique conſtitutum. Etenim ut ſpecificans malæ fidei puniatur, juri naturæ convenit: quod vero pœna ſemper eſſe debeat jactura formæ, aut, ſi mavis, pretii operæ; id quidem lege naturali determinatum non eſt.

§. 343.

Quid ſit juris, ſi ex parte materia

Si partim ex tua, partim ex aliena materia ſpeciem feceris, ſpecies denuo tua eſt, pro parte materiæ & formâ ſeu operâ, & domini materiæ pro ea materiæ parte; quæ ipſius eſt. Oſtenditur

tur eodem modo, quo communionem ſpecici demonſtravimus, ſi ea materia integra fuerit aliena (§. 340.). *fuerit ſpecificantis.*

Imperator loc. cit. dominium in hoc caſu tribuit ſpecificanti ſoli, cùm non ſolum operam ſuam dederit, ſed & partem ejusdem materiæ præſtiterit. Enimvero contra hanc definitionem militat, quod paulo ante ad §. 340. contra. *Connanum* monuimus.

§. 344.

Quid ſit juris ſi alius tuo nomine ſpeciem ex aliena materia faciat:

Si quis ex aliena materia alieno nomine ſpeciem fecerit, ea commnnis eſt pro rata materiæ domino & ejus, cujus nomine ſpecies facta. Etenim ſi alius tuo nomine ſpeciem fecit, perinde eſt, ac ſi ipſe eandem feciſſes, conſequenter tu in locum ejus ſuccedis & pro ſpecificante haberis. Quamobrem cum domino materiæ & ſpecificanti pro rata communis ſit nova ſpecies ex aliena materia facta (§. 340.); erit ea tibi & domino materiæ communis, ſi quidem alius tuo nomine ex aliena materia ſpeciem fecerit.

Nimirum quantum valet forma ob operam a ſpecificante præſtitam, id tuum cenſetur, quemadmodum alias ejus, qui ſuo nomine fecit.

§. 345.

Quod alieno nomine ſpecificans malæ fidei injuriam faciat domino materiæ.

Si quis ex aliena materia alieno nomine mala fide ſpeciem fecerit, injuriam facit domino materiæ. Eodem prorſus modo oſtenditur, quo ante demonſtravimus, ſi ſpecificans ſuo nomine in mala fide verſatur, eum injuriam domino facere.

Per ea, quæ paulo ante (*not.* §. 342.) annotavimus, intelligitur, ſpecificantem non impune alieno nomine ſpeciem facere, ſi in mala fide verſetur. Qualis vero eſſe debeat

pœna, jure civili non videtur definitum. Quodſi dicas operam perdere ſpecificantem (*not. cit.*); hæc pœna erit ejus, cujus nomine ſpecies facta. Dicendum igitur eſt, quod pœnam inter ſe communicent.

§. 346.

An excuſſio frumenti ex ſpicis ſit ſpecificatio.

Excuſſio frumenti ex ſpicis non eſt ſpecificatio. Qui enim frumentum ex ſpicis excutit, grana excutit, quæ ſub ea, qua comparent, forma in ſpicis jam continentur, conſequenter ex ſpicis non facit rem diverſæ ſpeciei ab ea, cujus eſt materia, unde fit, ſed tantummodo partem a parte ſeparat, una qualibet priſtinam formam retinente. Quoniam itaque ſpecificatione fit res ex quadam materia diverſæ prorſus ſpeciei ab ea, cujus eſt materia (§. 339.); excuſſio frumenti ex ſpicis ſpecificatio non eſt.

Perperam igitur in Inſtitut. §. 25. de rer. div. ad ſpecificationem refertur. Quamobrem & male ad eandem applicatur jus ſpecificationis. Unde non mirum, quod ſecundum jus inſtitutionum ſcyphus ſit domini argenti, frumentum vero ejus, qui ex ſpicis idem excuſſit; quod contra omnem rationem merito videtur *Manzio* in Comment. ad h. t. f. 262. b. n. 23.

§. 347.

Cujusnam ſit frumentum ex ſpicis alienis excuſſum.

Alienis ſpicis excuſſum frumentum ejus eſt, cujus & ſpicæ fuerint. Etenim grana frumenti jam ea forma, quam excuſſa habent, in ſpicis inexiſtunt, nec niſi excuſſa uſui ſunt. Quamobrem talia, qualia ſunt, poſtquam excuſſa fuerunt, jam ſunt in dominio ejus, cujus ſunt ſpicæ, ab ipſo etiam excutienda, niſi id factum fuiſſet ab alio. Quoniam igitur quod alterius eſt ipſo nolente tuum fieri nequit (§. 338.); nec grana, quæ ex ſpicis alienis excutiuntur,

untur, invito earum domino tua fieri poſſunt, ſed ipſius manent. Patet itaque alienis ſpicis excuſſum frumentum ejus eſſe, cujus ſunt ſpicæ.

Propoſitio præſens eſt *Gaji*, quæ totidem verbis legitur l. 7. ff. de acquir. rer. domin. Addit etiam is rationem, quod grana, quæ ſpicis continentur, perfectam habeant ſuam ſpeciem, nec qui excuſſit ſpeciem faciat: quæ eſt illa ipſa ratio, ob quam excuſſionem frumenti ex numero ſpecificationum eximendam eſſe demonſtravimus (§. 346.). Recte igitur *Weſenbecius* reprehendit compilatores Inſtitutionum, quod *Gaji* declarationem in exſcribendo omniſerint.

§. 348.

Acceſſorium dicitur, quod rei propriam formam jam habenti, vel per ſe certæ ſpeciei adjicitur, ut eidem quomodocunque cohæreat, vel inexiſtat. Unde etiam intelligitur, quid ſit *Acceſſio*, nimirum ipſa rei cujusdam ad alteram certam formam jam habenti adjectio, ut eidem quomodocunque cohæreat, vel inexiſtat. Sit ita, quod Acceſſorium & Acceſſio pro ſynonymis venditentur ab aliis, veluti *Schardio* in Lexico Juridico, qui: Acceſſorium, inquit, idem eſt quod acceſſio. *Acceſſorium quid ſit & Acceſſio.*

Acceſſio dicitur l. 19. ff. de aur. & arg. leg. quod alterius rei ornandæ vel augendæ gratia adjicitur. E. gr. Si ſcypho anſa, lecto fulcrum additur, anſa & fulcrum ſunt acceſſorium ſcyphi ac lecti. Si ſcypho aureo inſeruntur gemmæ, hæ erunt acceſſorium ſcyphi. Si purpura aſſuitur veſtimento ornatus gratia, erit ea veſtimenti aceſſorium. Obſervavit vero jam *Manzius* in Comment. ad §. 27. Inſt. de rer. div. n. 9. ut acceſſorium a re principali diſcernas, reſpiciendum ſubinde eſſe animum facientis: id quod etiam

etiam ex definitione noſtra ſequitur. E. gr. Si aurum margaritarum aut gemmarum cauſa adhibitum fuerit, ut eo commodius geri poſſint, aurum erit acceſſorium : quodſi vero margaritæ vel gemmæ auro ornandi cauſa adhibitæ fuerint, magaritæ & gemmæ erunt acceſſorium.

§. 349.

Res principalis quænam.

Res principalis vocatur, cui alia accedit.

Ita in exemplis, quæ dedimus, ſcyphus & lectus reſpectu anſæ & fulcri ſunt res principalis. Talis etiam ſcyphus eſt reſpectu gemmarum, purpura reſpectu veſtimenti. Ex iis autem, quæ ad illa exempla annotavimus, apparet, nunc acceſſorium eſſe poſſe, quod alias principalis res eſt. Ut ecce in exemplo dato aurum acceſſorium eſt gemmarum ea de cauſa adhibitum, ut hæ commodius geri poſſint, idem vero res principalis eſt, ſi gemmæ ornatus gratia adduntur.

§. 350.

Diviſio acceſſionis.

Acceſſio, quam natura facit, *naturalis;* quam facit homo, *artificialis* appellari ſuevit. Addunt alii *mixtam*, ubi natura & induſtria humana concurrunt, quæ ad imitationem diviſionis rerum *induſtrialis* dici poterat.

Acceſſio naturalis ſunt fluvialia incrementa, quæ fundus fluvio adjacens inſenſibiliter capit; artificialis exempla ſunt, quæ dedimus ante (*not.* §. 348.). Qui olera in horto pro acceſſione fundi habent, hanc ad acceſſionem mixtam ſeu induſtrialem referunt. Artificialis parum convenienter induſtrialis appellatur, quia uſu recepto loquendi *induſtriale* dici ſuevit, quod naturæ beneficio & induſtriæ humanæ ſimul debetur.

§. 351.

Alluvio quid ſit.

Alluvio eſt acceſſio naturalis, qua vi fluminis fundo adju-

adjacenti, veluti agro, inſenſibiliter adjiciuntur particulæ quædam terræ.

Hinc §. 20. Inſt. de rer. div. alluvio dicitur incrementum latens, & per eam adjici dicitur, quod ita paullatim adjicitur, ut intelligi non poſſit, quantum quovis temporis momento fuerit adjectum. Recte autem alluvio ad acceſſionem naturalem refertur tanquam ſpecies ad genus ſuum. Etenim ager eſt res immobilis certæ ſpeciei, & eidem adjicitur incrementum quoddam, cum eodem tanquam pars cohærens, quemadmodum fieri debet in acceſſione (§. 348.). Fit autem hoc vi fluminis, conſequenter non ars, ſed natura facit hoc incrementum. Atque ideo acceſſio naturalis eſt (§. 350.). Ne autem hæc acceſſio confundatur cum aliis, qua incrementum quoddam acquirit ager ſeu fundus flumini adjacens; alluvio ab aliis cognatis acceſſionibus per hoc diſtinguitur, quod incrementum ſit latens, hoc eſt, a ſucceſſiva particularum in terræ inſenſibiliter facta acceſſione pendeat.

§. 352.

Si res interit, dominium, quod in ea habes, interit. Quodſi enim res interit, exiſtere deſinit (§. 541.) *Ontol.*). Quamobrem impoſſibile eſt, ut de eà amplius quicquam diſponas, cum non amplius ſit. Quoniam itaque jus diſponendi de re pro arbitrio tuo dominium eſt (§. 118.); dominium tuum in ea deſinit, conſequenter dominium, quod in ea habes, interit (§. 541. *Ontol.*). *Dominium cum re interit.*

E. gr. Si pomis tuis veſcaris, dominium, quod tibi in iisdem erat, interit. Si ædes tuæ incendio conflagrant, dominium interit. Si pecus moritur putredine conſumenda, dominium interit.

§. 353.

Species quando intereat.

Species interire dicitur, quando ejus forma perit, materia tamen adhuc reſidua.

Conſtat res conſtare ex materia & forma, & ob hanc eandem certæ eſſe ſpeciei. Ita poculi argentei materia argentum eſt, ſed forma, quæ argento inducta fuit a fabro, dat eſſe poculi. Quodſi poculum argenteum liquefiat, ut forma pereat, maſſa tamen argenti adhuc reſidua; ſpecies interiiſſe dicitur, poculum nempe non amplius extat. Similiter ſpecies interit, ſi olla frangitur. Interit etiam ſpecies, ſi frangitur culter.

§. 354.

Quodnam dominium retineatur, intereunte ſpecie.

Si ſpecies interit, materiæ adhuc dominus manes. Quoniam enim res quælibet materia & forma conſtat, dominium tibi non modo in materia, verum etiam in forma, ob quam res certæ ſpeciei efficitur, habes. Quodſi ergo ſpecies interit, forma quidem ejus rei perit, adeoque eam dominii partem amittis, quæ a forma pendet, quatenus nullus amplius eſt ejus uſus, quem ob formam habet, nullum etiam pretium, quod propter hunc uſum eidem tribuitur, ut adeo hujus reſpectu tibi non amplius integrum ſit de re tua diſponere, conſequenter dominium nullum ſit (§. 118.), materia tamen adhuc reſidua manet (§. 353.), adeoque de hac tibi adhuc integrum eſt diſponere pro arbitrio tuo, conſequenter ea dominii capax (§. 118.). Quamobrem cum tibi dominium in re competat, quatenus ex hac materia & forma conſtat, quod per ſe patet; ſi ſpecies interit, materiæ adhuc dominus manes.

Si poculum argenteum liqueſit, maſſa, in quam argentum liquefactum confluit, tua manet. Si olla frangitur

tur, fragmina adhuc tua ſunt. Neque enim jam quæritur, num ea tanquam nullius uſus ac pretii tua amplius eſſe nolis, adeoque abjiciendo derelinquas (§. 249.), ut derelictione tua eſſe deſinant & nullius fiant (§. 251.). Acute nimirum diſcernenda ratio eſt, ob quam dominium amittis.

§. 355.

Res quando pereat.

Res perire dicitur, ſive ipſa intereat, ſive ejus ſaltem ſpecies.

E. gr. Si incendio ædes conflagrant, res ipſa interit, ædes adeo perire dicuntur. Si poculum argenteum liquefit, vel olla frangitur, ſpecies interit: poculum adeo & olla periiſſe dicuntur. Equidem vulgo non diſtinguitur, an res intereat, an pereat; non tamen inutile eſt, hæc a ſe invicem diſtingui.

§. 356.

Cuinam res pereat.

Res perit ſuo domino. Etenim quando res perit, vel ipſa interit, vel ejus ſaltem interit ſpecies (§. 355.). Quoniam itaque res interit, dominium interit (§. 352.), ſi vero interit ſpecies, materiæ ſaltem dominus manes (§. 354.); ubi res perit, ea vel prorſus non, vel ſaltem, quatenus erat hujus ſpeciei, tua eſſe amplius nequit (§. 124.). Tibi igitur domino perit.

Nimirum ſi res interit, cum dominium intereat rei totius, quatenus ſcilicet materia & forma conſtat (§. 352.), tibi vero eſſet dominium; tu amiſiſti dominium, non alius, quem eodem excludebas (§. 120.). Idem eodem modo patet, ſi ſpecies interit, quod ſcilicet tibi pereat res, quatenus hanc habet formam, ſeu hujus ſpeciei eſt. Ita ſi poculum liquefit, poculum tibi perit, etſi adhuc argentum, quod liquefactum in maſſam confluit, tuum ſit, cum nulla ſit

ratio, cur dominium in materia amittere debeas, quod adhuc ſubſiſtere poteſt. Res tibi perit, quatenus amittis dominium, quod in eo habes. An vero damnum, quod inde ſentis, tu ferre debeas, an alii ſit imputandum, ſuo loco disquirendum. Res ſemper perit domino ſuo, ſed non ſemper damnum, quod inde emergit, ferre debet. Aliud enim eſt amittere jus quoddam, quod habes, aliud ferre damnum, quod inde reſultat.

§. 357.

Quomodo dominium in parte fundi fluvio adjacentis amittatur.

Si fluminis vi particulæ quædam terræ inſenſibiliter abraduntur, ut ſucceſſu temporis fundus tuus eidem adjacens ſenſibile patiatur decrementum, vel etiam partes ſenſibiles uno impetu abripiuntur, & in aqua diſſolvuntur vel a flumine avehuntur; in ea parte, quæ fundo tuo detrahitur, dominium amittis. Etenim in utraque hypotheſeos propoſitionis præſentis parte patet, partem fundi tui interire (§. 541. *Ontol.*). Quoniam itaque dominium interit (§. 352.), & res, quæ perit (§. 355.), tibi domino perit (§. 356.); dominium illius partis fundi amittis.

Si dominium interit, impoſſibile eſt, ut idem retineas, adeoque id admiſiſſe utique dicendus es. Non licet excipere, interire ſaltem ſpeciem, cum materia non annihiletur ſed adhuc ſuperſit in rerum natura. Neque enim ullibi in unam maſſam coacervata exiſtit, ut dicere poſſis hanc terram eſſe, quæ a fundo tuo fuit detracta, quemadmodum certo conſtat, maſſam argenti eſſe eam, ex qua conſtabat poculum tuum, vel fragmina vitri eſſe ea, ex quibus componebatur tanquam partibus ſcyphus vitreus tuus. Sane quando alluvio fit, non omnes particulæ terræ, quæ a fundo tuo abraduntur, fundo alterius adjiciuntur, nec eæ ſolæ, ut totum incrementum, quod alluvioni debetur, dici poſſit a fundo tuo venire. Alia igitur prorſus ratio eſt,

Digitized by Google

eſt, ſi ſpecies interit, quam ſi flumen fundo tuo damnum aliquod infert, & vel hac materia utitur ad aliud producendum, quod ante non erat. Sane omne corpus, ſi interit, ita diſſolvitur, ut materia non in nihilum abeat, ſed diſpergatur, vt nemo eandem rurſus in unam maſſam cogere poſſit, quemadmodum accidit, ubi vi fluminis pars quædam fundi adjacentis interit.

§. 358.

Quod per alluvionem flumen fundo adjacenti adjicit, incrementum natura nullius eſt. Per alluvionem enim inſenſibiliter adjiciuntur particulæ, ut cum fundo adjacente coaleſcant & ſenſibile tandem incrementum oriatur, per modum partis fundo cohærens (§. 351. 348.). Hæc pars eſt res nova naturæ vi producta ex materia rei alterius intereuntis, in qua dominium ſuum amiſit dominus (§. 357.). Quoniam igitur natura res omnis nullius eſt, incrementum quoque, quod per alluvionem flumen fundo adjacenti adjicit, nullius eſt. *Cujusnam ſit quod per alluvionem adjicitur.*

Non contradicit hoc juri Romano, quo tibi acquiritur, quod per alluvionem agro tuo adjicitur. Neque enim hic quæritur, cuinam acquiri debeat fluviale hoc incrementum, ſed quale ſit, ſi in ſe ſpectetur. Producitur hic naturæ ope pars fundi, quæ ante non extiterat, ex particulis terreis, quæ flumini inſunt, aliorum fundorum partibus ſucceſſive ac inſenſibiliter pereuntibus, quemadmodum res omnis, quam natura facit, producitur ex materia, quæ eſt ex interitu rerum aliarum. Natura vero nemini tribuit jus quoddam proprium in re, quam producit. Sed eam communem facit omnibus, adeoque nullius in ſingulari.

§. 359.

Quod per alluvionem flumen fundo adjacenti adjicit, occu- *A quonam* *pantis acquiritur.*

Digitized by Google

pantis ſit, quamdiu jus occupandi nemini fuerit proprium. Eſt enim natura nullius (§. 358.), adeoque dominium ejus originarie acquiritur. Quamobrem cum occupatio ſit modus acquirendi originarius (§. 178.), & jus occupandi indifferenter competat omnibus (§. 179.), quamdiu nullius dominio ſubjectum (§. 217.), conſequenter nemini proprium fuerit (§. 118.); quod per alluvionem fundo adjacenti flumen adjicit, occupantis fit, quamdiu jus occupandi nemini proprium fuerit factum.

Hæc minime contraria ſunt menti *Grotii*, quemadmodum haud obſcure intelligitur ex iis, quæ lib. 2. c. 8. §. 11. leguntur: quæ enim ibidem & in aliis articulis diverſa tradit, utique ſupponunt, jus occupandi a populo in dominium eſſe deductum. Nos cum hic homines nondum conſideremus, quatenus in populos coiverunt, ſed quatenus adhuc in libertate naturali vivunt; de jure, quod obtinet, imperio introducto hic nondum agimus, ſuo loco demonſtraturi, quæ huic ſtatui conveniant.

§. 360.

Cujusnam ſit pars a fundo alterius vi fluminis detracta.

Si vis fluminis de tuo fundo partem aliquam detraxerit & vicini fundo attulerit, tua manet, quam diu eam non derelinquis. Etenim ſi vis fluminis de tuo fundo partem aliquam detraxerit, cum adhuc extet, minime interit (§. 541. *Ont.*); ſed locum ſaltem mutavit. Quamobrem cum alterius te invito fieri nequeat, quod tuum eſt (§. 338.), pars de fundo tuo detracta & vicini fundo allata tua adhuc manet. *Quod erat unum.*

Enimvero domino competit jus rem ſuam derelinquendi (§. 256.), conſequenter etiam partem vi fluminis fun-

ſundo tuo detractam & vicini fundo allatam. Quoniam igitur dominus eſſe deſinit, quamprimum quis rem derelinquit (§. 250.), & ea pro re nullius habenda, quamprimum derelicta præſumi poteſt (§. 265.); ſi vis fluminis de tuo fundo partem aliquam detraxerit & vicini fundo attulerit, tua non manet, niſi quamdiu eam non derelinquis. *Quod erat alterum.*

Conveniunt hæc cum iis, quæ tradit Imperator §. 21. Inſt. de rer. div. etſi nondum definiamus, quandonam derelictio præſumi debeat. Notandum vero, bene jam obſervatum fuiſſe a *Grotio* l. c. §. 8. quæ de hoc argumento ab Autoribus traduntur, ea magnam partem eſſe ex inſtituto quarundam gentium, neutiquam a naturali jure, quanquam ipſi ſæpe inſtituta ſua eo nomine venditent.

§. 361.

Violenta ablatio partis de fundo tuo in alienum vi fluminis aut alio caſu facta *Avulſio* dici ſolet. *Avulſio quid dici ſoleat.*

Cum ab alluvione manifeſto differat (§. 351.), nomine quoque ab eadem recte diſtinguitur, præſertim cum jus alluvionis & avulſionis non idem ſit (§. 351. & ſqq.). Ceterum avulſionem non modo vi fluminis fieri exemplo eſſe poteſt, ſi pars quædam montis violento caſu avulſa una cum arboribus in agrum vicinum transfertur, ut, qui pratum fuerat, ſubito in ſylvam mutatus appareat: quale quid ante annos haud ita multos in loco aliquot milliaribus Francofurto ad Mœnum diſtante accidiſſe memini.

§. 362.

Agri vel certa menſura comprehenduntur, puta per centurias & jugera, vel certis limitibus circumſcribuntur, ſive artificialibus, ſive naturalibus, quales ſunt montes, fluvii, ſyl- *Agrorum diviſio.*

Digitized by Google

ſylvæ. Illos cum *Grotio* de J. B. & P. lib. 2. c. 3 §. 16. n. 1. *aſſignatos*, iſtos *limitatos*, hos *arcifinios* appellare lubet.

Romani agros diſtinxerunt in aſſignatos, limitatos & arcifinios; ſed non eodem prorſus ſenſu. Ager enim limitatus dicebatur, qui certa centuriarum & jugerum menſura comprehendebatur; aſſignatus, qui tantummodo per extremitatem menſura comprehendebatur; arcifinius denique, qui nulla menſura continebatur. Unde *Gronovius* in Notis *Grotium* reprehendit, quod auctores finium regundorum valde defunctorie legerit. Erat autem centuria 100. vel 150. jugerum; vero in longitudinem numerabat pedes 240, in latitudinem 120. Diviſio agrorum, prout a nobis datur, inſtituto præſenti convenientior. Etenim ſi diviſione ſimul occupantibus aſſignatur ager juxta certam menſuram (§. 193.), erit aſſignatus; ſi quis fundum occupat limitibus circumſcribendo (185.), ager limitatus eſt; ſi denique quis fundo limites naturales habenti inſiſtit verbisque declarat, præſentibus aliis, ſe velle eum eſſe ſuum (§. 187.), hoc modo occupatus ager arcifinius eſt. Videmus adeo agrorum diviſionem, quam dedimus, optime reſpondere diverſis modis immobilia occupandi, quibus originarie acquiritur eorum dominium. Mox etiam patebit, hanc agrorum diviſionem percommodam eſſe in jure alluvionis prohibito definiendo. Nemo igitur nobis vitio vertet, quod terminos Romanorum noſtræ diviſioni aptaverimus, cum Romanorum diviſio extrinſecis rationibus nixa nobis non eundem præſtet uſum.

§. 363.

Quando jus alluvionis cum agro occupetur.

Si ager fuerit arcifinius & fluvio adjaceat, qui occupatur, jus alluvionis ſimul occupatur, minime vero, ſi aſſignatus vel limitatus fuerit. Si ager arcifinius eſt, terminos naturales habet (§. 362.), conſequenter ſi fluvio adjacet, terminus ipſius

ipſius fluvius eſt. Quodſi ergo eum occupas, eo utique animo eundem occupas, ut fluvius ſit terminus agri tui. Quoniam vero hoc fieri nequit niſi tuum fiat, quod per alluvionem adjicitur, hoc ipſum vero occupantis fit (§. 359.), jus autem occupandi dominio ſubjici, ſeu & ipſum occupari poteſt (§. 216.); qui agrum tanquam arcifinium occupat, jus occupandi quod per alluvionem adjicitur ſimul occupat (§. 351.). *Quod erat unum.*

Si ager aſſignatus eſt, certa menſura comprehenditur; ſi vero limitatus, limites artificales habet (§. 362.). Quodſi ergo eum occupat ut aſſignatum aut limitatum, hoc ipſo non vult, ut hic ultra limites, ille ultra menſuram, qua comprehenditur, extendatur. Quamobrem ſi vel maxime ager limitatus & aſignatus attingat fluvium; non tamen dici poteſt, quod occupator voluerit jus occupandi quod flumen adjicit ſibi eſſe proprium. Qui ergo agrum occupat tanquam aſſignatum, vel limitatum, jus alluvionis minime occupat (§. 351). *Quod erat alterum.*

Non eſt, quod dicas, propoſitionem præſentem adhuc eſſe veram, etiamſi termini ſumantur in eo ſignificatu, quem ipſi tribuerunt Romani. Etenim cum ager aſſignatus certa centuriarum & jugerum menſura, aſſignatus vero tantummodo per extremitatem menſura comprehendatur (*not.* §. 368.); pars altera propoſitionis adhuc vera erit & eodem modo demonſtrabitur, ſi Romanorum ſignificatum retineas. Quoniam vero ager arcifinius nulla menſura comprehenditur; non repugnare, ut per alluvionem augeatur. Enimvero hoc pacto ſaltem non repugnat, ut jus alluvionis cum agro quà arcifinio una occupetur, non vero jus alluvionis dominio, quod occupando acquiritur, ſimul ineſt, quemadmodum ex prima demonſtrationis parte intelligitur.

§. 364.

Quando jus alluvionis cum agro arciſinio non occupetur.

Si inter agrum arciſinium, quem occupas, & fluvium via publica intercedit; jus alluvionis cum agro ſimul non occupatur. Etenim ſi inter agrum arciſinium & fluvium via publica intercedit, cum ager arciſinius terminos habeat naturales (§. 362.), via publica terminus eſt, ad quem usque ager, qui occupatur, pertingere debet. Quoniam igitur quod flumen per alluvionem adjicit, ultra viam publicam ſitum eſt & per eam ab agro ſejungitur; occupator, dum agrum occupat tanquam arciſinium, hoc ipſo facto minime declarat, quod jus occupandi per alluvionem ripæ adjectum ſuum eſſe velit. Quamobrem nec dici poteſt, jus alluvionis cum agro ſimul fuiſſe occupatum, ſi is arciſinius fuerit & inter eum atque fluvium via publica intercedit.

Nimirum in hypotheſi propoſitionis præſentis neceſſe non eſt, ut dominio ſimul inſit jus alluvionis. Quodſi dicas terminum eſſe debere fluvium, ſed ea lege, ut inter fluvium & agrum via publica relinquatur; caſus præſens non amplius ſubſiſtit, ſed in præcedentem degenerat. Quod vero jam ante monuimus, hic denuo inculcamus, nos jus alluvionis hic non conſiderare, niſi quale eſſe debeat in ſtatu natuuali, imperio civili nondum introducto, quod ſupponitur in Jure Romano.

§. 365.

Inſula quid ſit.

Inſula eſt terra aquis undique circumflua.

Diviſio in *naturalem*, quæ ſemper fuit, veluti Creta, Sardinia, Corſica, & *caſualem*, quæ in flumine, vel mari naſcitur, cum antea ibidem nulla eſſet, nullius eſſe momenti. Neque enim exiſtimandum eſt, ſaltem probari nequit inſulas iſtas, quas naturales appellant, cum ipſo mundo cœpiſſe.

piſſe, etſi de illarum origine in Hiſtoricorum voluminibus nihil memoriæ fuerit proditum. Certe in præſenti nullum habet uſum, ubi nonniſi de iis inſulis loquimur, quæ in mari & fluvio nunc demum naſcuntur. *Vitruvius* Inſulas vocat ædes, quæ nullas ulla ex parte contiguas habent. Idiomate vernaculo frenſtehende Häuſer appellamus. In hoc ſignificatu vocabulum etiam occurrit in Jure Romano.

§. 366.

Quot modis inſula fiat.

Quoniam inſula terra eſt aquis undique circumflua (§. 365.); *inſula*, quemadmodum recte *Pomponius* obſervat l. 30. ff. de acqu. rer. domin. *in flumine fit, cum agrum qui alvei non fuit, amnis circumfluit; cum locum, qui alvei eſſet, ſiccum relinquit & circumfluere cœpit; cum denique paulatim colluendo locum eminentem ſupra alveum facit & eum alluendo auxit.*

In caſu primo ager, qui jam erat & adhuc ſubſiſtit, inſula fit, non vero inſula oritur: in duobus autem caſibus reliquis cum terra, quam aqua circumfluit, antea non extaret, ſaltem aquis ſubmerſa pars alvei exiſteret, inſula demum oritur (§. 541. *Ontol.*), ſeu naſcitur. Et in tertio inprimis caſu naſcitur ſucceſſive & per inſenſibilia incrementa augetur.

§. 367.

Cujusnam ſit inſula, quæ fit primo modo.

Si inſula in flumine fit, cum agrum, qui alvei non fuit, amnis circumfluit; inſula ejus eſt, cujus fuerat ager. Quodſi enim inſula in flumine fit, cum agrum, qui alvei non fuit, amnis circumfluit; ager tuus adhuc extat, nec in ipſo quicquam mutatum, idem adhuc, qui fuerat ante. Nulla igitur ratio eſt, cum invito te dominium tibi auferri non poſſit (§. 338.), cur dominium amitttere debeas. Ager igitur adhuc tuus eſt, conſequenter inſula tua eſt (§. 70. *Ontol.*).

 Idem

Idem ſtatuit *Pomponius* l. c. Hoc enim modo cauſam proprietatis non mutari ait. Valet autem hoc in omni ſtatu, non minus in civili, quam naturali, prouti ex demonſtratione facile intelligitur. Non omnia jura, quæ in ſtatu naturali ſunt, per civilem immutantur; ſed ſaltem ea, quæ introductum imperium civile vel immutari juſſit, vel ſuaſit, prouti ſuo loco oſtendetur.

§. 368.

Cujusnam ea, quæ ſecundo modo oritur.

Si inſula in flumine fit, cum locum, qui alvei fuit, ſiccum relinquit & circumfluere cœpit, alveus vero fuerit occupatus; inſula ejus eſt, cujus eſt alveus; in caſu oppoſito nullius eſt, a quolibet occupanda, quamdiu jus inſulas in flumine natas occupandi nemini proprium fuerit. Quodſi enim inſula in flumine fit, cum locum, qui alvei fuit, ſiccum relinquit & circumfluere cœpit; inſula non eſt niſi pars alvei. Et quamvis fluvius recedens ex viciuis agris terram detrahat, ut alveum ex parte mutet in ea tamen parte, quæ iis detrahitur, dominium extinguitur (§. 357.), nec dici poteſt inſula ex terra agri tui facta. Quamobrem ſi alveus occupatus fuerit, pars quoque alvei, quæ ſicca relinquitur ejus adhuc eſt, cujus ante fuerat (§. 338.). Quodſi ergo inſula in flumine occupato fit, cum locum, qui alvei eſſet, ſiccum relinquit & circumfluere cœpit; inſula ejus eſt, cujus eſt alveus. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi fluvius adhuc a nemine fuit occupatus, alveus adhuc nullius eſt (§. 7.). Eodem igitur, quo ante, modo patet, in caſu propoſitionis præſentis inſulam eſſe nullius, conſequenter cum jus occupandi omnibus indifferenter competat (§. 179.), quamdiu nemo id dominio ſuo ſubjicit (§. 217.), a quolibet occupanda, quamdiu

diu jus inſulas in flumine natas occupandi nemini proprium fuerit (§. 118.).

Non contradicunt hæc iis, quæ *Grotius* habet lib. 2. c. 8. §. 9. ſed potius principia ſunt, ex quibus ſuo loco demonſtrabitur, quod ſtatuit *Grotius*, ubi inquiremus, qualia ſint jura, imperio civili introducto, poſtquam homines in populos coiverunt. Ceterum in ſe non repugnat, ut partem alvei in ſtatu naturali etiam occupet, qui voluerit. Etſi autem jus piſcandi occupari poſſit in aliqua fluvii parte (§. 218.); non tamen hinc ſequitur, eam quoque alvei partem ab eo fuiſſe occupatam, cui eſt in ea jus piſcandi proprium. Etenim alveus occupari poteſt ſine jure piſcandi & jus viciſſim piſcandi absque alveo, neque adeo repugnat, ut alius ſit jus piſcandi, alius vero alveus.

§. 369.

Cujusnam qua tertio modo ſit.

Si inſula in flumine fit, cum amnis paulatim colluendo locum eminentem ſupra alveum fecit & eum alluendo auxit; inſula ea, nullius eſt, adeoque cuilibet occupanda, qui voluerit, quamdiu jus occupandi nemini proprium. Etenim inſula in flumine fit, cum amnis paulatim colluendo locum iminentem ſupra alveum fecit & eum alluendo auxit; eodem modo ea oritur, quemadmodum incrementum, quod per alluvionem fluvius agro adjacenti adjicit (§. 351.). Quoniam itaque hoc incrementum natura nullius eſt (§. 358.); inſula quoque in caſu propoſitionis præſentis nullius eſſe debet. *Quod erat unum.*

Enimvero quod per alluvionem flumen fundo adjacenti adjicit, incrementum occupantis fit, quamdiu jus occupandi nemini fuerit proprium (§. 359.). Quamobrem in caſu propoſitionis præſentis inſula quoque in flu-

mine nata a quolibet occupari poteſt, quamdiu jus occupandi nemini proprium fuerit. *Quod erat alterum.*

Nihil refert in caſu propoſitionis præſentis, utrum alveus fuerit occupatus, nec ne. Neque enim in præſenti caſu inſula eſt pars alvei, quemadmodum in caſu propoſitionis præcedentis, etſi in parte alvei naſcatur. Dum enim colluendo primum, deinde alluendo naſcitur inſula, ut locus, qui fuerat pars alvei, ejus pars amplius eſſe non poſſit, ea pars alvei interiiſſe cenſetur, conſequenter ſi in ea dominium habueris, hoc ipſum interit (§. 352.).

§. 370.

Inſula in mari nata cujusnam ſit.

Inſula in mari nata nullius eſt & fit occupantis, quando jus occupandi nemini proprium fuerit. Si enim inſula in mari naſcitur, ſeu oritur, exiſtere incipit, cum antea non eſſet (§. 541. *Ontol.*), nec quisquam dicere poteſt, eam ex materia ſua a natura eſſe factam, quod per ſe patet. Quamobrem cum natura res nemini faciat proprias, ſed natura potius res omnes nullius ſunt (§. 7.); quin inſula in mari nata nullius ſit dubitandum non eſt. *Quod erat unum.*

Eodem igitur modo, quo idem de inſula modo ſecundo in flumine nata demonſtravimus (§. 368.), porro oſtenditur, inſulas in mari natas fieri occupantis, quamdiu jus occupandi nemini proprium factum. *Quod erat alterum.*

Hinc JCti Romani, qui jus occupandi omnibus voluerunt eſſe commune, nec cuiquam proprium fieri poſſe agnoverunt, inſulam in mari natam occupantis eſſe ſtatuerunt tanquam rem nullius l. 7. ff. de acqu. rer. dom.

§. 371.

§. 371.

Cujusnam quam flumen violentum ab agro tuo facit.

Si flumen tam violentum decurrat, ut alveum mutans ab agro tuo faciat inſulam, hæc tua eſt: quodſi ex communi fecerit, ſit inſula, pro rata ejus, quod uniuscujusque fuit, communis erit. Etenim ſi flumen tam violentum decurrens, ut alveum mutans ab agro tuo faciat inſulam, eam ex materia tua feciſſe creditur. Quamobrem cum eo in loco jam flumen decurrat, in quo erat ager tuus, & inſula facta, ubi antea decurrebat, ex materia agri tui facta fuit, flumen agrum tuum in alium locum tranſtuliſſe cenſetur eo, quo ante erat, loco occupato. Quoniam igitur hæc locorum permutatio nulla ratio eſt, eur dominium amiſiſſe videaris (§. 56. *Ontol.*); quin dominium in re in alium locum tranſlata adhuc retineas invito non auferendum (§. 338.), dubio caret. Inſula igitur, quam ab agro tuo fecit flumen adeo rapidum decurrens & alveum mutans tua eſt. *Quod erat unum.*

Non abſimili modo patet, inſulam communem pro rata ejus, quod uniuscujusque fuit, eſſe debere, ſi eam ex communi fecit flumen. *Quod erat alterum.*

Caſus hic non fingitur, ſed exemplo Padi, qui Italiæ fluvius eſt, defenditur. Et *Aggenus Urbicus* de limitibus agrorum tit. de controverſis autor eſt, eam, quæ nobis placet, ſententiam arriſiſſe *Caſſio Longino*, cum circa Padum ageretur.

§. 372.

Cujusnam ſit alveus derelictus.

Naturalis alveus a flumine ad aliam partem fluente in univerſum derelictus ejus manet, a quo antea fuerat occupatus: in caſu oppoſito nullius eſt, a quolibet occupandus, qui voluerit, quamdiu jus occupandi nemini proprium factum eſt. Per ſe patet, ſi flu-

ſi flumen ad aliam partem fluens alveum naturalem in univerſum derelinquit, cum adhuc totus extet, ejus eſſe debere, cujus erat antea: quando flumen per eum decurrebat (§. 338.). Quamobrem ſi alveus fuerat occupatus, adeoque in alicujus dominio (§. 175.), ejus manet, a quo antea fuerat occupatus: Quodſi vero a nemine fuerat occupatus, conſequenter adhuc nullius (§. 174.), nullius etiam erit, ubi derelinquitur. Unde cum occupatio modus acquirendi originarius ſit, (§. 178.), quo acquiruntur res nullius (§. 176.), a quolibet occupari poterit, qui voluerit (§. 179.), quamdiu jus occupandi nemini adhuc proprium factum eſt (§. 217.).

Non abeunt hæc a mente *Grotii* lib. 1. c. 8. §. 9. modo ſtatum naturalem, cum quo nobis jam negotium eſt, non confundas cum civili, ad quem totum animum convertit *Grotius*, quemadmodum jam ante monuimus, nec ſine ratione iterato inculcamus. Quod vero JCtis Romanis placuit Inſt. §. 23. de rer. div. & §. 7. ff. de acqu. rer dom. id civile eſt & perperam pro jure naturali venditatur. Poteramus propoſitionem præſentem etiam reducere ad modum ſecundum, quo inſula fit in flumine (§. 368.).

§. 373.

Alveus fluminis & Ripæ quid ſint: item Littus. Quemadmodum hactenus per *Alveum fluminis* intelleximus foſſam, per quam flumen decurrit, ita *Ripæ* vocantur alvei extremitates: ut adeo alveus non concipiatur ſine ripis, atque adeo hæ ejus ſint partes. In mari *Littora* dicuntur.

Idiomate Germanico Ripa & Littus communi termino dicuntur das Ufer, ita tamen ut in priori caſu cum addito dicamus das Ufer des Fluſſes, in poſteriori das Ufer des Mee-

res,

res, oder der See, niſi jam ex contextu appareat, de quo ſermo ſit.

§. 374.

Quoniam ripæ alvei partes ſunt (§. 373.), *cujus totus alveus eſt, ejus etiam ripæ ſunt.* Sed quia ripæ ſimul ſunt termini, ſeu extremitates fundorum ſeu agrorum fluvio adjacentium, & eas adverſus vim fluminis muniri haud raro intereſt domino fundi ſeu agri: *ripæ qua termini fundi ſeu agri ſunt ejus, cujus eſt fundus, ſeu ager fluvio adjacens quæ pars alvei ejus, cujus alveus eſt.* Unde porro ſequitur, *ripas oppoſitas qua terminos fundorum & agrorum in diverſorum dominio eſſe poſſe, etſi qua extremitates alvei in unius dominio ſint.* *Cujusnam ſint ripæ.*

Nihil abſurdi habet, quod in una eademque re, quæ diverſis hominum uſibus una ſervit, reſpectu uſus unius tibi competat in eadem dominium, reſpectu vero alterius alteri, conſequenter cum dominium etiam involvat proprietatem (§. 136.), adeoque jus diſponendi de ipſa ſubſtantia rei (§. 135.), quatenus hoc uſus exigit, cujus reſpectu dominium alicui competit. Aqua fluminis qua aqua in communione poſitiva eſt, immo in primæva relicta (§. 208.), quatenus tamen per alveum fluit, adeoque flumen conſtituit, in dominio populi vel Principis, qui populi jus habet, quemadmodum ſuo loco oſtendetur, id quod nemo non largitur. Una igitur eademque res diverſo reſpectu diverſi juris eſt.

§. 375.

Quia dominium riparum qua terminorum fundi & dominium earundem qua partium duo diverſa jura ſunt (§. 374.), quorum unum qui habet eodem excludit alterum (§. 120.), nemo autem quicquam facere debet, quod eſt contra jus alterius (§. 170. *part. I. Jur. nat.*); *ſi dominium riparum qua partium alvei & dominium earundem qua terminorum agri* *Circa uſum hujus juris obſervanda.*

agri diverſorum fuerit, quilibet eorum jure ſuo uti debet, ne quid fiat contra jus alterius.

Non exiſtimandum eſt, quæ de diverſo dominio riparum hic traduntur ſteriles eſſe ſubtilitates. Etenim ex hoc fonte fluit reſolutio multarum quæſtionum in Jure naturali, quæ adeo intricatæ habentur, ut in iis reſolvendis inter ſe concordare non potuerint viri Juris peritiſſimi.

§. 376.

Reditus alvei ad ſpeciem priſtinam.

Si flumen alveum novum, per quem fluere cœpit, iterum derelinquit; alveus redit ad ſpeciem priſtinam, quam ſcilicet ante habuerat. Si enim flumen alveum novum, per quem fluere cœpit, iterum derelinquit, cum is non amplius aqua tegatur, fundus erit, qui prati vel arvi uſum præbet, aut in quo ædes extrui poſſunt. Enimvero antequam aqua tegeretur & flumen per eum fluëret, fundus itidem erat, qui prati vel arvi uſum habebat, & in quo, ſi commodum videretur, ædes extrui poterant. Derelictus igitur redit ad eam ſpeciem, cujus antea fuerat.

Triplici modo contingit, ut fluvius alveum novum, quem ſibi fecit, iterum derelinquat. Etenim vel in priſtinum alveum reverti, vel novum denuo uno veluti impetu ſibi facit, vel denique paulatim a ripa recedit, ut aut alveus contrahatur, aut ultra ripam oppoſitam extendatur.

§. 377.

Cujusnam ſit alveus novus priori in univerſum derelicto.

Si fluvius alveo in univerſum derelicto ad aliam partem fluens ſibi fecerit alveum ex agro tuo; poſſeſſionem agri amittis, alveus novus qua alveus ejus eſt, cujus eſt flumen, aut nullius, ſi hoc fuerit: in eo vero adhuc dominium retines, quatenus a flumine iterum derelinqui poteſt, & ſi ripa novi alvei fuerint pars agri tui aut

tui ejuſdem termini, adhuc tua ſunt. Si enim fluvius alveo in univerſum derelicto ad aliam partem fluens ſibi fecerit alveum ex agro tuo; ager tuus omnem amittit uſum, quem antea habebat, & quamdiu aqua tegitur, nonniſi alvei uſum habet, nimirum ut aquam contineat & per ſe decurrere faciat. Impoſſibile adeo eſt, ut ullum agri tui uſum facias, quamdiu aqua tegitur, conſequenter ut eum detineas tanquam tuum. Quoniam igitur rem ſuam non poſſidet, qui eam non ita detinet, ut tanquam ſua uti poſſit (§. 150.); ſi fluvius derelicto in univerſum alveo alium ſibi ex agro tuo facit, poſſeſſionem ejus amittis. *Quod erat primum.*

Enimvero fluvius ſine alveo concipi nequit, ut adeo is nonniſi cum aqua per eum continuo fluente efficiat flumen. Quamobrem, cujus flumen eſt, ejus etiam alveus novus qua alveus eſſe debet, conſequenter ſi adhuc a nemine fuerit occupatus, cum natura res omnes nullius ſint (§. 7.), nullius erit. *Quod erat ſecundum.*

Si fluvius alveum novum, per quem fluere cœpit, iterum derelinquit, ad ſpeciem priſtinam redit, quam ante habuerat (§. 376.), ut adeo uſui tuo denuo inſervire poſſit, quemadmodum ante inſerviebat, quam a flumine occuparetur. Quamobrem etſi poſſeſſionem amittas *vi num. 1.* cum tamen nemo invitus deſinat eſſe dominus rei ſuæ (§. 338.), ac ſolo animo ſine poſſeſſione retineatur dominium (§. 257. 258.), nulla ſane ratio eſt, cur dominium retinere nequeas in alveo novo, quatenus ad priſtinam ſpeciem reverti poteſt, quam antea habuerat. Quamobrem tuus erit, ubi flumen eum iterum derelinquit (§. 124. *Part. I. Jur. nat.* & §. 70. *Ontol.*). *Quod erat tertium.*

Denique ſi ripæ ſint pars agri tui aut ejus extremitates, cum antea eſſent tuæ qua agri tui partes; nulla eſt ratio, cur non adhuc qua partes agri tui tuæ manere debeant (§. 338.), etſi qua partes alvei ejus ſint, cujus alveus eſt (§. 374.). *Quod erat quartum.*

Ager, cujus poſſeſſionem amiſiſti, nec recuperare potes, quamdiu flumen per novum alveum fluit, duplici omnino modo conſiderari poteſt in hypotheſi propoſitionis præſentis, nimirum tanquam res, quæ aliam ſpeciem aſſumſit, hoc eſt, tanquam alveus, & tanquam res, quæ ad priſtinam ſpeciem redire valet, ut nempe alveus eſſe deſinat & agrorum in numero eſſe incipiat. Quamobrem non repugnat, ut, quatenus ſpectatur tanquam res, quæ ad priſtinam ſpeciem redire valet, ſit in dominio tuo, qua alveus vero in dominio alterius, quemadmodum paulo ante de ripis oſtendimus, eos duplici reſpectu duorum dominiorum diverſorum eſſe capaces (§. 374.). Sine dominii exercitio poſſeſſio non ſubſtitit. Ubi in eo ſtatu eſt, ut hoc tibi denegetur, poſſeſſionem utique amiſiſti. Ager igitur, ex quo flumen ſibi alveum fecit, non dici poteſt a te poſſideri, quamdiu alveus manet, nec ullus qua agri uſus ejusdem eſt. Nemo non agnoſcit: æquitati convenientius eſſe, ut alveus a flumine in priſtinum alveum revertente relictus in poteſtatem ejus veniat, cujus erat ager, ex quo factus, quam ut alius juris ſit. Æquitas vero hæc nititur propoſitione præſente, quemadmodum mox clarius eluceſcet.

§. 378.

Derelictio alvei, quatenus a flu- Quoniam homo qua dominus habet jus rem ſuam derelinquendi (§. 256.), alveus vero, quem flumen ſibi fecit ex agro ejus, ipſius eſt, quatenus a flumine iterum de-

relinqui

vio iterum derelinqui poteſt.

relinqui poteſt, & ripæ quoque ipſius ſunt quatenus pars agri fuerunt (§. 377.); *ſi quis voluerit, alveum* quoque, *quem ſibi fecit flumen ex agro ſuo, quatenus a fluvio iterum derelinqui poteſt, atque ripas, quatenus pars agri ſui fuerunt, derelinquere poteſt,* conſequenter cum res derelicta nullius fiat (§. 251.), *alveus* quoque, *quatenus a fluvio iterum derelinqui poteſt cum ripis, quatenus pars agri fuerunt, a domino agri derelictus nullius fit.*

§. 379.

Reſtitutio agri a flumine ad priorem alveum revertente.

Si flumen, quod ex agro tuo alveum fecit, ad priorem reverſum fuerit alveum, vel ad aliam partem fluat; ager reſtitutus tuus eſt & quælibet ejus pars reſtituta tua eſt. Etenim ſi flumen alveum in univerſum dereliquerit & ad aliam partem fluens novum ſibi ex agro tuo fecerit; dominium in eo retines, quatenus a flumine iterum derelinqui poteſt (§. 377.). Quamobrem ſi flumen revertatur ad priorem alveum, vel ad aliam partem fluat, derelicto, quem ex agro fecerat, alveo, & hoc pacto agrum reſtituat, vel etiam aliquam ejus partem; ager reſtitutus tuus eſt & quælibet ejus pars reſtituta tua eſt.

Contrarium habetur Inſt. §. 23. de rer. div. aſt propoſitio præſens convenit cum ſententia *Pomponii* l. 30. ff. de acqu. rer. dom. Sententiam contrariam, qua ager reſtitutus prædia prope ripam poſſidentibus jure alluvionis tribuitur, ſtricto jure veram agnoſcit *Gajus* l. 7. ff. de aqu. rer. dom. dum tamen addit, vix eſſe ut obtineat, ipſe non diffitetur eam videri iniquam. Inde eſt, quod Doctores ſententiam *Gaji*, quam retinuit Imperator in Inſtitutionibus, ſtricto & ſummo juri; alteram vero *Pomponii* æquitati convenire defendant, poſteriorem vero priori præferant, quod æquitas rigori præferenda l. 8. C. de judiciis, cum ſum-

Digitized by Google

mum jus, *Cicerone* autore lib. 1. offic. ſumma injuria ſit & *Mynſingero* ad Inſt. §. 23. de rer. div. inculcante, non ſuperſtitioſe inhærendum ſit juris ſubtilitatibus, quia plerumque ſub autoritate juris ſtricti periculoſe erretur. Vid. *Menzius* ad Inſt. §. 23. de rer. div. n. 14. & ſqq. Prior ſententia cur rigori juris convenire dicatur, ratio hæc eſt, quod, dum flumen ex agro alveum facit, ager interit, adeoque etiam dominium (§. 352.): perit autem res domino ſuo (§. 356.). Jure alluvionis alveus juxta placita JCtorum Romanorum pertinet ad eos, qui prædia vicina poſſident. Quoniam itaque prior poſſeſſor nec jure dominii, nec jure alluvionis alveum a fluvio iterum derelictum prætendere poteſt, ſtricto jure ipſius eſſe poſſe negatur. Poſterior videtur ideo æquior, quia prior poſſeſſor damnum habet, vicinus lucrum captat & ex alterius damno locupletari videtur, conſequenter illi potius de vitando damno, quam huic de lucro captando proſpiciendum. Nos rigorem juris cum æquitate in concordiam revocavimus, dum ex ipſa dominii notione deduximus quod æquitati convenientius cenſetur. Per noſtras nimirum demonſtrationes liquet, quod jus ſtrictum vult idem eſſe, quod ſuadet æquitas, modo in diſtinguendiis iis, quæ diverſa ſunt, tuum non deſiderari patiaris acumen. Pervidiſſe hujus aliquid videtur *Weſenbecius*, qui priorem poſſeſſorem tanquam in re amiſſa dominium retinere ſentit, quamdiu ſpes recuperandi adhuc ſupereſt. Novus enim alveus, quem fecit flumen ex agro tuo, pro re amiſſa haberi poteſt, cujus recuperandi ſpes adhuc ſupereſt, quatenus flumen eum dereliquere poteſt, ut, qui fuerat alveus, rurſus fiat ager. Dominium adeo in agro tuo, qui alveus factus eſt, retinetur, quatenus alveus fundus, qui ad priſtinam agri ſpeciem reverti poteſt. Videmus itaque ſubtilitates noſtras a mente JCtorum acutiorum non abhorrere.

§. 320.

Digitized by Google

§. 380.

An prior agri poſſeſſor; ex qua alveus factus habeat jus alluvionis.

Si flumen alveum ſuum in univerſum derelinquens ex agro tuo novum ſibi fecerit alveum, & ripa fuerint pars agri tui, quod per alluvionem ripæ adjicitur, tuum eſt. Dominium enim in alveo retines, quatenus eſt fundus, qui ad ſpeciem agri reverti poteſt, quemadmodum ex demonſtratione ſuperiori eluceſcit (§. 377.). Enimvero ſi flumen paullatim recedendo per alluvionem aliquid adjicit ripæ, quæ fuit pars agri tui; fundum in ſpeciem agri reſtituit. Quamobrem quod per alluvionem adjicitur ripæ, quæ fuerat pars agri tui a flumine occupati, tuum eſſe debet.

Non ignoro, jure Digeſtorum diſtingui, utrum fluvius uno impetu priſtinum alveum repetat & novum derelinquat, an vero paulatim recedendo alluvionem faciat, nec niſi in priori caſu alveum derelictum ad priorem dominium reverti, jus vero alluvionis vicina prædia poſſidentibus concedi. Enimvero poſterius non minus æquitati repugnat, quam prius & ſiquidem alveum ſpectes tanquam fundum, qui ad priſtinam ſpeciem reverti poteſt, non minus rigori juris convenit, ut ager per partes reſtitutus tuus ſit, quam ſi totus uno actu reſtituatur. Si rem amiſiſti, non ſolum tota tua manet quamdiu recuperandi ſpes ſupereſt, ſed etiam quælibet ejus pars, quæ recuperari poteſt, tua adhuc eſt. Neque hic obſtat, quod novum quid, non tuum eſſe videatur quod per alluvionem adjicit flumen. Etenim ubi integrum alveum uno impetu derelinquit, non tibi reſtituitur fundus tuus, qualis erat ante, quam a fluvio occuparetur, ſed vi fluminis immutatus. Pars igitur fundi immutati per alluvionem & in priſtinum ſtatum agri reſtituta, quemadmodum totus reſtituitur derelictione, cur tua non eſſe debeat ratio nulla eſt. Sufficit in utroque caſu, quod erat alveus nunc eſſe agrum, ubi alveus eſſe deſiit.

Digitized by Google

deſiit. Dominium vero a te retinetur, quatenus ad ſpeciem agri revertitur alveus, non quatenus ager præciſe talis reſtituitur, qualis fuerat antea. Ceterum ex præſenti propoſitione & ejus inprimis demonſtratione etiam intelligitur, quid per alluvionem unicuique reſtituatur, ſi alveus ex plurium agris fuerit factus: cujuslibet nimirum eſt id, quod per alluvionem adjicitur eo in loco, ubi erat ager ipſius.

§. 381.

Quando alveus novus pleno jure ejus, cujus flumen eſt.

Si flumen alveum fecit ex agro tuo, tu vero alveum qua fundum, qui ad priſtinam ſpeciem reverti poteſt, derelinquis; alveus pleno jure ejus fit, cujus eſt flumen. Quodſi enim alveum, quem fecit flumen ex agro tuo, qua fundum, qui ad priſtinam ſpeciem reverti poteſt, derelinquis; in eo etiam qua fundo, qui ad priſtinam ſpeciem reverti poteſt, dominium tuum prorſus interit §. 250.). Quoniam igitur ceſſat ratio, cur alveus ſpectetur tanquam fundus, qui ad priſtinam ſpeciem reverti poteſt; alveus nunc nude ſpectatur tanquam alveus, conſequenter pleno jure ejus fit, cujus fluvius eſt (§. 377.).

Non eſt, quod excipias, alveum ſemper conſiderari poſſe tanquam fundum, qui ad ſpeciem priſtinam reverti poteſt, conſequenter cum etiam jura occupando dominio ſubjici poſſint (§. 217.), ubi a domino derelinquitur dominium, quod in alveo qua fundo ad priſtinam ſpeciem revertente habet, id ab alio occupari poſſe, nec opus eſſe ut conſolidetur cum dominio alvei qua alvei. Enimvero dominium occupando quærendum in alveo qua fundo ad priſtinam ſpeciem reverſuro non differret a jure occupandi alveum derelictum, aut quod per alluvionem adjicitur. Quoniam igitur huic juri locus eſt, ſi alveus, fuerit tuus

(§.

(§. 174.); quam primum jus alterius in eo qua fundo ad ſpeciem agri reverſuro derelictione extinguitur (§. 251.), nil amplius obſtat, quo minus alveus jure pleno tuus ſit.

§. 382.

Flumen, lacus & ſtagnum quomodo differant.

Quemadmodum aqua continuo fluens intra alveum *Flumen* vocatur; ita quæ non fluit, ſi perpetua fuerit, *Lacus;* ſi non fuerit perpetua, *ſtagnum* dicitur. *Aqua* autem dicitur *perpetua*, quatenus non certo tantummodo anni tempore, ſed potius quolibet fundum, quem occupat, tegit.

Perpetuitati igitur non obſtat, quod etiam lacus ſubinde exareſcat non minus, quam ſtagna.

§. 383.

An jus alluvionis obtineat in lacubus & ſtagnis.

Quando lacus & ſtagna creſcunt vel decreſcunt, nil hinc decedit, vel accedit vicinis fundis; ſed quod ſuum erat, quilibet retinet. Lacus enim & ſtagna ſuos habent limites, quibus a fundis vicinis dirimuntur. Quamvis adeo nunc creſcant, nulla tamen ratio eſt, cur dominium ejus, cujus lacus vel ſtagnum eſt, vel etiam vicinorum propter hanc inconſtantiam ultra ſuos limites protendi, vel intra arctiores coarctari debeat. Quin potius unusquisque dominium retinet in fundo ſuo, quousque limites ipſius pertingunt. Quamobrem patet, quando lacus & ſtagna creſcunt, nihil hinc decedere, vel accedere vicinis fundis; ſed quod ſuum erat, quemlibet retinere.

Ita ob eandem rationem ſentiunt *Calliſtratus* l. 12. ff. de acq. rer. dom. & *Alfenus* l. 24. de acq. pluv. Ille enim diſerte ait, in lacubus & ſtagnis jus alluvionis non agnoſci, licet interdum creſcant, interdum decreſcant, quia ſuos retinent terminos. Et hic negat, ideo quia creſcunt

Digitized by Google

& decreſcunt, in iis acceſſionis vel deceſſionis rationem habendam eſſe. Si noſtra in jure alluviônis principia ſumantur, nihil ea quoad præſentem propoſitionem difficultatem faceſſunt: per ea enim tamdiu unusquisque in re ſua jus, quod habet, retinet, quamdiu nulla neceſſitas urget, ut id amittat. Aſt qui principia Juris Romani probant, quibus jus alluvionis ſuperſtructum; illis dubium videri poterat, cur ſtricto jure jus alluvionis non etiam obtinere debeat in lacubus & ſtagnis. Sed tanti non eſt, ut de hoc dicamus diſertius.

§. 384.

Inundatio quid ſit.

Inundatio dicitur, quando flumen extra ripas defluens fundos vicinos operit.

Deeſt vocabulum commodum, quo hoc naturæ factum tanquam per genus definiri poſſit. Non vero opus eſt, ut rigori Logicæ in definiendo inhæreamus, ubi vocabula deſunt, quibus genera indigitari poſſunt. Sufficit terminos ita explicari, ut ſatis intelligatur, quid per eos denotetur.

§. 385.

Ius inundationis.

Si ager tuus totus fuerit inundatus; dominium in eo retines, nec, ſi inundatio per longum tempus, veluti per plures annos duret, fundus tuus eſſe deſinit, quamdiu eum non derelinquis. Communiter inundatio non diu durat, ſed quo impetu venit aqua, iterum recedit. Quamobrem cum nemo velle præſumatur, agrum inundatum non eſſe ſuum, quem mox in priſtinum ſtatum reſtitutum iri novit, quod vero tuum eſt te invito tuum eſſe non deſinit (§. 338.); quin dominium in agro inundato retines extra omnem dubitationis aleam poſitum. *Quod erat unum.*

Quodſi inundatio per longum tempus, veluti per plu-

plures annos, duret, eadem adhuc ratio ſubſiſtit, quod tuum eſſe non deſinat te nolente, quod tuum eſt (§.338.). Dominium igitur in fundo retines, quamdiu volueris. Quoniam tamen jus derelinquendi tibi competit (§. 256.), quamprimum vero fundum derelinquis, ejus dominus eſſe deſinis (§.250.); ſi innundatio per plures annos duret, non ante fundus tuus eſſe deſinit, quam eum derelinquis. *Quod erat alterum.*

Inundationem nihil mutare in dominio ea de cauſa pronunciat Imperator §. 24. Inſt. de acq. rer. dom. quod ſpeciem fundi commutet. Hinc inferunt Doctores, ſi inundatio diu duret, tunc idem quod de alveo dicendum, quia ſpecies fundi mutatur. Recte hoc *Grotius* lib. 2. c 8. §. 10. negat qui ne quidem juxta principia JCtorum Romanorum hoc concedi poſſe contendit. Nam ut maxime (ipſa viri ſummi verba recito) ſumma pars agri in arenam diſſolvatur, manet tamen ſolida pars fundi inferior & ut de qualitate quid mutet, ſubſtantiam non mutat. Principiis vero, quibus nos uſi ſumus, in adſtruendo jure alluvionis, id prorſus repugnat, quemadmodum ipſa propoſitionis præſentis loquitur demonſtratio. Ceterum quamdiu durat inundatio, fundus aqua tectus omnem uſum amittit, quem antea habebat. Quamobrem ubi perpetuo duratura videtur, fieri omnino poteſt, ut dominus eum non amplius ſuum eſſe velit, conſequenter eum derelinquat (§.249.), non impoſſibile eſt.

§. 386.

Jus acceſſionis artificialis, ſi res aliena ſeparari poſſit.

Si res aliena, quæ rei tuæ accedit, abſque rerum detrimento ab eo ſeparari poſſit, ea manet domini ſui. Etenim ſi res aliena, quæ rei tuæ accedit, ab ea absque rerum detrimento ſeparari poſſit, in eo ſtatu eſt, ut dominus eam recupe-

Digitized by Google

cuperare queat. Quoniam itaque quod ſuum eſt ipſo nolente alterius fieri nequit (§. 338.); ſi res aliena, quæ rei tuæ accedit, ab ea absque rerum detrimento ſeparari poſſit, manet domini ſui.

Nos vocabulum acceſſionis ſumſimus in ſignificatu ſtrictiori ſuperius, quam in Jure civili communiter accipitur (§. 348.); ita ut acceſſio artificalis nobis ſit, quæ nomine ſpeciali *Adjunctio* appellatur. Non tamen ſignificatus ſtrictior abhorret ab uſu JCtorum Romanorum, neque enim ſolum ſignificatus ſtrictior occurrit in Rubrica §. 26. Inſt. de acq. rer. dom. verum etiam in Digeſtis l. 19. de aur. & arg. leg. quemadmodum ſupra jam annotavimus (*not.* §. 348.).

§. 387.

Caſus particulares. Quoniam gemma ab annulo, cui incluſa; purpura a veſtimento, cui aſſuta, absque detrimento ſeparari poteſt; *gemma tua alieno annulo incluſa & purpura tua alieno veſtimento aſſuta tua manet.*

Hinc facile patet, poſſeſſorem annuli ad hoc teneri, ut gemmam exemtam tibi reſtituat, & poſſeſſorem veſtimenti obligari ad purpuram ſeparatam tibi reddendam. Caſus plures particulares cumulari ſuperfluum foret.

§. 388.

Jus acceſſionis artificialis, ſi res ſeparari non poſſit. *Si res tua, quæ rei alienæ accedit, absque rerum detrimento ſeparari non poſſit, erit res principalis cum acceſſoria communis pro rata, niſi rem, quæ alteri acceſſit, alterius fieri velis.* Quoniam res tua, quæ rei alienæ accedit, absque rerum detrimento ſeparari nequit *per hypoth.* fieri non poteſt, ut unusquisque retineat, quod ſuum eſt. Quoniam tamen quod tuum eſt, te invito, alterius fieri nequit (§. 338.); nec dici poteſt, quod ideo fiat ejus, cujus rei acceſſit, quia ab

Digitized by Google

ab eadem ſeparari nequit. Quamobrem cum uterque dominium retineat in eo, quod ſuum eſt, res principalis cum acceſſoria pro rata communis eſſe debet, niſi tu rem tuam, quæ alteri acceſſit, alterius eſſe velis.

Dantur omnino rationes, quibus quis permoveri poteſt, ut res ſua, poſtquam alteri ita acceſſit, ut absque detrimento ab eadem ſeparari non poſſit, ſuam eſſe nolit, conſequenter cur malit pretium ejus ſibi reſtitui, quam rem communem habere, præſertim cum de re communi poſtea tranſigendum ſit, ut negotium habeat exitum. *Grotius* itaque non male judicat, lege civili determinari poſſe, cujus eſſe debeat, ut negotia facilem habeant exitum: id quod ſuo loco oſtendemus. Quamobrem quod nonnulli etiam in Jure naturali diſtinguant, quænam rerum, quarum una alteri acceſſit, ſit præſtantior altera, & dominium ei adjudicent, cujus res ob raritatem, affectionem, operas, curam & culturam majus pretium admittat, id naturale non eſt, cum ex notione dominii minime ſequatur, ſed civile, quippe non alio fine inventum, quam ut negotium faciliorem habere poſſit exitum. Quid juri naturali conveniat de communi dividendo, quando communio ſubſiſtere nequit, aut rem communem habere non lubet; ſuo loco inquiremus. Ceterum ex iis, quæ demonſtrata modo ſunt, liquet jus acceſſionis artificialis, ſi res quæ acceſſit absque detrimento ſeparari nequit, non differre a jure ſpecificationis (§. 340.).

§. 389.

Quoniam purpura aliena veſtimento tuo intexta ab eo ſeparari nequit absque detrimento: *ſi quis alienam purpuram veſtimento ſuo intexuerit, veſtimentum hoc cum domino purpuræ pro rata commune habebit* (§. 388.). *Intexturæ jus.*

Hoc caſu utitur Imperator §. 26. Inſt. de acq. rer. dom. ad illuſtrandum jus acceſſionis. Quando autem purpuram

Digitized by Google

veſtimento cedere ſtatuit tanquam acceſſorium rei principali; id omnino civile eſt. Jure enim Romanorum: *Acceſſorium ſequitur ſuum principale*, cum hoc jure non attendendum ſit, quodnam ſit pretioſius, ſed quid alteri accedat l. 19. ff. de aur. arg. leg. Qua de cauſa etiam imperator intextura purpuræ jus acceſſionis declarat, quemadmodum verba textus ſatis innuunt.

§. 390.

Quale ſit jus, ſi quis re tua rem ſuam reficiat.

Similiter quia tabula tua, qua quis navem ſuam reficit, ab eo ſeparari nequit, ut integram recipias, qualis antea fuerat, nec ſine detrimento navis; *ſi quis tabula aliena navem ſuam reficiat, erit navis pro rata communis* (§. 388.).

Monuimus jam ſuperius cum *Grotio* (*not.* §. 340.), nihil abſurdi in eo eſſe, ut, qui pro parte dominus eſt, vel pro milleſima aut quacunque alia parte adhuc minore dominus ſit. Sane qui in caſu ſeparationis difficilis aut dominis rerum inutilis ac parum proficuæ ſtatuunt rem principalem cum ſuo acceſſorio alterutri adjudicandam eſſe, communionem tacite ſupponunt. Ubi ergo porro inquirunt, cuinam ea adjudicanda ſit, non aliud agunt, quam ut definiant, quid fieri conveniat, ſi in communium diviſione res, quæ dividenda erat, diviſionem non admittat.

§. 391.

Mala fides quatenus ſpectanda.

Si quis mala fide rem alienam ſuæ adjungit; domino hujus injuriam facit. Oſtenditur eodem modo, quo idem ſupra de ſpecificatione demonſtravimus (§. 342.).

In acceſſione aut, ſi mavis, adjunctione non ſpectendam eſſe malam fidem, contendunt Doctores Juris; rationes vero, quas afferunt, nullius ſunt momenti. Vid. *Manzius* ad §. 27. Inſt. de rer. div. n. 7. Enimvero cum ipſi domino

domino rei principalis tribuant dominium acceſſorii, quando dicunt in adjunctione non rationem habendam eſſe malæ fidei, hoc tantummodo volunt, malam fidem minime obſtare, quo minus acceſſorium cedat rei principali, quemadmodum nec nos admittimus, malam fidem in jure acceſſionis ſeu adjunctionis quicquam immutare (§. 388.). Propterea tamen iidem minime negant, mala fide rem alienam ſuæ adjungentem domino ejus injuriam facere, conſequenter de injuria facta teneri.

§. 392.

Confuſio dicitur, quando duorum vel plurium dominorum materiæ liquidæ aut liquefactæ invicem miſcentur, ut prodeat maſſa quædam ex utraque mixta. *Confuſio quid dicatur.*

E. gr. Ponamus vinum generoſum cum vino ignobiliori miſceri, vt prodeat vinum quoddam mixtum. Vina hæc confundi dicuntur. Quoniam vero in jure hæc confuſio tantummodo conſideratur, quatenus materiæ, quæ confundunrur, diverſum dominorum exiſtunt; ideo in definitione additur materias confundendas duorum dominorum eſſe debere: id quod ex definitione exulare debet, ſiquidem in Phyſica tantummodo adhibetur. Addunt quoque nonnulli, mixtione non prodire debere novam ſpeciem, propterea quod jus ſpecificationis diverſum eſt a jure confuſionis in Jure Romano. Enimvero cum in jure naturali idem ſit jus ſpecificationis & confuſionis, quemadmodum mox patebit; parum refert, utrum duæ materiæ invicem mixtæ novam faciant ſpeciem, nec ne. Quando aurum & argentum invicem permiſcentur, ut in unam confluant maſſam, perinde confunduntur, ac ſi argentum tuum cum argento alterius confundatur. Mixtum ex auro & argento nova eſt ſpecies, quam electrum dicunt. Quamobrem hæc mixto ad ſpecificationem referri debet, non ad confuſionem. Nobis vero perinde eſt, ſive ad ſpecificatio-

nem

nem, ſive ad confuſionem referas. Mixutm quando novam conſtituit ſpeciem, nemo non videt ex duabus materiis novam fieri ſpeciem earum confuſione, conſequenter ſi opus ſit confuſionem a ſpecificatione diſtingui, per ipſam definitionem ſpecificationis hoc manifeſtum eſſe, ut adeo neceſſe non ſit in definitione confuſionis addi, mixtum non eſſe debere novam ſpeciem.

§. 393.

Commixtio quid ſit.

Commixtio dicitur, quando arida, & ſolida corpora duorum vel plurium dominorum ita permiſcentur, ut, quæ unius ſunt, diſtincta quidem maneant, ab iis, quæ ſunt alterius, omnia tamen ſimul totum quoddam conſtituant, quod *totum per aggregationem* appellarunt Scholaſtici.

Ita frumentum tuum commiſcetur frumento alterius, cum ſingula quidem grana frumenti tui diſtincta maneant a ſingulis granis frumenti alterius, nequaquam vero illa cum his in unum coaleſcant, omnia tamen grana ſimul ſumta acervum unum frumenti conſtituant. Idem dicendum eſt de ovibus unum gregem conſtituentibus. Sæpe in Jure Romano confuſionem pro commixtione & vice verſa poni poſt alios adnotauit *Manzius* ad §. 29. Inſt. de rer. div. ut adeo contra mentem JCtorum Romanorum confuſionem a commixtione diſtingui arbitretur *Huberus* ad tit. de rer. div. n. 45.

§. 394.

Jus confuſionis & commixtionis.

Si res duorum vel plurium dominorum confunduntur, vel quæ ſine detrimento ſeparari nequeunt commiſcentur; confuſa vel commixta communes fiunt pro rata & quanta pars unicuique debeatur, ex quantitate & qualitate ejus, quod ante habuerat, æſtimandum. Quodſi vero quæ commiſcentur a ſe invicem absque detrimento ſeparari poſſunt, unusquisque retinet, quod ſuum eſt.

Quodſi

Digitized by Google

Quodſi enim res confunduntur, ita invicem miſcentur, ut a ſe invicem aut prorſus non, aut ſaltem non ſine detrimento ſeparari poſſint (§. 392.). Quamobrem ſi res duorum vel plurium dominorum confunduntur, fieri non poteſt, ut unusquisque recipiat quod ſuum eſt. Quoniam tamen quod tuum eſt absque voluntate tua fieri non poteſt alterius (§. 338.); quilibet in eo, quod ſuum erat, dominium retinet, conſequenter quod per confuſionem prodit mixtum commune pro rata erit. *Quod erat primum.*

Quodſi quae commiſcentur absque detrimento a ſe invicem ſeparari nequeunt, patet ut ante, res commixtas pro rata communes eſſe debere. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam vero quæ confunduntur, vel commiſcentur, ſi vel maxime fuerint eiusdem ſpeciei, vel generis, ut eandem admittant menſuram, non tamen ſunt ejusdem bonitatis. Ita in commixtione frumentum unum frumento alterius melius eſt & in confuſione vinum unum generoſius vino alterius. Rata igitur determinanda eſt ex quantitate & qualitate eius, quod unusquisque ante habuerat, quam res confunderentur, vel commiſcerentur. *Quod erat tertium.*

Quodſi quæ commiſcentur a ſe invicem absque detrimento ſeparari poſſunt, unusquisque facta ſeparatione quod ſuum eſt recipere poteſt. Quamobrem cum unusquisque dominium in eo, quod ſuum eſt, retineat (§. 338.), nec quiquam obſtet, quo minus idem recipiat *per demonſtrata;* unusquisque ſuum recipere debet. *Quod erat quartum.*

Communionem in confuſione quoque agnoſcit Jus Romanum rationem naturalem ſecutum. Cumque commu-

nioni locus ſit, ſive res dominorum voluntate, ſive unius tantum voluntate & facto confundantur & commiſceantur, non opus eſt ut hi caſus a ſe invicem diſtinguantur, quemadmodum fecit Imperator §. 27. Inſt. de rer. div. In commixtione communionem non admittit Jus Romanum, ſi caſu mixtio facta vel ſine tua voluntate, quia ſingula corpora in ſua ſubſtantia durant, non vero in unam maſſam coëunt, quemadmodum in confuſione, nec ſpeciem mutant, quemadmodum in ſpecificatione. Enimvero cum in confuſione communio obtineat, quia quae invicem permixta fuerunt a nobis ſeparari nequeunt, vel ſaltem ſine detrimento ſeparari non poſſunt, ut unusquisque recipiat quod ſuum eſt; quando eadem ratio obtinet in commixtione, idem quoque jus obtinere debet. Hinc cum in ſpecificatione ſpecies habeatur pro re, quæ a materia ſeparari nequit, ut conſeruetur; jus ſpecificationis differre nequit a jure confuſionis, prouti ſupra a nobis demonſtratum (§. 340.). Quemadmodum vero aliquoties jam monuimus, ita non ſine ratione denuo inculcamus nos in præſenti jura non conſiderare niſi quatenus in ſtatu naturali obtinent, hoc eſt, ſuas habent rationes naturales, veluti in præſenti negotio ex ipſa rerum natura & notione dominii conſequuntur. Sed cum in ſtatu civili ratio inprimis habenda ſit exitus negotiorum; altioris omnino indaginis eſt, quantum valeat Jus Romanum: quod cum dijudicandum ſit ex principiis theoriæ naturalis legum civilium, hic loci doceri nec poteſt, nec debet.

§. 395.

Ferruminatio & Adplumbatura quid ſit. *Ferruminatio* eſt adjunctio, qua metalla ejusdem generis, formata, vel non formata, nulla alia materia interveniente conſolidantur. Aſt *Adplumbatura* dicitur adjunctio, qua duæ ejusdem diverſi generis res mediante alia quadam ab ipſis diverſa materia coagmentantur.

Si fer-

Si ferrum ferro jungitur contuſione, junctura hæc dicitur ferruminatio; ſi vero vaſi figulino jungitur operculum argenteum, aut aſſer aſſeri glutine, junctura adplumbatura vocatur. Quamvis enim etymologia vocum earum ſignificatum multum reſtringere videatur, uſus tamen loquendi eundem extendit, prouti ex definitionibus liquet.

§. 396.

Jus ferruminationis & Adplumbatura.

Si quæ per ferruminationem aut adplumbaturam junguntur a ſe invicem ſine detrimento ſeparari poſſunt, uniuscujusque manet quod ſuum eſt, in caſu oppoſito res principalis cum acceſſorio erit communis pro rata. Oſtenditur eodem modo, quo idem ſupra de acceſſione vel adjunctione in genere demonſtravimus (§. 386. 388.).

In quo jus Romanum a propoſitione præſente abit l. 27. ff. de acq. rer. dom. & l. 23. de R. V. id civile eſt: quemadmodum in antecedentibus ſatis ſuperque inculcavimus.

§. 397.

Solum quid ſit.

Poſtquam homines certas terræ portiones dominio ſuo ſubjecerunt, ut in ea ædificia exſtruerent eandemque colerent ac variis uſibus ſuis aptarent, pro diverſitate uſus diverſa quoque portionibus iſtis impoſuerunt nomina, qualia apud JCtos Romanos occurrunt Fundus, Ager, Area, Solum. *Solum* vocabulum JCtis proprium appellat *Seneca* lib. II. Natur. Quæſt. Dicitur autem ita, quatenus homines & res alias ſuſtinet. Et in hoc ſignificatu vocabulo iſto etiam nos utemur. Lingua vernacula in genere eodem ſenſu partem Telluris, quæ Terra vocatur in oppoſitione ad aquas, dicimus den Erdboden, quatenus vero tantummodo ſpectantur ejus certæ quædam portiones, den Boden, ita ſolum meum dicimus meinen Boden.

Digitized by Google

Etſi vocabulorum ſignificatus arbitrarius ſit, adeoque idem a Philoſopho tribui poſſit, qualis commodus viſus fuerit: non tamen conſultum duximus a ſignificatu eo recedere, qui in Jure Romano obtinet, quantum patitur vagus ſignificatus, qui ſubinde in iſto Jure occurrit. In Jure nimirum Naturæ fixus quidam & ſufficienter determinatus requiritur ſignificatus. Ceterum eum, quæ diximus in Jure Romano obtinere, probari poteſt ex l. 32. ff. de contr. emt. §. 29. & ſqq. Inſt. de rer. div. & ll. al. Hic vero vocabuli ſignificatus poſtea in cauſa fuit, ut per translationem mare navium, aër avium, cœlum ſtellarum ſolum dicatur, veluti dum *Ovidius* canit: Aſtra tenent cœleſte ſolum.

§. 398.

Ædes & villæ quid ſint. Ædificia in urbe JCti Romani *Ædes*; rure autem *Villas* appellant. Diſerte enim *Florentinus* l. 211. de V. S. In uſu, inquit, urbana ædificia Ædes, ruſtica villæ dicuntur.

Villarum nomine *Vitruvius* etiam omne ædificium ruſticum deſignat lib. 6. c. 9. & *Columella* lib. 1. c. 6. villam dividit in tres partes, urbanam, ruſticam & fructuariam: ſed ea minutim perſequi non eſt hujus loci.

§. 399.

Area, Ager, fundus quid ſit. *Florentinus* l. 211. de V. S. Locus, inquit, ſine ædificio in urbe *Area*, rure autem *Ager* appellatur & ager cum ædificio *Fundus* dicitur. Hæc tamen differentia nec in Jure Romano perpetuo attenditur, quin potius vocabula ager & fundus promiſcue uſurpantur, immo fundus etiam dicitur ſubinde de loco in urbe. *Connanus* lib. 4. c. 3. n. 7. *Fundum* generis nomen eſſe ait, & ſpecies ſub ſe habere arbuſtum, vineam, hortum, pratum, arvum, villam. Appellatio generalis ad ipſam quoque urbem extenſa nobis maxime

maxime placet, cum ea ad omnes Autores promiſcue intelligendos faciat & omnem in intelligendo ambiguitatem tollat, ut adeo etiam inter ſpecies fundi referatur area. Hoc ſignificatu generali vernaculo idiomate fundum cum ſolo conjungentes dicimus Grund und Boden; Agrum autem, quatenus denotat rure omnem locum ſine ædificio, Land & Aream den Platz: quod tamen vocabulum etiam rure uſurpatur de loco, in quo ædificium extrui poteſt.

Non jam inquirimus, quid arbuſtum proprie appellarint Romani & quænam hortorum ſint ſpecies: neque enim hæc uſum aliquem habent in tractatione præſenti.

§. 400.

Superficies dicitur, quicquid ſupra ſolum exiſtit eidem- *Superficies*
que col[illegible] Ita plantæ, vites arbores dicuntur ſuperficies *quid ſit.*
l. 13. ff. de serv. præd. ruſt. *Gaji* Inſt. lib. 2. tit. 1. §. 4. & domus ſuperficies appellatur l. 1. 7. ff. de uſufr.

§. 401.

Ædificatio eſt conſtructio ædificii cujuscunque tam ur- *Ædificatio*
bani, quam ruſtici. Quatenus ædificium extruitur in ſolo, *quid ſit.*
vocatur etiam *Inædificatio.*

§. 402.

Si quis in ſolo ſuo ex aliena materia, vel in ſolo alieno ex ſua *Jus ædifica-*
materia ædificet; ædificium domini materiæ ac ſoli commune erit *tionis.*
pro rata ejus, quod ante ſuum fuerat, niſi ædificium mobile ſit. Etenim cum ædificium ex ſolo & ſuperficie tanquam partibus conſtet, cum ſolo innitatur, quod eidem inædificatur; ſi ſoli ac ſuperficiei fuerint diverſi domini, cum nemini dominium ſuum auferri invito poſſit (§. 338.), quilibet do-

minium

Digitized by Google

minium in eo, quod ſuum eſt, retinet. Quoniam tamen ſuperficies ſine ſolo exiſtere nequit, & ſolum nullius uſus eſt domino, quamdiu ſuperficies non aufertur; ſi ædificium non fuerit mobile, ut de loco in locum moveri poſſit (§. 148.), pro rata quod uniuscujusque fuerat commune erit ædificium; aſt ſi mobile fuerit, cum quilibet retinere poſſit, quod ſuum eſt, dominus ſoli ſolum, dominus vero ſuperficiei ſuperficiem retinet.

Jus Romanorum ſuperficiem conſiderat tanquam acceſſorium fundi, conſequenter cum eodem jure acceſſorium ſequatur ſuum principale, ædificium ſolo cedit, §. 29. 30. Inſt. de rer. div. Recte autem *Grotius* lib. 2. c. 8. §. 22. hoc pro civili habet & communionem juris naturalis facit. Quodſi quis ex aliena materia in ſolo ſuo ædificet, ſuperficies ſpecies eſt & ædificii conſtructio ad ſpecificationem referenda (§. 339.). Enimvero cum jure naturali ſpecies quoque communis ſit (§. 340.); nullam hæc differentia in ipſo jure mutationem facit, ut adeo opus non ſit duos iſtos caſus a ſe invicem diſtingui, quemadmodum in Jure Romano intuitu materiæ ſit, quæ ædificantis vel propria, vel aliena.

§. 403.

Plantatio quid ſit. *Plantatio* dicitur, qua planta ſolo immittitur, ut radices in eo agat & inde nutrimentum capiat.

Sumitur hic vocabulum plantæ, quemadmodum etiam Phyſicis ſolenne eſt, in ſignificatu latiori pro omni vegetabili, quocunque tandem nomine veniat. Unde plantatio intelligitur de arboribus, fruticibus, herbis, oleribus, quæ juniores ex ſolo uno in alium tranſlatæ ibidem radices agere & creſcere ſolent.

§. 404.

§. 404.

Satio dicitur, quando ſemen terræ committitur, ut plantæ inde progerminent. Unde ſignificatu ſtrictiori potiſſimum intelligitur de ſemine agris commiſſo. *Satio quid ſit.*

§. 405.

Si alienam plantam in ſolo tuo poſueris, vel plantam tuam in ſolo alieno, antequam radices egerit, in caſu primo ejus manet, cujus ante fuerat, in poſteriori autem manet tua. Idem juris erit, in utroque caſu, ſi planta, etiam poſtquam radices egit, citra metuendum interitum tolli poteſt. Etenim ſi planta & ſolum fuerit diverſorum dominorum, cum nec cuiquam invito dominium auferri poſſit, ut quod ſuum erat ipſo nolente fiat alterius (§. 338.), nec re, quæ eſt alterius, ipſo invito pro ſuo arbitrio quis uti poſſit (§. 120. 136.); quamdiu planta ſalva tolli poteſt, adeoque quamdiu radices non egit, ratio nulla eſt, cur vel dominus plantæ dominium amittat, vel dominus ſoli uſu ejusdem excidat, quem facere poterat & voluerat. Quamobrem planta a domino tollenda & liber ſoli uſus ſoli domino relinquendus. Quodſi ergo alienam plantam in ſolo tuo poſueris, vel plantam tuam in ſolo alieno, antequam radices egerit, aut ſi etiam, poſtquam radices egit, citra metuendum interitum tolli poteſt, in caſu primo ejus manet, cujus ante fuerat; in poſteriori tua. *Jus plantationis, ſi planta ſalva tolli poteſt.*

Dantur plantæ, quæ etiamſi poſt plantationem jam radices egerunt, hoc tamen non obſtante, ex terra erui & alio in ſolo plantari poſſunt, ſi tantummodo caveatur, ne juniores radicum ramuli lædantur, ſive una cum terra, cum qua radices coaluerunt, eximantur: quod rerum hortenſium-

Digitized by Google

tenſium gnaris non ignotum. Dantur ex adverſo plantæ aliæ, quorum repetita transplantatio nocet. Quid igitur conveniat, experientia magiſtra definiendum, ne lex naturæ male applicetur.

§. 406.

Jus plantationis, ſi planta ſalva tolli nequit.

Si plantam alienam in ſolo tuo poſueris, vel plantam tuam in ſolo alieno, & poſtquam ea radices egit, citra metuendum interitum tolli nequeat; erit planta communis pro rata ejus, quantum valet planta, dum in ſolo ponitur, & nutrimentum, quod ex ſolo attrahit, ac impenſa, ſi quas cultura exigit. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo paulo ante communionem evicimus de ædificio in ſolo alieno extructo, vel in ſolo ſuo ex materia aliena (§. 402.).

Jus communionis tanquam naturale agnoſcit *Grotius* lib. 2. c. 8. §. 22. Aſt in diverſum abit Jus Romanum, quod plantam tanquam acceſſorium ſolo tanquam rei principali cedere vult. Difficilis equidem videtur nutrimenti, quod ex ſolo attrahit planta, æſtimatio; non tamen impoſſibilis exiſtimari poteſt, cum conſtet quanti æſtimetur uſus ſoli certum plantarum iſtiusmodi numerum capientis alteri concedendus. Neque vero jam quæritur, num determinatio ſit difficilis; ſed num veritati conſentanea: ubi vero diſcernendum, quid cujusvis ſit, nemo non videt tuam eſſe plantam, quæ in terra ponitur, alterius vero, cuius ſolum eſt, in quo ponitur, nutrimentum plantæ, cui incrementum acceptum refertur, quatenus eo in loco alia planta creſcere poterat eodem nutrimento. Phyſicis vero notum eſt, ut nutrimentum hoc faciat ad plantæ vegetationem non ſolo, ſed ipſi plantæ, quæ in eo ponitur, deberi, ut adeo incrementum dici nequeat ſolius domini ſoli eſſe.

§. 407.

§. 407.

Si vicini arbor in fundum tuum radices egerit & ex his ſtolones naſcuntur; ſtolones tui ſunt. Naſcuntur enim in fundo tuo ſolius naturæ opera & arbore vicini illæſa ex terra erui & in alio quocunque loco poni poſſunt, ut in arbores creſcant. Quoniam itaque ſunt fructus ſoli tui (§. 958. *part. I. Theol. nat.*), jus vero fruendi tibi tanquam domino ſoli competit (§. 136.), quin tui ſint ſtolones dubitari nequit.

Cujusnam ſint ſtolones, ex radicibus arboris alienæ in fundo tuo nati.

Non eſt quod excipias, ſtolones provenire ex radicibus alterius, adeoque non eſſe fructus ſoli tui. Etenim & radices tuæ ſunt, quæ in fundo tuo creſcunt: ſit ita quod a te ſuccidi nequeant, quamdiu ſucciſio arbori nocet, cum nemo alteri damnum dare debeat. Etſi autem ſtolones noceant arbori, ſi numero præſertim copioſiores ad magnitudinem majorem excreſcant, non tamen propterea in numerum rerum inutilium referuntur, quia ex iis arbores & frutices educari poſſunt multo breviori tempore, quam ex ſeminibus. Sane roſa, ribes, criſpa, uva, frutices in hortis communes, non aliter quam per ſtolones propagantur. In arborum genere pruni inprimis ſtolones frequentis ſunt uſus, ex quibus per inoculationem mali Armeniacæ educari ſolent. Similiter eodem fine mali cydoniæ ſtolonibus inſerunrur gemmæ malorum hortenſium & pyrorum.

§. 408.

Si herba vel ex radicibus intra terram longe lateque ſparſis, vel cauliculis humi repentibus novellas herbas emittunt; quæ ex herba aliena emiſſæ fundo tuo ingeruntur, tuæ ſunt. Quoniam eodem modo generantur quo ſtolones naſcuntur in caſu primo, in altero autem non abſimili, ſeu in præſenti negotio omnino æquipollente, ſtolones autem ex radicibus alienæ arboris in fundo tuo nati tui ſunt (§. 407.);

Jus herbarum emiſſariarum.

Digitized by Google

tuæ quoque eſſe debent herbæ, quæ ex herbæ alienæ radicibus intra terram excurrerentibus, vel cauliculis humi repentibus emiſſæ fundo tuo ingeruntur.

Exemplum caſus prioris mentha, poſterioris fragaria præbet. Neque exiſtimandum eſt, herbas eſſe adeo viles, ut de iure in iis nullæ metuendæ ſint lites, ubi enim de jure quæſtio eſt, quantitatis pretii nulla habetur ratio in jure naturali: ſecus ſe res habet in jure civili, quod communis utilitatis gratia transactionem ſubinde facit neceſſariam eamque libertati naturali ſubducit: de quo diſertius dicemus ſuo loco.

§. 409.

Spatium intra aërem quatenus in dominio ſit.

Cujus eſt ſolum, ejusdem quoque eſt ſpatium eidem perpendiculariter imminens, quousque a ſuperficie aliqua occupari poteſt. Quoniam enim ſuperficies ſupra ſolum exiſtit (§. 400.) & ab eodem ſuſtinetur (§. 397.), adeoque ſine hoc exiſtere nequit, ſolum propter ſuperficiem dominio ſubjicitur (§. 211.). Enimvero ſuperficies omnis certum intra aërem ſolo imminens ſpatium occupat. Quamobrem qui dominio ſuo ſolum ſubjicit, eidem quoque ſubjicit omne ſpatium intra aërem eidem perpendiculariter imminens, propterea quod quæ ſolo ſuſtinentur, juxta lineam perpendicularem eidem innituntur. Cujus ergo ſolum eſt, ejusdem quoque ſpatium eſt eidem perpendiculariter imminens, quousque a ſuperficie aliqua occupari poteſt.

Equidem aër dominio ſubjici nequit (§. 208.), ſed communis manere debet, etiamſi fundi dominio ſubjiciantur (§. 209.); non tamen hinc ſequitur, quod ſpatium intra aërem, quod fundo imminet, in dominio eſſe nequeat: ſane ſi ſpatium intra aërem, quod ſolo tuo imminet, non eſſet tuum; nec ædificium in ſolo tuo extruere liceret. Hoc

enim

enim extructo, uſu illius ſpatii excludis ceteros omnes: id quod nonniſi domini eſt (§. 120.). Quod vero nullis limitibus terminetur hoc ſpatium verſus ſuperiora, ſed eo usque tuum ſit, quousque ſuperficies tua exurgit, vel exinde patet, quod ſine ſolo ſuperficiem ſuſtentante ſpatium intra aërem nullius uſus ſit. Vulgo non attenditur dominium ſpatiorum intra aërem; patebit tamen ſuo loco multas quæſtiones absque hoc dominio definiri non poſſe.

§. 410.

Quænam vi dominii huius conſequantur.

Quoniam Domino competit jus utendi (§. 136.), adeoque etiam jus diſponendi de quolibet rei ſuæ uſu (§. 135.); *domini ſoli eſt pro arbitrio ſuo diſponere, quemnam ſpatii intra amoſphæram fundo ſuo perpendiculariter imminentis uſum facere velit* (§. 409.): cumque hoc jure excludat ceteros omnes (§. 120.), eidemque competat jus non patiendi, ut quis alius ſe invito ullum faciat ſpatii ſui uſum (§. 121.); *nec ferre is debet, ut quis uſum illius ſpatii ſe invito faciat, vel quem ipſe facere poterat, eum ſibi arroget.*

Non aliter de ſpatio intra atmosphæram, quod fundo tuo imminet, ratiocinandum, quam de ipſo fundo. Quemadmodum itaque uſus, quem habet lumen ſolis directum, ros, pluvia, aër, quatenus fundum tuum contingit, ad te pertinet, non ad alium; ita ſimiliter *uſus luminis ſolaris directi*, ſeu radiorum ſolarium, *roris, pluviæ, aëris, venti; qui in iſto admoſphæræ ſpatio eſſe poteſt, quod ſolo tuo imminet, ad te pertinet, non ad alium.* Quemadmodum invito domino non licet ingredi fundum ipſius; ita nec in ſpatio atmoſphæræ fundo ejusdem imminente linteamina madida eodem invito ſiccare datur; ſed ſicuti ingreſſum, ita etiam linteaminum in iſto ſpatio ſiccationem prohibere valet.

§. 411.

Spatium atmoſpharicum quid dicatur. Spatium iſtud intra atmoſphæram, quod perpendiculariter fundo cuidam imminet, *Spatium atmoſphæricum* appellare lubet, ſermone patrio den Luft-Raum. Quoniam itaque ſpatium ſolo perpendiculariter imminens ejus eſt, cujus eſt ſolum, quousque ipſum ſuperficies aliqua occupare poteſt (§. 409.); *Spatium atmoſphæricum tuum eſt, quod fundo tuo perpendiculariter imminet.*

§. 412.

Jus ſublucandi arborem alienam quando competat. *Si arbor vicini ramos ſuos per ſpatium atmoſphæricum tuum diffundit & rami obſtant, quo minus ejus uſum, quem vis, facere poſſis; tibi competit jus ſublucandi arborem.* Etenim tibi tanquam domino ſoli competit jus de ſpatii atmoſphærici tui uſu diſponere, quemnam facere velis, nec ferendum tibi eſt, ut alius uſum quendam ejus te invito ſibi arroget (§. 410.). Quamobrem nec tibi ferendum, ut rami arboris alienæ impediant uſum ſpatii atmoſphærici tui, quem facere vis. Quodſi ergo rami, quos arbor vicini per ſpatium atmoſphæricum tuum diffundit, uſum iſtum impediant, cum impedimentum aliter non tollatur, niſi decidantur; tibi jus ſublucandi arborem competat neceſſe eſt.

Jus ſublucandi arborem vicini agnoſcit *Jus Weichbildicum* art. 125. Nullum ex eo damnum ſentit arbor, ſi vel maxime rami ſolo tuo imminentes ſuccidantur, quale metuendum eſt, ſi planta, quæ radices egit in fundo tuo, nec transplantationem denuo admittit, eruatur.

§. 413.

Cujusnam ſint rami *Rami arboris vicini fundo tuo imminentes tui ſunt.* Si enim rami fundo tuo imminent, in ſpatio atmoſphærico tuo

tuo exiſtunt. Et quoniam ordinarie arbor quoque radices per fundum tuum ſpargit, ubi ramos per ſpatium atmoſphæricum tuum diffundit, & ex Phyſicis conſtat, ex radicibus per truncum ſuccum nutricium advehi iis potiſſimum ramis, qui cum iisdem verſus eandem partem ſiti ſunt; iidem ex ſolo quoque tuo nutrimentum capiunt. Oſtendemus autem in Phyſicis, in plantis nutriendis & vegetandis non minus uſui eſſe rorem & pluviam in ſpatio tuo atmoſphærico ſuper ramos cadentem, immo ad eorum vegetationem concurrere quoque aërem & ventum per atmoſphæricum tuum ſpatium ſpirantem una cum calore a radiis ſolaribus ibidem excitato, quorum omnium uſus ad te pertinet (*not.* §. 410.). Rami igitur ac inde quotannis prognati ſurculi aſſimilantur herbis, quas emiſſariæ alienæ fundo tuo ingerunt. Quamobrem cum hæ herbæ tuæ ſint (§. 408.); rami etiam arboris vicini fundo tuo imminentes tui eſſe debent. *fundo alieno imminentes.*

Dixi arbores, quæ ramos per ſpatium atmoſphæricum tuum explicant, ordinarie quoque radices per fundum tuum ſpargere: id quod experientiæ conſentaneum, qua docemur, arbores perinde ac ramos quaqua verſum radices emittere, niſi impediantur. Sed hoc rariſſime accidit, ut radices recta propagandæ retrocedere cogantur, non amplius in orbem, ſed retrorſum porrectæ. Exemplum commemorat *Manzius* ad Inſt. §. 32. de rer. div. n. 25. Succus nutritius in radicibus potiſſimum ac foliis præparatur, ut adeo trunci, per quem ex radicibus in ramos aſcendit, non magnopere habenda ſit ratio.

§. 414.

Quoniam vicino tanquam domino arboris competit proprietas (§. 136.), adeoque jus pro arbitrio ſuo diſponendi *An dominium tuum ramorum ob-*

Digitized by Google

ſtet, quominus arbor a domino cædatur.

nendi de ipſa ejus ſubſtantia (§. 135.); *licet rami tui ſint, qui fundo tuo imminent* (§. 413.), *hoc tamen obſtante vicinus arborem ſuam cædere poteſt, quando libuerit.*

Dominium ramorum fundo tuo imminentium dependens eſt a dominio arboris ac interim quando rami amplius vegetari nequeunt trunco ſublato: quo facto liber tibi reſtituitur ſpatii tui atmoſphærici ac fundi uſus ramorum in iſto vegetatione antea impeditus: Ramorum tuorum interitus ſpectari debet inſtar interitus arborum, qui caſui cuidam tibi inevitabili debetur.

§. 415.

Fructus ramorum fundo tuo imminentium cujusnam ſint.

Quia rami arboris vicini fundo tuo imminentes tui ſunt (§. 413.), domino vero competit jus fructus percipiendi (§. 136.); *ſi rami arboris vicini fundo tuo imminent, fructus, quos edunt, tui ſunt.*

Conſentit *Jus Weichbildicum* art. 125. item Land-Recht lib. 2. art. 52. In ſtatuto ultrajectino Rubr. 27. art. 1. propendentes fructus communicantur, quod Batavis crebro in uſu eſſe obſervat *Huberus* in Prælect. ad Inſt. de rerum div. n. 41. Communionem ſuadere videntur, quæ ſupra de jure plantationis demonſtravimus (§. 406.), ſi ſcilicet rami in ſpatio tuo atmoſphærico vegetati ſpectentur tanquam planta aliena in ſolo poſita. Vegetationem tamen, quam ſuo loco in Phyſicis explicaturi ſumus, ſi intimius perſpicias, rectius arbores ramos ſuos per ſpatium atmoſphæricum tuum explicantes comparantur cum plantis, quæ novellas plantas in fundum alienum emittunt unde fluit jus proprietatis (§. 413.). Ceterum proprietas etiam ſequitur ex principiis JCtorum Romanorum, ſi rami ſpectentur tanquam acceſſorium ſpatii atmoſphærici, ut vi juris acceſſionis huic cedant. Illud tamen principum cum naturale non ſit, ſed ad facilius tranſigendum negotia tantummodo

Digitized by Google

modo inventum; hic conſiderari non meretur, ubi de jure naturæ quæſtio eſt.

§. 416.

Arbor in confinio duorum fundorum poſita pro rata communis eſt. Arbor enim in confinio duorum fundorum poſita & truncum in communi confinio habet, & radices in utrumque fundum æqualiter agit, & ramos per ſpatia atmoſphærica utrique fundo imminentia propagat, adeoque non minus ſolo & ſpatio atmoſphærico tuo vegetationem debet, quam ſolo & ſpatio atmoſphærico vicini. Tantundem igitur rationis eſt, cur tua eſſe debeat quam cur vicini. Erit adeo communionis pro rata. *Cujusnam ſit arbor in confinio poſita.*

Communionem hoc in caſu etiam agnoſcit Jus Romanum §. 31. I. de rer. div. quamvis communionem extendere etiam videatur ad eum caſum, quo arboris truncus totus non niſi in uno fundo exiſtit. In eo tamen juxta noſtra principia truncus totus ejus eſt, in cujus ſolo exiſtit (§. 414.). Romani ad radices potiſſimum animum attenderunt, cum ab iis unice vegetationem pendere exiſtimaverint, aliter philoſophaturi, ſi omnem vegetationis rationem intimius perſpexiſſent. In Jure Saxonico (quod perperam a nonnullis pro Jure Germanico in genere venditatur) quemadmodum ante vidimus (*not.* §. 412. & 415.), ramorum potius habetur ratio, quam radicum, non tam ex naturali ratione, quam ſequi voluerunt JCti Romani, quam ex civili, quod inde jus uniuscujusque facilius definiri poſſit.

§. 417.

Si quis ſementem in agro tuo ſparſerit; frumenta communia erunt pro rata ejus, quod valent ſemina & cultura atque uſus agri. Oſtenditur eodem modo, quo ſupra communionem plantæ adſtruximus in caſu ſeparationis aut impoſſibilis, aut cum metu interitus conjunctæ (§. 406.). Qui *Jus ſationis.*

Digitized by Google

Qui jus Romanorum §. 32. I. de rer. div. ſecuti frumenta domino ſoli adjudicant cum onere præſtandæ æſtimationis ſeminum & impenſarum in culturam factarum, quod civile eſt cum naturali confundunt. Civile etiam eſt, non naturale, ſi dominus ſoli meſſem ei, qui agrum ſuum negligenter conſevit, pro juſta penſione relinquere jubetur. Quid enim juri naturali conveniat, ex principiis de reſarciendo damno dijudicandum, quemadmodum etiam ex ſuperioribus jam ſatis patet, quid conveniat in caſu malæ fidei, ne, quæ quodammodo eadem videntur, totius repeti neceſſe ſit.

§. 418.

Jus Scripturæ & Picturæ.

Si quis in chartis vel membranis tuis ſcripſerit, v. gr. carmen, hiſtoriam, orationem, vel in tabula tua pinxerit; corpus in utroque caſu pro rata erit commune. Cum enim tua ſit charta, membrana vel tabula, ſcriptura vero ejus, qui ſcripſit, pictura illius, qui pinxit, nemini autem quod ſuum eſt invito auferri poſſit (§. 338.); nec tu propterea chartæ, vel membranæ, aut tabulæ dominus eſſe deſinis, quia alter te inſcio ac invito in ea ſcripſit, vel pinxit, nec ideo alter ſcripturæ vel picturæ dominus eſſe deſinit, quia ſcripſit in charta vel membrana tua, aut in tua pinxit tabula. Quoniam tamen impoſſibile eſt, ut literæ a charta vel membrana, pictura a tabula ſeparetur, ut unusquisque recipiat quod ſuum eſt; corpus in utroque caſu pro rata commune eſſe debet.

Juri communionis minime obſtare, ſi multo plus pretii ſit in eo, quod unius eſt, quam in illo, quod eſt alterius, ſupra jam annotavimus, cum de ſpecificatione ageremus (*not.* §. 340.). Abſurdum inde tantummodo ſequitur, ſi ſcriptura JCtorum Romanorum more conſideretur tanquam acces-

acceſſorium tabulæ. Cum enim quod accedit cedere debeat rei principali, operis dominus eſſe debet, cujus ſunt chartæ aut membranæ, vel cujus eſt tabula: quod etſi Imperator admiſerit in ſcriptura, abſurdum tamen agnovit in pictura, cum ridiculum pronunciet, picturam *Appellis* vel *Parrhaſii* in acceſſionem viliſſimæ tabulæ cedere §. 33. 34. Inſt. de rer. div. In communione autem nihil abſurdi alit dominium vel pro milleſima, immo vel millioneſima tantummodo parte. Quid vero æquitati naturali conveniat in tanta differentia, ubi de rei individuæ diviſione agitur, ſuo loco diſquiremus.

§. 419.

Res amiſſa dicitur, quæ eo, qui illam habet, in advertente in humum cadit & eodem abeunte ibidem relinquitur. *Rebus* adeo *amiſſis accenſenda, quæ de rheda currente non ſint. intelligentibus dominis, aut de curru auriga non intelligente cadunt.* *Res amiſſa quænam*

Per ſe apparet, res non amitti niſi mobiles (§. 148.). Et quamvis uſus loquendi communis latior ferat, ut etiam res ſe moventes, quæ nobis non intelligentibus abierunt, nec redeunt, veluti canes, amiſiſſe dicamus; proprie tamen terminus non uſurpatur niſi de rebus mobilibus ſe non moventibus. Atque hic ſtrictior ſignificatus valet, cum de rebus ſe moventibus, quæ ex poteſtate noſtra elabuntur, ſupra jam egerimus.

§. 420.

Res amiſſa manet ejus, cujus fuerat, ſeu cum re non amittitur dominium, quod quis in ea habet. Quoniam res amittitur, ſi non advertente domino aut eo, qui eandem habet, in humum cadit ac ibidem eodem abeunte relinquitur (§. 419.); ex eo, quod amittitur, minime ſequitur, quod do- *An dominium cum re amittatur.*

Digitized by Google

minus eam nolit adhuc eſſe ſuam. Quamobrem cum dominium ſolo animo retineri poſſit (§. 258.); qui rem amittit, dominum in eadem retinet. Manet igitur res amiſſa, cujus fuerat (§. 124.).

Animum retenti dominii ſatis prodit, qui rem amiſit, dum eam quærit, vel inquirit, quinam eandem invenerit, aut præmium pollicetur inventori, ſi eam attulerit.

§. 421.

An inventio rei amiſſæ ſit modus acquirendi dominium.

Qui rem amiſſam invenit, ideo non efficitur dominus ejus. Res enim amiſſa manet ejus, cujus fuerat (§. 420.). Quamobrem cum quod tuum eſt ſine voluntate tua non poſſit fieri alterius (§. 338.); nec res amiſſa inventoris fieri poteſt, quia eam invenit, conſequenter qui rem amiſſam invenit, ideo non efficitur ejus dominus (§. 124.).

§. 422.

An quod inveniſti ſit tuum.

Patet adeo, *tuum non eſſe, quod inveniſti* (§. 421.), *ſed alienum, etſi ignores cujusnam id ſit* (§. 146.); conſequenter *ſi rem, quam inveniſti, vel quam invenit alius, detines tanquam tuam, te rem alienam poſſidere* (§. 150.).

Quando in Jure Romano inventio refertur inter modos acquirendi, ea intelligitur de rebus, quæ nullius ſunt, vel quia in nullius adhuc fuerunt dominio, veluti lapilli et gemmæ in littore maris, vel quod a domino fuerint derelictæ. Quando autem res amiſſæ pro derelictis haberi poſſint, ex ſequentibus patebit.

§. 423.

Quando res amiſſa mala fide poſſidetur.

Si noſti, quinam rem inventam amiſerit, hoc tamen non obſtante eam detines tanquam tuam; rem amiſſam mala fide poſſides. Quodſi enim rem amiſſam detines tanquam tuam, ſive

ſive ipſe, ſive alius eam invenerit, rem alienam poſſides (§. 422.). Quamobrem ſi noſti, quinam rem inventam amiſerit, cum eadem manet ejus, cujus fuerat (§. 420.); ſi ipſe dominus eam amiſit, noſti cujusnam res, quam detines, ſit, ſi vero ipſe dominus eam non amiſerit, ex eo reſcire potes, quinam ſit dominus. Sed mala fide rem poſſidet, qui novit, cujusnam ea ſit (§. 153-159.). Ergo ſi noſti, quinam rem amiſerit, hoc tamen non obſtante eam detines tanquam tuam, rem amiſſam mala fide poſſides.

Potes rem inventam ab inventore accipere, quam inventam eſſe ab eo vel noſti, dum accipis, vel reſcis poſtea, poſtquam accepiſti, nec opus adeo eſt, ut qui poſſidet rem amiſſam ipſe invenerit. Præſens itaque propoſitio intelligenda eſt de poſſeſſore rei amiſſæ, quomodocunque tandem res ad ipſum pervenerit.

§. 424.

Si dominus rem amiſſam derelinquit, ea ſit inventoris, quamdiu jus res derelictas occupandi in nullius dominio. Etenim ſi dominus rem amiſſam derelinquit, ejus dominium acquirit, qui eandem occupat (§. 252.). Quamobrem cum eam occupando ſuam facere poſſit, qui eadem indiget, adeoque qui voluerit, quamdiu jus occupandi res derelictas in nullius fuerit dominio (§. 253.); inventor vero, qui eam apprehendit, dum invenit, & ſuam eſſe quin velit, ubi a domino derelinquitur, dubitari nequit, eandem occupaſſe cenſendus eſt, ubi a domino derelinquitur (§. 174.); ſi dominus rem amiſſam derelinquit, ea ſit inventoris, quamdiu jus res derelictas occupandi in nullius dominio fuerit.

Quando res amiſſa ſiat inventoris.

Undenam conſtet, dominum rem amiſſam dereliquiſſe,

ſuo oſtendemus loco, quando nimirum de derelictione præſumta agemus. Non omnia, quæ de rebus amiſſis tenenda ſunt, hic loci demonſtrari poſſunt, eo loco tradenda, ubi per antecedentia eadem demonſtrare datur.

§. 425.

An re inventa uti licet.

Re amiſſa, quam inveniſti, uti non licet, quamdiu a domino non fuerit derelicta. Quamdiu enim dominus rem amiſſam non derelinquit, quam inveniſti, ea non ſit tua, ſed ipſius manet (§. 420. 424.). Quamobrem cum dominus te excludat omni jure, quod ipſi in re, quam inveniſti, competit (§. 120.), jus autem utendi in dominio contineatur (§. 136.); omni quoque rei uſu te excludit. Quamdiu itaque res amiſſa, quam inveniſti, a domino non fuerit derelicta, eadem uti tibi non licet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quod inveniſti, alienum eſt, etiamſi ignores, cujus nam id ſit (§. 422.), nec fieri poteſt tuum, quamdiu dominus idem non derelinquit (§. 424.). Enimvero de re aliena nemo pro arbitrio ſuo diſponere poteſt (§. 147.). Ergo nec de uſu rei inventæ diſponere potes, quamdiu eam non dereliquit dominus, conſequenter re amiſſa, quam inveniſti, uti non licet, quamdiu a domino non fuerit derelicta.

Cum rei omiſſæ dominus ignoretur, niſi præſens videris eum, dum amiſit, videtur ea convenire cum theſauro, cujus dominus ignoratur (§. 328.), conſequenter inter ἀδέσποτα referri debere videtur (§. 331.), quæ ſtatim occupantis fiunt, quamdiu jus occupandi nemini fuerit proprium (§. 317.). Videris adeo tamdiu dominus rei inventæ eſſe, quamdiu certo non conſtat, quinam ſit dominus, conſequenter non repugnare videtur, ut re inventa tanquam tua utaris, quamdiu dominium non redit ad priſtinum dominum.

minum. Enimvero non ſatis firmo nititur talo hæc argumentatio. Neque enim theſaurus intelligitur, niſi quando pro impoſſibili habetur, ut de domino conſtare poſſit (§. 329.). Aſt rem amiſſam habere adhuc dominum, manifeſtum eſt, & eundem inquirendo detegi poſſe pro impoſſibili non habendum, quemadmodum ſuo loco diſertius docebitur. Dominio itaque vel interemiſtico locus eſſe nequit niſi ex derelictione præſumta, de qua ſuo loco. De jure naturali non ratiocinandum, niſi ex notionibus rerum, ut unus ſit omnium concentus.

§. 426.

Quoniam inventor re, quam invenit, ne quidem uti poteſt, quamdiu a domino derelicta non fuit (§. 425.); *eidem non competit niſi rei inventæ cuſtodia, donec de domino conſtet, aut res ab eo derelicta fuerit.* *Quid juris ſit inventori*

Hinc facile patet, qui non habet animum rem inventam cuſtodiendi, donec de domino conſtare poſſit, eum nec eandem tollere debere. De Bibliis narrat *Ælianus* lib. 4. Var. c. 1. quod nihil in via, in quod incidebant, tollere voluerint, quod non poſuerant, hoc non inventum, ſed furtum eſſe arbitrati. Et idem lib. 3. c. 46. autor eſt, Stagiritarum hanc fuiſſe legem: Quod non depoſuiſti, ne tollas. Enimvero hoc non convenire legi naturæ, quamvis primo intuitu juſtitiæ conforme videatur; ſuo oſtendemus loco.

§. 427.

Quæ in tempeſtate levandæ navis cauſa in mare projiciuntur, ſuorum dominorum manent. Quæ enim navis levandæ cauſa in mare projiciuntur, ea non hoc animo ejiciuntur quod quis ea habere nolit, ſed quo magis cum ipſa navi maris periculum effugiat. Domini adeo in iis, quæ navis levandæ cauſa in mare projiciuntur, dominium, quod ſolo ani- *Jacta in mare levandæ navis cauſa cujus ſint.*

 mo

mo retineri poteſt (§. 258.), retinent (§. 338.), conſequenter quæ in tempeſtate levandæ navis cauſa in mare projiciuntur, ſuorum dominorum manent.

Poterant quæ in tempeſtate levandæ navis cauſa in mare projiciuntur, cum rebus amiſſis conferri, quatenus fluctibus abreptæ conſpectui projicientis ſubducuntur, ut perinde ſit ac ſi ſe non advertente res quædam ſua in terram ceciderit & ipſe cum abierit poſtea ignoret, ubinam locorum ea hæreat. Intuitu juris inter res amiſſas & in tempeſtate in mare projectas nulla differentia.

§. 428.

Cujus nam ſint bona naufragorum.

Bona naufragorum manent dominorum ſuorum. Cadunt enim in mare & fluctibus abrepta conſpectui dominorum ſubducuntur, ut ipſi ignorent, ubinam ſint. Quoniam itaque rebus amiſſis æquiparanda (§. 419.), res amiſſæ vero manent dominorum ſuorum (§. 420.); bona quoque naufragorum dominorum ſuorum manent.

Idem jus eſt in rebus, quæ in tempeſtate navis levandæ cauſa in mare projiciuntur, & in rebus naufragis. Nihil enim refert, quod in priori caſu res in mare projiciantur voluntarie; in poſteriori vero a fluctibus abripiantur te invito. In utroque nimirum caſu dominis eſt animus res ſuas auferendi, ſiquidem eas invenerint, atque hic animus cum ipſa deſperatione eas recuperandi conſiſtit. Nemo eſt, qui non velit rem inventam eſſe adhuc ſuam, etiamſi de ea recuperanda deſperaverit. Quodſi recuperandi ſpem abjicientem interroges, num rem ſuam eſſe nolit, ſi ab alio inventa fuerit; quod velit eſſe ſuam affirmabit. Atque hæc in genere tenenda ſunt de rebus amiſſis & quomodocunque ex poteſtate noſtra elapſis.

§. 429.

Digitized by Google

§. 429.

Quale ſit jus inventoris rerum ejectarum & res naufragorum.

Si quis res navis levandæ cauſa ejectas vel naufragas ſive fluctibus expulſas, ſive in ipſo mari nanciſcatur; eidem non competit niſi illarum cuſtodia, donec de domino conſtiterit, aut ab eodem derelictæ fuerint: quodſi vero a domino fuerint derelictæ, eæ fiunt ejus, qui easdem nactus fuerat, quamdiu jus derelictas occupandi in nullius fuerit dominio. Quoniam res, quæ navis levandæ cauſa in tempeſtate ejiciuntur, & res naufragæ manent dominorum (§. 427. 428.), quemadmodum res amiſſæ (§. 420.); propoſitio quoad ſingulas partes eodem modo oſtenditur, quo idem de rebus amiſſis demonſtravimus (§. 424. 426.).

Poſſunt nimirum res levandæ navis cauſa in mare ejectæ, adeoque multo magis naufragæ cum rebus amiſſis conferri (*not.* §. 427.). Vi igitur principii reductionis ad utrasque applicari debent, quæ de rebus amiſſis demonſtrantur. Identitas, quæ res ſimiles hic facit, in eo conſiſtit, quod tam res ejectæ ac naufragæ, quam amiſſæ ſint res, quæ ex domini poteſtate elapſæ ubinam ſint ignoratur & quarum recuperatio videtur ſi non impoſſibilis, difficilis tamen, aut, ſi mavis, quod ſint res, quæ dominum habent, ſed quarum dominus ab eo, qui easdem invenit, ignoratur,

§. 430.

Cujusnam ſint res a beſtiis raptæ.

Res a beſtiis rapta, veluti oves a lupo, vel gemma ab ave transvolante ablata, tamdiu manent domini, quamdiu recuperari poſſunt. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo res amiſſas ejus manere, cujus antea fuerant, ſupra demonſtravimus (§. 420.).

Poſſunt nimirum etiam res a beſtiis raptæ ad res amiſſas reduci (*not.* §. 429.).

§. 431.

Digitized by Google

§. 431.

Cujusnam ſit res, quæ poteſtati domini ſubducitur.

Immo in genere res, quæ quomodocunque poteſtati tuæ ſubducitur tamdiu, manet tua, quamdiu recuperari poteſt. Eodem modo oſtenditur, quo antea demonſtravimus rem amiſſam manere domini ſui (§. 420.).

Propoſitionem hanc generalem, quæ univerſalitate ſua multas antecedentes complectitur, addere viſum fuit, cum conducat ad ceteras memoria facilius retinendas. Quodſi eandem primo loco demonſtrare voluiſſemus, ceteras per modum corollarii inde deducere licuiſſet. Nec obſtat, ſi poteſtati tuæ ſubductæ veniant in poſſeſſionem alterius: neque enim cum poſſeſſione dominium amittitur, ſed ejus ſaltem exercitium ſuſpenditur, quod etiam contingit, ſi res poteſtati tuæ ſubducta a nemine poſſidetur.

§. 432.

Fructus naturales & Induſtriales.

Cum fructus in numero rerum ſint (§. 956. *part. I. Theol. nat.*), perinde ac res in genere dividuntur in naturales & induſtriales. Et *Naturales* quidem dicuntur *Fructus*, quos natura ſua ſponte producit; *Induſtriales* vero, quos nonniſi interveniente opera humana, ſeu cultura & cura, producit.

Applicantur nimirum ad fructus definitiones generales rerum naturalium & induſtrialium (§. 503. 504. *part. I. Jur. nat.*). Ita poma, nuces, glandes accenſentur fructibus naturalibus, quia nulla fere hominum cura interveniente a natura producuntur. Quodſi tamen curam & culturam paulo majorem adhibeas, quam ut ea pro nulla reputari poſſit; nec abſurdum erit, poma etiam a cerafa ac pira fructibus induſtrialibus accenſeri. Vanæ adeo ſunt lites eorum, qui inter ſe contendunt, utrum poma & cerafa aliique arborum fructus haberi debeant pro naturalibus, an induſtrialibus,

libus, per definitiones in caſu dato facile dirimendæ, in genere nunquam terminandæ. Sine controverſia vero fructus induſtriales ſunt fruges, olera, vinum, oleum.

§. 433.

Fructus pendentes vocantur, qui a re, ex qua proveniunt, nondum fuerunt ſeparati: *Percepti* autem, qui a re, ex qua provenerunt, jam ſunt ſeparati & plene collecti. *Percipiendi* autem appellantur, quos quis percipere poterat, modo voluiſſet, vel ſi jam natos a re, ex qua provenerunt, ſeparare non neglexiſſet, vel omiſſa debita cultura atque cura non in cauſa fuiſſet, ne naſcerentur. *Pendentes, percepti ac percipiendi.*

Ita poma, pira, ceraſa, quamdiu arbori cohærent, fructus pendentes ſunt; quamprimum vero decerpuntur & in cellam deferuntur, percepti dicuntur. Similiter fruges fructus pendentes ſunt, quamdiu in agris adhuc extant, nec ab eo ſeparatæ ſunt: enimvero ſi demeſſæ & ab agro in horreum avectæ fuerint, ſi grana ibidem excuſſa fuerint, fructus percepti ſunt. Fructuum perceptio pluribus conſtat actibus, raro ſimplici abſolvitur. Immo ſubinde fructus percipiuntur ſola deſtinatione ad uſum quendam ſuum, veluti ſi glandes ſponte in terram cadentes non colligas, ſed ſuibus illuc actis veſcendas relinquas. Eodem modo percipiuntur gramina in prato, quæ pecudes tuæ depaſcunt. Etenim ſues in caſu priori glandes conſumunt, in poſteriori pecudes gramina depaſcunt tua voluntate, ut adeo actus pecudum ſuccedant in locum actuum, quibus fructuum perceptio abſolvitur, absque illis enim in caſu priori glandes colligere ac domum apportare, in poſteriori gramina a terra ſeparare & in ſtabulum deferre deberes, ut in pabulum pecudum tuarum cederent. Si fructus naturales, veluti poma & pira ſylveſtria, ex quibus acetum vel vinum crematum facere poteras, non decerpis ac colligis; fru-

ctus, quos colligendos neglexiſti, ſunt fructus percipiendi. Immo ipſum etiam acetum & vinum crematum, quod facere neglexiſti, inter fructus induſtriales percipiendos recte refertur. Similiter ſi agrum ſemiter colis ut eas non ferat fruges, quas latura eſt debita diligentia culta; fruges uberiores, quos percipere potuiſſes, niſi in agro colendo negligentem te præbuiſſes, fructibus percipiendis annumerantur.

§. 434.

Fructus extantes & conſumti.

Fructus extantes dicuntur, quos poſſeſſor rei, ex qua provenerunt, adhuc habet; *conſumti* vero appellantur, qui non amplius extant.

Lana eſt fructus ovium. Quamdiu eam habes, fructuum extantium numero eſt; quando vero eam habere deſinis, conſumtis accenſetur. Similiter lac fructus vaccæ eſt; quamdiu ipſum in vaſe aſſervas, ad fructus extantes pertinet: quando vero bibis vel aliis bibendum das, conſumtis annumeratur. Frumentum etiam, quamdiu in granario tuo, fructibus extantibus annumeratur: aſt ſi in farinam fuerit converſum & ex hac panis coctus, ad fructus conſumtos refertur.

§. 435.

Perceptio fructuum inchoata & conſummata.

Perceptio dicitur *inchoata*, quæ ad unum vel alterum tantummodo actum proceſſit; *conſummata* vero, quæ nullum amplius actum requirit.

Ita ad frumenta percipienda requiritur, ut fruges in agro extantes metantur, demeſſæ in mergites colligentur, colligatæ currui imponantur, currui impoſitæ in horreum vehantur, tandemque ex ſpicis triturando grana excutiantur loco commodo aſſervanda, donec de iis porro diſponatur, prouti viſum fuerit. Hinc facile intelligitur, quandonam perceptio

Digitized by Google

ceptio frumentorum dici poſſit conſummata, & quandonam inchoata haberi debeat.

§. 436.

Hominum actiones liberæ quo reſpectu rebus æquiparentur.

Omnes hominis actiones, tam internæ, quam externæ liberæ, æquiparantur rebus, quæ ſunt in dominio ipſius. Etenim actiones hominum liberæ, tam internæ, quam externæ, pendent a voluntate ejus libera (§. 12. *part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque fieri poteſt, ut de iisdem diſponat, prout libuerit. Enimvero natura homines omnes liberi ſunt (§. 146. *part. I. Jur. nat.*), adeoque in agendo non dependent ab ullo alio homine niſi a ſeipſo (§. 153. *part. I. Jur. nat.*), & uniuscujusque conſcientiæ relinquendum, utrum actionem quandam committere, an omittere velit (§. 157. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem homini competit jus de actionibus ſuis diſponendi pro arbitrio ſuo (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*). Per ſe autem patet, quod actiones ipſius tam internæ, quam externæ liberæ uſui eidem ſint cum ad vitam conſervandam & commode ac tranquille tranſigendam, tum ad animæ atque corporis perfectionem quomodocunque promovendam. Actiones igitur liberæ hominis tam externæ, quam internæ æquiparantur rebus (§. 495. *part. I. Jur. nat.*), de quibus ipſi jus eſt pro arbitrio ſuo diſponendi *per demonſtrata*. Quare cum res, de quibus pro arbitrio ſuo diſponendi jus eſt homini, ſint in dominio ipſius (§. 118.); omnes hominis actiones liberæ tam internæ, quam externæ, æquiparantur rebus, quæ ſunt in dominio ipſius.

Principii hujus multus uſus in demonſtrando, poſtquam dominia rerum introducta ſunt, Ceterum ex eodem intelligitur, qui naturali adhuc pollet facultate agendi, eum non

habere nihil: habet enim actiones ſuas, quas quandocunque viſum fuerit, tam ſuæ, quam aliorum utilitatis gratia edere poteſt. Patebit etiam ſuo loco, eas cum rebus permutari poſſe, ac non non minus quam has æſtimationem recipere.

§. 437.

Quibusnam rebus comparetur opera, cultura etiam & cura rerum.

Quoniam opera humana & cultura ac cura rerum certis actionibus liberis conſtat, quod per ſe notum; *opera quoque hominum non minus, quam cultura & cura rerum æquiparatur rebus, quæ ſunt in dominio ipſorum.*

Opera tua non minus tua eſt, quam res mea mea eſt: quod idem valet de cultura & cura rerum. Quemadmodum meum eſt ſtatuere de re mea, prouti libuerit; ita tuum eſt ſtatuere de opera tua, de cultura item & cura, quam res exigunt, prouti tibi viſum fuerit. Quæ de rebus, quæ ſunt in dominio, demonſtrantur, quatenus in dominio ſunt; ea etiam ad operam tuam, nec non ad culturam & curam rerum applicari poſſunt.

§. 438.

Res artificiales quatenus in fructuum numero ſint.

Res artificiales qua ſpecies ſunt fructus operæ tuæ. Res artificiales arte humana parantur (§. 505. *part. I. Jur. nat.*), dum ſcilicet ex materia opera tua fit ſpecies (§. 339.); Quoniam igitur opera tua æquiparatur rei, quæ eſt in dominio tuo (§. 437.); res artificialis qua ſpecies eſt res ex re tua proveniens. Quoniam igitur res ex re tua proveniens fructus ejus eſt (§. 956. *part. I. Theol. nat.*), res artificialis qua ſpecies eſt fructus operæ tuæ.

Quælibet res conſtat ex materia & forma & a forma habet, ut ſit hujus ſpeciei, conſequenter ſenſu Juridico ſpecies (§. 339.). Quamobrem ſi res artificiales conſiderantur

Digitized by Google

tur tanquam ſpecies, non ad materiam', ſed ad formam reſpicitur, quæ opera tua materiæ inducitur. Res igitur artificialis qua ſpecies ab opera tua provenit. Sumſimus in ſuperioribus tanquam facile concedendum, formam materiæ inductam eſſe ſpecificantis, cum de jure ſpecificationis ex aliena materia ageremus (§. 340.). Quodſi vero quis in eo admittendo ſcrupuloſior fuerit; ex præſenti propoſitinone idem facile demonſtratur.

§. 439.

Fructus induſtriales cujusnam rei fructus ſint.

Fructus induſtriales non minus ſunt fructus cultura ac cura tua, quam rei, ex qua proveniunt. Etenim fructus induſtriales ſunt, quas natura non niſi interveniente opera tua, cultura ſcilicet ac cura, producit (§. 432.). Quamobrem cum cultra & cura æquiparentur rebus, quæ ſunt in dominio hominum (§. 437.); fructus, quatenus debentur culturæ ac curæ tuæ, non minus ex re tua proveniunt, quam quatenus ex re illa, quæ culturam & curam tuam exigit, naſcuntur. Quoniam igitur fructus ſunt fructus ejus rei, ex qua proveniunt (§. 956. *part. I. Theol. nat.*); fructus induſtriales non minus ſunt fructus culturæ ac curæ tuæ, quam rei, ex qua proveniunt.

E. gr. Si tu agrum colis & curam omnem adhibes, quam exigit, ut larga meſſis ſperari poſſit; frumentum non minus fructus eſt culturæ & curæ tuæ, quam agri. Quemadmodum enim fruges non naſcuntur, niſi in agro, atque ideo agri fructus exiſtimantur; ita nec proveniunt absque cultura & cura tua, atque hac de cauſa eodem jure cenſentur fructus culturæ ac curæ tuæ, quo res artificiales fructus artis, ſeu operæ tuæ ſunt (§. 438.). Similiter ſi proventum fructuum, quos edunt arbores, harum cultura & cura tua promoves, id quod fieri poſſe nemo niſi rerum hortenſium ignarus negaverit; arborum etiam fructus, veluti

Digitized by Google

luti poma, pira, ceraſa, non minus culturæ ac curæ tuæ, quam arborum fructus ſunt.

§. 440.

Fructus pendentes cujusnam ſint. *Fructus pendentes jam ſunt domini rei, ex qua proveniunt.* Quoniam enim dominium continet jus fruendi (§. 136.); domini quoque eſt jus diſponendi de fructu rei ſuæ, quamprimum ex ea proveniunt (§. 135.), conſequenter, ubi a re nondum ſeparati, adeoque adhuc pendentes ſunt (§. 433.). Sunt igitur fructus pendentes in dominio ejus, cujus res eſt, ex qua proveniunt (§. 118.), conſequenter domini rei ſunt (§. 124.).

E. gr. Si tua eſt arbor, fructus quoque nondum decerpti tui ſunt, conſequenter ſi quis pomum decerpit & aufert, rem tuam aufert. Similiter ſi tuus fuerit ager & a te cultus, ariſtæ quoque ſingulæ tuæ ſunt, & qui ariſtas aufert, rem tuam aufert. Immo cum etiam ſeges ſit fructus agri a te culti, qui ſegeti damnum infert, rei tuæ damnum infert.

§. 441.

Cujusnam ſit jus fructus percipiendi. *Domino competit jus fructus percipiendi, nec ipſo invito alius eosdem percipere poteſt.* Domini enim rei ſunt fructus adhuc pendentes, qui ex re ipſius proveniunt (§. 440.), adeoque ipſius ſunt, antequam a re, ex qua provenerunt, ſeparentur & colligantur (§. 433.). Quoniam itaque de re ſua pro arbitrio ſuo diſponere poteſt (§. 118.); fructus quoque a re ſua ſeparare & ſeparatos colligere valet, nec ipſo invito alius quispiam hoc facere poteſt (§. 121.). Quamobrem cum fructus percipiat, qui eosdem a re, ex qua provenerunt, ſeparat ſeparatosque colligit (§. 433.); domino competit jus fructus percipiendi (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*), nec ipſo invito alius eosdem percipere oteſt.

Si

Si arbor tua eſt, tibi competit jus poma decerpendi & colligendi, neque te invito quiſquam alius ea decerpere & decerpta colligere poteſt. Similiter ſi ager fuerit tuus & tua cura cultus, nemo fruges demetere & in faſciculos collectos in horreum ſuum avehere poteſt te invito; ſed tibi domino competit jus hoc faciendi.

§. 442.

Fructus induſtriales communes ſunt pro rata domino rei, ex qua proveniunt, & ei, cujus cultura ac cura debentur. Etenim fructus induſtriales non minus ſunt fructus culturæ ac curæ, cui debentur, quam rei, ex qua proveniunt (§. 439.). Quamobrem cum fructus ſint domini rei, ex qua proveniunt (§. 440.); fructus induſtriales pro rata communes eſſe debent domino rei, ex qua proveniunt, & ei cujus culturæ ac curæ debentur.

Fructuum induſtrialium communio.

Si tuus fuerit ager, mea vero cultura & cura, fruges ſpectantur tanquam res ex re communi provenientes (§. 437.). Ex re communi provenientes res fructus communes ſunt. Fruges igitur communes eſſe debent, pro rata ſcilicet, quantum valet uſus agri tui, & cultura ac cura mea.

§. 443.

Quoniam fructus induſtriales communes ſunt pro rata domino rei, ex qua proveniunt, & ei, cujus culturæ ac curæ debentur (§. 442.); *Si tu fundum meum ſive bona, ſive mala fide poſſides, fructus induſtriales communes ſunt mei & tibi, pro rata, quantum nimirum valet uſus fundi mihi & cultura ac cura tua.*

An poſſeſſoris fundi alieni ſint fructus induſtriales.

Quod ergo Imperator §. 35. I. de rer. div. velit, poſſeſſorem bonæ fidei ſuos facere fructus perceptos pro cultura & cura, id civile eſt: pœnale vero, adeoque itidem naturale

rale non eſt, quod poſſeſſor malæ fidei cum fundo etiam fructus reſtituere debeat. *Grotius*, qui idem agnovit, lib. 2. c. 5. §. 23. 24. utrique poſſeſſori tribuit jus fructus deducendi pro impendiis in rem factis & opera utili, reſiduum domino fundi adjudicans. Mirum vero videri poterat, cum in aliis veluti in ſpecificatione, plantatione & ſcriptura, communionem juri naturali conformem defenderit, cur hic a communione diſcedat, & fructus induſtriales domino rei tribuit, ex qua proveniunt, ſalvo jure deducendi impenſas & id, quod valet opera utilis. Non attendit vir alias acutus, agrum & culturam cum cura facere rem communem, ex qua proveniunt fruges (*not.* §. 442.).

§. 444.

Perceptio fructum non eſt modus eos acquirendi.

Perceptio fructuum non eſt modus eos acquirendi. Ponamus enim, ſi fieri poteſt, perceptionem fructuum eſſe modum eos acquirendi. Quoniam fructus percipit, qui eos a re, ex qua proveniunt, ſeparat atque colligit (§. 433.); fructus occupando acquiruntur (§. 174.), conſequenter cum occupatio ſit modus acquirendi originarius (§. 178.), fructus, quamdiu non percipiuntur, ſunt nullius (§. 136.): quod cum ſit abſurdum (§. 440.), perceptio fructuum modus eos acquirendi eſſe nequit.

Directe oſtenditur hoc modo propoſitio præſens. Fructus pendentes jam ſunt domini rei, ex qua proveniunt (§. 440.), conſequenter ipſius ſunt, antequam a re ſeparantur & colliguntur (§. 433.). Quoniam itaque quod meum eſt me invito tuum fieri nequit (§. 338.), & jus fructus percipiendi ſoli domino competit (§. 441.); haud quaquam fieri poteſt, ut ideo fructus ſint tui, quia eos a re, ex qua proveniunt, ſeparas atque colligis. Perceptio igitur fructuum non eſt modus dominium eorum acquirendi.

Loqui-

Loquimur hic de modo acquirendi naturali, quem Jus naturæ probat; non de eo, quem jus civile pro tali declarat.

§. 445.

Cujusnam ſint fructus pure naturales, ſi fundus a non domino poſſidetur.

Si tu fundum meum ſive bona, ſive mala fide poſſides; fructus pure naturales mei ſunt, &, ſi eos conſumis, fructus meos conſumis. Fructus enim pure naturales natura ſola producit (§. 432.), adeoque toti ex fundo meo, qui a te quacunque fide poſſidetur, proveniunt. Quamobrem cum jus fruendi (§. 136.), adeoque de fructibus pro arbitrio diſponendi mihi competat (§. 135.), nec ideo, quod a te fundus poſſidetur, hoc jus a me fuerit amiſſum (§. 257.), ſed animo retineatur (§. 258.), nec quia fructus percipis, dominium eorum acquiris (§. 444.); fructus pure naturales toti mei ſunt (§. 118. 124.). *Quod erat primum.*

Si tu fundum meum ſive bona, ſive mala fide poſſides, fructus pure naturales mei ſunt *per demonſtrata*. Quodſi ergo eos conſumis, te fructus meos, non tuos conſumere patet. *Quod erat alterum.*

Nulla hic eſt ratio, cur fructus rei alienæ participare velit poſſeſſor cum domino, ſicuti induſtriales (§. 443.). Neque enim opera, quam perceptioni impendit, vel etiam ſumtus, quos in iis percipiendis facit, æquivalent rei, ex qua proveniunt fructus. Alia vero quæſtio eſt, num impendia in perceptionem facta deducendi jus competat percipienti, quatenus ea fieri debebant a domino, ſi ipſe eos jure ſuo uſus (§. 441.), percipere debuiſſet. De hac enim dicemus ſuo loco, quid conveniat juri naturali.

§. 446.

Perceptio fructuum ex

Qui re aliena fruitur invito domino, injuriam ipſi facit.

e aliena quando ſit injuria. Quoniam jus fruendi perinde in dominio continetur ac jus utendi (§. 136.); eodem modo propoſitio demonſtratur, quo ſupra oſtendimus, injuriam domino facere eum, qui re ipſius eodem invito utitur (§. 222.).

Oſtenditur etiam hoc modo. Jus percipiendi fructus domino competit, nec ipſo invito alius eosdem percipere poteſt (§. 441.). Quodſi ergo ex re aliena invito domino fructus percipis, contra jus ipſius perfectum agis (§. 235. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum injuriam alteri faciat, qui contra jus perfectum ipſius agit (§. 859. *part. I. Jur. nat.*); ſi re aliena frueris invito domino, injuriam ipſi facis.

§. 447.

Differentia inter poſſeſſorem b. & m. f. quoad fructuum perceptionem. *Cum poſſeſſor malæ fidei fructus ex re aliena percipit, injuriam domino facit; minime autem poſſeſſor bonæ fidei.* Perceptio fructuum ex re aliena invito domino facta in ſe ſpectata injuria eſt (§. 446.). Quamobrem cum poſſeſſori malæ fidei factum ſuum imputetur, minime autem poſſeſſori bonæ fidei (§. 163.); poſſeſſor quidem malæ fidei, dum fructus ex re aliena percipit, injuriam facit domino, non vero poſſeſſor bonæ fidei (§. 527. *part. I. Phil. pract. univ.*).

Juri adeo naturali convenit, quod Imperator quoad perceptionem fructuum inter poſſeſſorem bonæ ac malæ fidei diſtinguat (*not.* §. 443.), etſi quod quoad utrumque definit ex aſſe eidem non conſentiat. Defendimus in ſuperioribus communionem fructuum induſtrialium non minus quoad poſſeſſorem malæ, quam bonæ fidei (§. 443.). Forſan igitur erunt qui circa propoſitionem præſentem hærent, quod perceptionem fructuum ad injuriam referat in malæ fidei poſſeſſore. Enimvero nebulæ, quæ menti offunduntur, facile

facile diſpellentur. Etenim malæ fidei poſſeſſor ratam fru-ctuum induſtrialium percipit tanquam dominus, non vero omnes, adeoque injuria ineſt perceptioni fructuum, quatenus communes ſibi ſoli vindicat. Deinde ipſi etiam ratæ ineſt injuria, quatenus ea involvit uſum rei alienæ invito domino factum, quem eſſe injuriam conſtat (§. 222.).

§. 448.

Bona quid ſint. Res, quæ ſunt in dominio, univerſim, non ſigillatim ſpectatæ, nullo attento earum diſcrimine, dicuntur generatim *Bona*, vernaculo ſermone **Gütter**, item in ſingulari **das Gut**.

Nimirum res, quando bona dicuntur, conſiderantur tantummodo, quatenus earum pretium pecunia determinari poteſt, ſeu quatenus pro iis pecuniam recipere datur. Hinc partem bonorum dicimus, quia bona, quæ quis poſſidet, conſideramus tanquam aliquod totum. Non puto definitionem noſtram abire a ſignificatu, qui receptus eſt in Jure Romano. *Africanus* enim diſerte: Bonorum appellatio, ſicut hereditatis, univerſitatem quandam ac jus ſucceſſionis, non ſingulas res demonſtrat. Et in bonis eſſe dicitur, quod dominii noſtri vel quaſi dominii eſt. Vid. *Schardius* in Lexico. Nobis equidem de ſignificatu in Jure Romano non multum laborandum, modo eum retineamus in ſequentibus, quem vocabulo tribuimus; ad multos tamen textus Juris civilis intelligendos accurate perſpectus eſſe debet.

§. 449.

Quomodo bona determinentur quæ quis habet. Quoniam bona in dominio noſtro eſſe debent (§. 448.); *ſi in numero rerum tuarum fuerint res alienæ, aut ſi ære alieno labores, bona non intelliguntur, niſi rebus alienis ſublatis, aut ære alieno deducto.*

Conſentanea hæc ſunt Juri Romano. Diſerte enim *Paulus* l. 39. de V.S. Bona, inquit, intelliguntur cujusque, quæ deducto ære alieno ſuperſunt. Ex hac lege ſola demonſtrari poterat, definitionem bonorum, quam dedimus, ſignificatui in Jure Romano recepto convenire.

§. 450.

Idem porro expenditur. Ex eadem ratione patet, *ſi res quædam tuæ fuerint penes alios, eas appellatione bonorum tuorum contineri*, conſequenter etiam *nomina ad bona tua referenda eſſe.*

Hoc denuo convenit Juri Romano l. 49. de V.S.

§. 451.

Ad hunc ulterius expenditur. Ex eadem ratione, cum etiam res in corporales in dominio ſint (§. 216.), *omnia* quoque *jura noſtra in bonis noſtris computanda.*

Conſentit etiam quoad hoc *Ulpianus* l. c. Quid ſit æs alienum, quid ſint nomina, nondum equidem explicavimus; ſed ſuo demum loco exhibebitur diſtincta notio, iis præmiſſis notionibus, in quas ea reſolvitur: quoniam tamen, termini ſatis intelliguntur per confuſas, quas habemus, notiones, nemo ſanus reprehendet, quod iisdem hic uſi ſimus, ubi ad tuendum ſignificatum Bonorum tanquam in Jure Romano receptum quædam ex definitione noſtra inferenda fuerunt, quæ id aperte loquuntur.

§. 452.

Patrimonium quid ſit. Omnium bonorum, quæ quis habet, univerſitatem *Patrimonium* appellamus.

Bona nimirum omnia ſimul ſumta conſtituunt patrimonium. Equidem primo patrimonium nonniſi ea bona continebat, quæ a parentibus obvenerant, patre nimirum at-

que

Digitized by Google

que avo, deinde vero ad idem quoque relata fuerunt, quæ a matre provenerant; attamen tandem ad ea quoque bona extenſum, quæ quis propria acquiſivit diligentia, ut adeo patrimonii appellatione omnia contineantur bona, undecunque provenerint. Et in hoc laxiori ſignificatu vocabulum accipere lubet. Notandum porro in Jure Romano patrimonium non eſſe niſi eorum, qui ſui juris ſunt, filiis enim, qui erant in poteſtate patris, & ſervis, qui erant in poteſtate dominorum, non concedebatur niſi peculium, de cujus a patrimonio differentia dicere non eſt hujus loci. Enimvero nemo a nobis requiſiverit, ut hac in parte definitionem patrimonii hypotheſibus Juris Romani accommodemus. Immo ſuo loco conſtabit, definitionem patrimonii, ſuppoſita bonorum definitione, in quam ea reſolvitur, a nobis datam non obſtare, quo minus differentiæ juris Romani & Juris naturæ quoad patrimonium & peculium citra ullam hæſitationem aut ex confuſione eorum, quæ diſcernenda ſunt, metuendum errorem agnoſcantur.

§. 453.

Patrimonium amplum dicitur, quod multa bona continet; *tenue* autem, quod pauca. *Patrimonium amplum & tenue.*

Videbimus ſuo loco, pecuniam fungi vice bonorum, adeoque etiam pecunias in patrimonio contineri. Idiomate patrio patrimonium dicimus das Vermögen & amplum vocamus ein groſſes Vermögen; tenue autem ein ſchlechtes Vermögen. Deo eo autem, qui amplum patrimonium habet, dicimus: Er hat viel Geld und Gut, hoc eſt, multum pecuniarum & bonorum habet.

§. 454.

In communione primæva patrimonium nullum datur; quamprimum vero ab ea receditur, patrimonia oriuntur. Etenim in communione primæva res omnes ſunt nullius (§. 7.), adeo- *Patrimonium quando cæperit.*

que nullius hominis juri proprio (§. 6.), conſequenter dominio ſubjectæ (§. 118.). Quamobrem cum bona ſint res, quæ ſunt in dominio tuo (§. 448.); in communione primæva nec tu, nec alius bona habere potes. Quoniam itaque bonorum, quæ quis habet, univerſitas patrimonium eſt (§. 452.); in communione primæva nemo hominum aliquod patrimonium habet, adeoque in ea nullum patrimonium datur. *Quod erat unum.*

Enimvero quamprimum a communione primæva receditur, dominia introduci neceſſe eſt (§. 140.), conſequenter homines res quasdam in dominio habere incipiunt. Sublata igitur communione primæva bona habent (§. 448.), conſequenter patrimonium aliquod (§. 452.). Patet itaque patrimonia oriri, quamprimum a communione primæva receditur.

Videmus itaque patrimonia cum ipſo dominio cœpiſſe, & initio uniuscujusque patrimonium conſtitiſſe ex iis rebus, quas occupavit, immobilibus præſertim ac mobilibus, quæ uſu non conſumuntur (§. 175.), vel etiam ſe moventibus (§. 236.), poſtea vero amplificatum fuiſſe rebus artificialibus tanquam fructibus operæ (§. 438.), & fructibus tam induſtrialibus, quam naturalibus (§. 432. 439.), utpote vi dominii percipiendis (§. 441.). Noſtrum vero jam non eſt neque ex hiſtoria, neque rationibus, quæ abunde proſtant in ſuperioribus, docere, quam tenue initio fuerit patrimonium hominum, & quomodo quibusque de cauſis idem fuerit poſtea amplificatum, quave de cauſa orta fuerit magna patrimoniorum diverſitas. Neque enim hæc faciunt ad jus rerum intimius perſpiciendum, quod hic tradere nobis propoſuimus.

§. 455.

§. 455.

Unusquisque patrimonio ſuo non aliter uti debet, quam ut ſatisfaciat obligationi cuidam naturali: omnis vero abuſus lege naturali prohibitus. Patrimonium enim eſt bonorum, quæ habemus, univerſitas (§. 452.), adeoque continet res, quæ ſunt in dominio noſtro (§. 448.), conſequenter res noſtras (§. 124.). Sed unusquisque re ſua non aliter uti debet, quam ut ſatisfaciat obligationi cuidam naturali (§. 167.). Quamobrem unusquisque patrimonio ſuo non aliter uti debet, quam ut ſatisfaciat obligationi cuidam naturali. *Quod erat unum.* *Uſus patrimonii licitus, abuſus illicitus.*

Quoniam abuſus rerum ſuarum lege naturali prohibitus (§. 170.), patrimonium vero bonis, quæ habemus (§. 452.), adeoque rebus, quæ ſunt in dominio noſtro (§. 448.), conſequenter rebus noſtris conſtat (§. 124.); omnis omnino abuſus patrimonii lege naturali prohibitus. *Quod erat alterum.*

In quonam conſiſtat abuſus patrimonii, intelligitur ex eo, quod de abuſu rerum noſtrarum demonſtravimus (§. 168.), nimirum ſi quis quid facit patrimonio ſuo uſurus quod obligationi cuidam naturali repugnat.

§. 456.

De patrimonio ſuo quilibet pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, nec ulli rationem de eo, quod diſponit, reddere tenetur. Patrimonium enim continet omnia bona, quæ habemus (§. 452.), adeoque nonniſi res, quæ ſunt in dominio noſtro (§. 449.). Enimvero vi dominii unusquisque de re ſua diſponere poteſt pro arbitrio ſuo (§. 118.), nec ulli rationem reddere tenetur, quomodo re ſua utatur (§. 169.). Quamobrem de patrimonio ſuo quilibet pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, *Jus in patrimonio.*

teſt,

Digitized by Google

teſt, nec ulli rationem reddere tenetur de eo, quod diſponit.

Patrimonii jus non diverſum eſt a jure dominii, propterea quod conſtat rebus, quæ ſunt in dominio noſtro (§. 449. 452.), nec ortum ſuum refert niſi ad dominium (§. 454.). In communione primæva res omnes ſunt bona totius generis humani communia, quod univerſum unicum quaſi habet patrimonium.

§. 457.

An amplum patrimonium te diſpenſet a labore.

Qui amplum habet patrimonium, ei non prorſus otiandum, ſeu totam in otio vitam conſumere non licet; ſed perinde ac aliis, qui tenue aut nullum habent, laborandum. Etenim nemini hominum prorſus otiandum (§. 515. *part. I. Jur. nat.*), ſed unicuique laborandum (§. 514. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem nec ei, qui amplum patrimonium habet, vitam omnem in otio conſumere licet, ſed perinde ac aliis, laborandum, qui tenue ac nullum habent.

Nemini dubium orietur circa propoſitionem præſentem, qui novit, quid laboris nomine indigitetur (§. 512. *part. I. Jur. nat.*). Non nobis ſolis vivimus, ſed etiam aliis, nec nobis ſolis laboramus, ſed etiam aliis, hoc eſt, non noſtram tantummodo intendimus utilitatem labore noſtro, ſed etiam aliorum. Oppido falluntur, qui ex patrimonio amplo privilegium otiandi naſci ſibi aut aliis perſuadent: id quod nullo modo demonſtrari poteſt. Quod ſi verum eſſet, nonniſi ea de cauſa laborandum eſſe, ut habeas, unde vivas; verum omnino foret, ei vitam omnem in otio conſumere licere, qui tam amplo patrimonio inſtructus ut ex eo habeat, unde vitæ neceſſitati ac jucunditati proſpiciatur. Enimvero cum alia prorſus ratio ſit, cur homines labore debeant (§. 514. *part. I. Jur. nat.*); privilegium iſtud, quod amplum patrimonium habenti a nonnullis conceditur, nullo nititur

tur fundamento. Sed hæc apertiora evadent, ubi demonſtraturi ſumus, quænam in acquirendis bonis & in iis adminiſtrandis hominum officia ſint. Neque enim hic loci ea doceri poſſunt. Abſit adeo ut exiſtimes, a nobis eſſe prætermiſſa, quæ alii loco reſervari leges methodi, quam tenemus, jubent.

§. 458.

Obligatio hominis quoad patrimonium.

Homo obligatur ad patrimonium ſuum conſervandum & amplificandum, quantum in poteſtate ſua fuerit. Obligatur enim ad ſtatum ſuum externum perficiendum & ad imperfectionem vitandam (§. 152. *part. I. Phil. pract. univ.*). Cum patrimonium conſtet bonis, quæ quis habet (§. 452.), adeoque rebus, quæ ſunt in dominio ipſius (§. 448.); quod id pertineat ad ſtatum rei externum, & hic quoad patrimonium perficiatur, ſi numerus rerum, quæ ſunt in dominio, ſive bonorum augetur, imperfectior vero reddatur, ſi idem minuatur, nemo non videt. Quoniam itaque patrimonium conſervatur, ſi idem manet bonorum, qui in eodem continentur, numerus, amplificatur vero, ſi is augeatur (§. 453.); quin homo obligetur ad patrimonium ſuum conſervandum & amplificandum dubitari nequit. Enimvero nemo obligatur ad ea conſequenda, vel vitanda, quæ in poteſtate ſua non ſunt (§. 176. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem homo obligatur ad patrimonium ſuum conſervandum & amplificandum, quantum in poteſtate ſua fuerit.

Quandonam conſervatio & amplificatio patrimonii ſit in poteſtate noſtra ex definitione eorum, quæ in poteſtate noſtra ſunt & non ſunt intelligitur (§. 175. *part. I. Jur. nat.*). Nimirum in poteſtate tua eſt, ſi facultatum, virium ac rerum tuarum uſu, aliorumque ope ac auxilio eam conſequi, vel

vel diminutionem patrimonii evitare poſſis; non eſt, ſi hoc fieri nequeat. In moralibus vero pro impoſſibili habetur, quod ſalva obligatione naturali fieri minime poteſt. Unde etiam ratio habenda ejus, quod de uſu ac abuſu patrimonii paulo ante demonſtravimus. Hinc vero confirmatur, quod in propoſitione præcedente oſtendimus, nec ei vitam in otio conſumere licere, qui amplum patrimonium habet, ſed perinde ac aliis laborandum eſſe, qui tenue ac nullum habent (§. 457.). Equidem non ignoro eſſe haud paucos, qui inter licita quidem referunt amplificationem patrimonii; concoquere autem nequeunt obligationem, quam defendimus: immo nec me fugit eſſe nonnullos, qui curam amplificandi patrimonium in eorum numerum referunt, quæ illicita ſunt, quaſi omnia fortunæ, aut, ſi mavis, providentiæ divinæ ſint committenda: enimvero nebulas, quæ ipſorum menti offunduntur, ut quod verum eſt perſpicere nequeant, ſuo loco diſpellemus. Præjudicia nimirum iſta locum tenent inter impedimenta, quæ obſtant, quo minus obligationi naturali ſatisfiat. Ea vero removenda ſunt in Philoſophia morali. In Jure naturæ ſufficit demonſtraſſe, ad quænam facienda obligemur.

§. 459.

Bona ſua quinam dilapidet.

Patrimonium vel bona ſua dilapidare dicitur, qui abuſu illud, vel hæc minuit. Lingua vernacula dicimus **ſein Vermögen, oder das Seinige verſchwenden.**

Abuſus conſtat per ea, quæ de abuſu rerum ſuarum demonſtravimus (§. 168.). Quodſi ergo uſus patrimonii non ſubſiſtit ſine ejus diminutione; qui ipſo uſu id diminuit, bona ſua dilapidare minime dicendus.

§. 460.

Bona ſua di-

Nemo patrimonium vel bona ſua dilapidare debet. Patrimonium

monium enim vel bona ſua dilapidat, qui abuſu illud vel hæc minuit (§. 459.). Enimvero abuſus patrimonii, conſequenter bonorum ſuorum (§. 452.), lege naturali prohibitus (§. 455.). Ergo etiam lege naturali prohibitum eſſe debet, ne quis patrimonium vel bona ſua dilapidet, conſequenter nemo hoc facere debet (§. 163. *part. I. Phil. pract. univ.*). *lapidare ſ. n. prohibitum.*

Non obſtat, quod de patrimonio ſuo unusquisque pro arbitrio diſponere poſſit (§. 456.). Hoc enim non tollit obligationem naturalem (*not.* §. 167.).

CAPUT III.

De Obligationibus & Juribus ex dominio oriundis.

§. 461.

Res dicitur *eſſe in poteſtate noſtra*, ſi nobis eſt potentia phyſica de ea diſponendi pro arbitrio noſtro. *Quanam res ſint in poteſtate noſtra.*

Differt itaque rem habere in poteſtate ſua a dominio, quod eſt jus proprium (§. 118.), adeoque potentia moralis (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*) de re pro arbitrio noſtro diſponendi. Nimirum ſi res fuerit in poteſtate noſtra, non impoſſibile eſt, ut faciamus ea, quæ dominus facere poteſt; ſed nobis non perinde ac domino hoc facere licet (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). E. gr. ſi res mea fuerit in poteſtate tua, tibi non impoſſibile eſt ut eam des, cuicunque volueris; ſed ſi hoc facis, factum tuum illicitum eſt. Similiter ſi ager alterius fuerit in poteſtate tua, eum colere ac fructus percipere potes; ſed hoc facere tibi minime licet. Nimirum ex eo, quod res veniat in poteſta-

rem tuam, nullum tibi naſcitur jus ad eos actus, qui domino competunt. Quod vero jus naſcatur aliud, hic disquirendum venit.

§. 462.

Quandonam res poteſtati noſtræ ſubducatur.

Hinc ſimul intelligitur, quandonam *res poteſtati tuæ ſubducatur*, nimirum ſi non amplius tibi integrum eſt de ea pro arbitrio tuo diſponere.

Ita res poteſtati tuæ ſubducitur, ſi eam amittis; ſimiliter fera ſubducitur poteſtati tuæ, ſi ex cuſtodia tua aufugit, ut ignores ubinam ſit; avis item, ſi ex cavea, cui incluſa erat, avolat. Unde apparet, neceſſe non eſſe, ut res, quæ poteſtati tuæ ſubducitur, veniat in poteſtatem alterius: fieri enim poteſt, ut in nullius ſit poteſtate.

§. 463.

An poſſidere & rem in poteſtate ſua habere ſe mutuo ponant.

Qui rem poſſidet, eam in poteſtate ſua habet: ſed *non* contra *qui rem in poteſtate ſua habet, eam poſſidet.* Qui enim rem poſſidet, eam detinet tanquam ſuam (§. 150.), adeoque non modo fieri poteſt, ut de ea pro arbitrio ſuo diſponat, verum etiam actu diſponit (§. 118. 124.). Enimvero ſi phyſica tibi fuerit potentia de re pro arbitrio tuo diſponendi, ea in poteſtate tua eſt (§. 461.). Patet itaque eum, qui rem poſſidet, eandem in poteſtate ſua habere. *Quod erat unum.*

Qui rem in poteſtate ſua habet, ei non impoſſibile eſt ut de eadem pro arbitrio ſuo diſponat (§. 461.). Enimvero quod ut faciat fieri poteſt, non ideo facere vult: nemo enim eſt qui neſciat multa a ſe fieri poſſe, quæ facere non vult. Atque adeo patet, qui rem in poteſtate ſua habet, non eo ideo animo eam detinere, ut de ea pro arbi-

Digitized by Google

arbitrio ſuo diſponere poſſit, conſequenter non ideo eam detinere tanquam ſuam (§. 124.). Quoniam itaque rem non poſſidet, qui eam tanquam ſuam non detinet, ſeu animo eam ſibi habendi (§. 150.); rem quoque non poſſidet, qui eam in poteſtate ſua habet. *Quod erat alterum.*

E. gr. Si rem inveniſti, cujus dominus ignoratur, eamque animo cuſtodiendi detines; in poteſtate quidem tua eandem habes (§. 461.), ſed non poſſides (§. 150.). Quodſi vero accedat animus eam tibi habendi, adeoque tanquam tuam detines, nec domino reddis, etiamſi noveris, cujusnam ſit, eam omnino poſſidere dicendus es (§. 150.), etſi mala fide poſſideas (§. 153.). Similiter ſi ego rem meam tibi commodavi, eam in poteſtate tua habes (§. 461.), ſed propterea non eam poſſides (§. 150.). Ratiocinamur ex notionibus, retento fixo ſignificatu vocabulorum, quem iisdem tribuimus parum ſolliciti, num quod affirmamus, vel negamus, vago eorundem ſignificatui, quem inconſtantia loquendi introduxit, conveniat.

§. 464.

Res quæ eſt in poteſtate domini, ab eo poſſidetur.

Si dominus rem in poteſtate ſua habet, eam poſſidet. Etenim ſi res eſt in poteſtate domini, ei non impoſſibile eſt, ut de eadem pro arbitrio ſuo diſponat (§. 461.), adeoque eandem actu detinet. Et quoniam res iſta domini eſt (§. 124.), eam detinet tanquam ſuam. Enimvero qui rem detinet tanquam ſuam, eam poſſidet (§. 150.). Ergo ſi dominus rem in poteſtate ſua habet, eam poſſidet.

Fieri equidem poteſt, ut res veniat in poteſtatem domini, ipſe vero ignoret eam eſſe ſuam, adeoque eam detineat tanquam alienam, animo nimirum non ſibi habendi, ſed cuſtodiendi, donec de domino conſtet, cui reddenda; non tamen in hoc caſu dici poteſt, quod rem, quam in

poteſtate ſua habet, poſſideat (§. 150.). Enimvero nemo non videt, quando de domino ſimpliciter dicitur, quod rem in poteſtate ſua habeat ſine ullo addito tacite ſupponi, quod norit ſe eſſe dominum, immo omnes hoc ſupponent, niſi expreſſe contrarium moneatur.

§. 465.

Cuinam competat jus rem in ſua poteſtate habendi.

Domino competit jus rem in poteſtate ſua habendi, nec quisquam alius ſine ipſius conſenſu ſive expreſſo ſive tacito rem alienam in poteſtate ſua jure habet. Etenim jus poſſidendi domino competit (§. 157.). Quoniam itaque qui rem poſſidet, eam in poteſtate ſua habet (§. 463.); domino quoque competit jus rem in poteſtate ſua habendi. *Quod erat unum.*

Ponamus jam non dominum ſine conſenſu ſuo expreſſo, ſive tacito rem alienam in poteſtate ſua habere. Quoniam tunc fieri non poteſt, ut dominus de re ſua pro arbitrio ſuo actu diſponat (§. 461.), invitus pati cogitur, ut alius ipſum impediat, quo minus jure ſuo utatur (§. 118. *part. I. Jur. nat.* & §. 660. *part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter ut alter quid faciat contra jus ſuum (§. 239. *part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque jus ſuum ipſi non tribuat (§. 921. *part. I. Jur. nat.*). Quod cum ſit abſurdum (§. 922. *part. I. Jur. nat.*); nemo alius præter dominum ſine ipſius conſenſu expreſſo ſive tacito rem alienam in poteſtate ſua jure habet. *Quod erat alterum.*

Multiplici modo accidit, ut res tua ſit in poteſtate alterius, etiamſi eam minime poſſideat, quemadmodum ſuo loco conſtabit, & invulgus notum eſt. Exemplo eſſe poteſt, ſi rem amiſſam tollis eamque detines, donec de domino conſtet. Non dici poteſt in hoc caſu, quod injuria fiat domino, quemadmodum olim nonnullis viſum (*not.* §. 426.). Quoniam enim dominus vult, ne res amiſſa pereat, ſed ut eandem recuperet; tacite quoque in hoc

hoc conſentit, ut alius cuſtodiendi animo eam in poteſtate habeat, a quo eam recuperare poſſit.

§. 466.

Qui rem tuam in poteſtate ſua habet, omnem operam dare debet, ut in poteſtatem tuam veniat. Quoniam enim tibi domino competit jus rem tuam in poteſtate tua habendi, nec quisquam alius eam ſine conſenſu tuo in poteſtate ſua habere jure poteſt (§. 465.); ſi, qui rem tuam in poteſtate ſua habet, operam non dat, ut in tuam veniat, is non facit, quod juri tuo convenienter fieri debebat, conſequenter jus tuum tibi non tribuit (§. 921. *part. I. Jur. nat.*). Quotiam itaque jus ſuum unicuique tribuendum (§. 922. *part. I. Jur. nat.*); qui rem tuam in poteſtate ſua habet, omnem omnino operam dare debet, ut in poteſtatem tuam veniat. *Obligatio efficiendi, ut res aliena veniat in poteſtatem domini.*

Idem etiam ex principio generali oſtenditur hoc modo. Nemo non ultro concedere debet jus rem ſuam in poteſtate ſua habendi pertinere ad ſtatum noſtrum externum (§. 706. *Ontol.*), atque adeo ſtatum domini, cui hoc jus competit (§. 465.), reddi perfectiorem, ſi eodem fruitur, imperfectiorem vero, ſi eodem carere cogitur. Jam vero omnem facere tenemur facultatum noſtrarum uſum, qui ad perficiendum ſtatum alterius & ad imperfectionem omnem ab eodem arcendam requiritur, quatenus id absque neglectu officii erga ſeipſum fieri poteſt (§. 609. *part. I. Jur. nat.*). Ergo ſi quis rem tuam in poteſtate ſua habet, omnem omnino operam dare debet, ut in poteſtatem tuam veniat.

Propoſitionem præſentem totidem fere verbis enunciat *Grotius* lib. 2. c. 10. §. 1. n. 2. Ita enim ille: Tenetur, inquit

Digitized by Google

inquit, qui rem noſtram habet in ſua poteſtate, efficere, quantum in ſe eſt, ut in noſtram poteſtatem veniat. Qui enim omnem dat operam, ut ea in noſtram poteſtatem veniat, utique efficit, quantum in ſe eſt, ut illa veniat in poteſtatem noſtram. Senſus autem propoſitionis præſentis latior eſt, quam præcepti de re aliena domino reſtituenda. Neque enim ea ſolum urget rei alienæ reſtitutionem, verum etiam operam a nobis impendendam, ut reſtitutio fieri poſſit. E. gr. qui domino poſcenti rem ſuam reſtituit, præcepto de reſtituendo ſatisfacit, minime autem officio, quod urget propoſitio præſens: quod diſerte etiam monuit *Grotius* & ex mox ſequentibus clarius eluceſcit. Reſtitutionem rei alienæ ex natura dominii fluere facile agnovit *Grotius*, ſed quomodo inde fluat obligatio, quam præſens urget propoſitio, perſpicere non potuit; unde eam ex tacito pacto derivat, quod quaſi ſocietatem inter dominos contractam vocat, cujus hanc reddit rationem, quod absque hac obligatione nimis debile futurum fuiſſet dominium & nimis ſumtuoſa cuſtodia. Hoc ſcilicet motivum eſt, cur homines introductis dominiis velint, ut, qui rem alienam in ſua poteſtate haberet, eam domino redderet. Quamobrem hinc colligitur, quod dominiis introductis in hoc conſenſiſſent, ſiquidem rogati fuiſſent primi rerum domini. Immo inde etiam colligitur, quod hodienum quilibet dominus, ſi interrogetur, num hoc velit, ſe velle reſponſurus ſit. Pactum igitur tacitum nihil abſurdi habet. Enimvero ad obligationem voluntariam, qualis ea eſt, quæ ex pacto oritur, non confugiendum, quamdiu naturalis datur, quam ex ipſis rerum notionibus deducere licet & quæ officiis hominum naturalibus conſentanea. Aliter itaque, quam *Grotius*, obligationem operæ in rei reſtitutionem impendendæ ſtabilire volumus.

§. 467.

Obligatio rei alienæ domino reſtituendæ.

Quoniam qui rem alienam in poteſtate ſua habet, omnem dare debet operam, ut in poteſtatem domini perveniat

veniat (§. 466.), ea autem in poteſtatem domini venit, ſi eidem reddatur, ſeu reſtituatur (§. 461.); *Qui rem alienam in poteſtate ſua habet, & novit, cujusnam ea ſit, eam domino reſtituere debet, ſive hic norit, quod in ipſius poteſtate ſit & eandem poſcat, ſive ignoret.*

Urgent nonnulli reſtitutionem rei alienæ ea de cauſa, quod, cum invito domino meum fieri non poſſit, quod eſt alterius (§. 338.), inutilis ſit rei alienæ detentio. Enimvero hoc motivum quidem eſſe poteſt, ut rem alienam domino reſtituamus; ſed non eſt ratio, cur ad reſtituendum obligemur.

§. 468.

Obligatio inquirendi, cujusnam ſit res aliena, quæ eſt in poteſtate noſtra.

Ex eadem ratione patet, *ſi noſti rem, quæ eſt in poteſtate tua, eſſe alienam, ignoras vero, quinam ſit ejus dominus, te inquirere debere omni diligentia, quinam ſit dominus.*

Quodſi cupido habendi nemini perſuaderet ut rei alienæ inhiaret, inutilis rei alienæ detentio quemvis facile adduceret, ut in dominum inquireret a cuſtodia rei nullo ipſi emolumento futuræ liberandus. Non tamen hinc derivari poteſt diligentia in inquiſitionem domini rei, quæ in poteſtate noſtra eſt, impendenda.

§. 469.

An celare liceat, quod res aliena ſit in poteſtate noſtra.

Ex eadem ratione porro liquet, *celandum non eſſe, quod res aliena in poteſtate tua ſit, ſeu in eandem venerit.*

Hoc denuo non faciet, niſi qui non habet animum rem alienam domino reſtituendi, ſed eam potius ſibi habere vult eam mala fide poſſeſſurus. Alias enim inutilis rei alienæ detentio tale quid non ſuaderet. Apparet vero hic quoque, ex inutili detentione derivari minime poſſe obligationem non celandi, quod res aliena ſit in poteſtate noſtra.

§. 470.

Qua circumſpectione opus ſit in re reſtituenda. Immo hinc etiam ſequitur, *te ſatis circumſpectum eſſe debere, ne res, quam domino reſtituere intendis, veniat in poteſtatem non domini.*

Fieri nimirum poteſt, ut, qui profitetur ſe eſſe dominum rei, quæ eſt in poteſtate tua, eandemque poſcit, non ſit dominus, vel ut ab aliis dominus venditetur, qui non eſt.

§. 471.

Obligatio poſſeſſoris rei alienæ. *Poſſeſſor rei alienæ domino rem ſuam reſtituere tenetur.* Etenim qui rem alienam poſſidet eam in poteſtate ſua habet (§.463.). Sed qui rem in poteſtate ſua habet alienam, & novit, quinam ſit dominus, eam domino reſtituere debet (§. 467.). Ergo poſſeſſor rei alienæ domino rem ſuam reſtituere tenetur.

Valet hoc de poſſeſſore tam bonæ, quam malæ fidei. Utrumque eadem tenet obligatio. Quoniam tamen poſſeſſor bonæ fidei ſe dominum eſſe putat (§. 153.), adeoque rem alienam eſſe ignorat; non ante dici poteſt officio ſuo de eſſe, quam ubi in bona fide eſſe deſinit (§. 163.).

§. 472.

Obligatio ejus, qui rem amiſſam invenit. *Qui rem amiſſam invenit, eam domino etiam non poſcenti reſtituere tenetur: quodſi vero ignoret, quinam eam amiſerit, omni diligentia inquirere debet, quinam is ſit.* Qui enim rem amiſſam invenit, eamque detinet, rem alienam in poteſtate ſua habet (§. 422. 461.). Enimvero qui rem alienam in poteſtate ſua habet & novit, cujusnam ea ſit, eam domino reſtituere debet, etiam non poſcenti (§. 467.), ſi vero ignoret, cujusnam res aliena, quam habet, ſit, omni diligentia inquirere debet, quinam ſit dominus (§. 468.). Quamobrem qui rem amiſſam invenit, eam domino etiam non

poſcenti

poſcenti reſtituere tenetur: quodſi vero ignoret, quinam eam amiſerit, omni diligentia inquirere debet, quinam is ſit.

Quinam actus requirantur ad inquirendum in dominium rei amiſſæ, hic loci definiendum non eſt. Pro circumſtantiarum enim diverſitate differre poſſunt, & eædem facile in dato caſu illos ſuggerunt animum ad ipſas attendenti. Ex præſente autem propoſitione intelligtiur, quo animo tollenda & in poteſtatem ſuam deducenda ſit res amisſa, nimirum animo efficiendi, ut dominus rem amiſſam recuperet. Qui alio animo tollit, vitio non caret. Quamobrem cum perpauci ſint, qui non alio animo rem amisſam tollunt; ea dubio procul de cauſa prohibuere nonnulli, ne res amiſſa tolleretur (*not.* §. 426.), & ipſi *Platoni* hoc juſtum viſum fuit, etſi ſit a veritate alienum.

§. 473.

Quoniam ad res naufragas & navis levandæ cauſa in mare ejectas applicanda, quæ de rebus amiſſis demonſtrantur (*not.* §. 429.); *ſi res naufragas aut res navis levandæ cauſa in mare ejectas in poteſtate tua habes, eas domino poſcenti reſtituere teneris, quodſi vero ignores, quinam ſit eorum dominus, omni diligentia inquirere debes, quinam is ſit* (§. 472.).

Item ejus, qui res naufrages vel non in mare ejectas nactus.

Non igitur opus eſt, ut profitionem præſentem peculiariter demum demonſtremus, etſi demonſtratio ex principiis anterioribus independenter a propoſitione præcedente contexi poterat.

§. 474.

Si tu piſceris in ea fluvii parte, in qua jus piſcandi mihi proprium eſt; piſces a te capti mihi ſunt tradendi. Quodſi enim tu piſceris in ea fluvii parte, in quo jus piſcandi mihi pro-

Quando piſces a te capti mihi tradendi.

Digitized by Google

proprium eſt, piſces a te capti non tui, ſed mei ſunt (§. 225.), conſequenter res meas in poteſtate tua habes (§. 463.). Enimvero ſi res meas in poteſtate tua habes, eas mihi tanquam domino reſtituere debes (§. 467.). Ergo piſces in ea fluvii parte, in qua jus piſcandi mihi proprium eſt, a te captos mihi tradere teneris.

Dicere malumus piſces eſſe tradendos, non reſtituendos, quia proprie loquendo reſtituuntur ea, quæ jam habuimus, non vero, quæ nondum habuimus, etſi nobis per alium acquiſita.

§. 475.

Quando res occupata alteri tradenda.

Si tu rem nullius occupes in eo fundo vel diſtrictu, in quo jus occupandi mihi ſoli competit, res occupata mihi tradenda. Quodſi enim tu rem nullius occupes in eo fundo vel diſtrictu, in quo jus occupandi mihi ſoli competit; res occupata mea eſt (§. 224.), conſequenter ſi eam detines, rem meam in poteſtate tua habes (§. 461.). Quoniam itaque ſi rem meam in poteſtate tua habes, eam mihi reſtituere teneris (§. 467.); ſi tu rem nullius occupes in eo fundo vel diſtrictu, in quo jus occupandi mihi ſoli competit, rem occupatam mihi tradere teneris.

Quoniam piſcatio ſpecies occupationis eſt (§. 275.); propoſitionem præcedentem per præſentem quoque demonſtrare poteramus, eodem prorſus modo, quo ſequentem demonſtramus. Minime autem inconſultum eſt, ut diverſo modo demonſtrentur, quæ eodem demonſtrari poterunt: neque enim ſolum veritatem in aprico ponere intendimus, ſed ipſam etiam demonſtrativam methodum exemplis docere nobis propoſitum eſt.

§. 476.

Quando

Si tu aves capis vel feras in eo fundo vel diſtrictu, ubi jus aucupii

aucupii vel venandi mihi proprium eſt; aves vel feras captas mihi tradere teneris. Etenim aucupium & venatio occupationis ſpecies ſunt (§. 275.), adeoque aves & feræ ſunt res occupatæ, eædemque res nullius (§. 227. 274.). Enimvero ſi tu rem nullius occupes in eo fundo vel diſtrictu, in quo jus occupandi mihi proprium eſt, ſeu mihi ſoli competit (§. 2.); res occupata mihi tradenda (§. 475.). Ergo etiam ſi aves vel feras capis in eo fundo vel diſtrictu, ubi jus aucupii vel venandi mihi proprium eſt; aves vel feras captas mihi tradere teneris. *aves & feræ captæ reddendæ alteri.*

Poterat etiam independenter a propoſitione præcedente demonſtrari hunc in modum. Si tu aves capis in eo fundo vel diſtrictu, in quo jus aucupii mihi proprium eſt, aves captæ non tuæ ſunt, ſed meæ (§. 233.), & ſimiliter ſi tu veneris in eo fundo vel diſtrictu, ubi jus venandi mihi proprium eſt, fera capta non tua, ſed mea eſt (§. 280.), conſequenter in utroque caſu res meas in poteſtate tua habes (§. 461.). Hinc porro ut paulo ante (§. 474.) infertur, in caſu priori aves, in poſteriori feras a te captas mihi eſſe reddendas.

§. 477.

Si jus capiendi piſces, aves vel feras certæ ſpeciei mihi fuerit proprium, piſces, aves vel feras ejus ſpeciei a te captas mihi tradere teneris. Etenim ſi jus capiendi piſces, aves vel feras certæ ſpeciei mihi fuerit proprium, piſces, aves vel feræ captæ, quæ ſunt ejusdem ſpeciei, meæ ſunt (§. 241. 280.), adeoque ſi a te fuerint captæ, res meæ in tua poteſtate ſunt (§. 461.). Quamobrem porro ut ante (§. 474.) hinc infertur, quod piſces, aves vel feræ a te captæ mihi ſint tradendæ. *Alius caſus.*

§. 478.

Caſus generalis.

Immo in genere ſi jus occupandi res certæ ſpeciei fuerit in dominio tuo & alius te non conſentiente eas occupet, res occupatæ huic tradendæ. Quodſi enim jus occupandi res certæ ſpeciei fuerit in dominio tuo & alius, te non conſentiente, eas occupet, eas tibi acquirit (§. 234.), conſequenter tuæ ſunt. Quamobrem eodem prorſus modo porro oſtenditur, quo in propoſitione præcedente in caſu ſpeciali idem intulimus, res occupatas tibi eſſe tradendas.

§. 479.

Animalia manſueta aliena domino reddenda.

Si animalia manſueta in poteſtatem tuam veniunt, domino ſuo reddenda, aut ſi is ignoretur, omni diligentia inquirere debes, quinam ſit eorum dominus. Etenim animalia manſueta, quocunque loco ſint, manent domini ſui, etiamſi is ignoret, ubinam ſint (§. 307.). Quamobrem ſi in poteſtatem tuam veniunt, res alienas in poteſtate tua habes (§. 146.). Eodem igitur porro modo oſtenditur, animalia manſueta, quæ in poteſtatem tuam venerunt, domino ſuo reddenda eſſe, aut, ſi is ignoretur, omni diligentia inquirendum eſſe, quinam eorum ſit dominus, quo utrumque de rebus amiſſis demonſtravimus (§. 472.).

§. 480.

Quando reſtituenda ſint manſuefacta.

Quoniam animalia manſuefacta tamdiu habentur pro manſuetis, quamdiu animum revertendi habent, ſeu ex conſuetudine abeunt redeuntque, avolant revolantque (§. 312.); *animalia etiam manſuefacta, quæ in poteſtatem tuam veniunt, domino ſuo reddenda ſunt, aut, ſi is ignoretur, omni diligentia inquirere debes, quinam ſit eorum dominus* (§. 479.).

Nemo

Nemo non videt, propoſitionem præſentem intelligendam eſſe tam de volucribus, quam de feris quadrupedibus.

§. 481.

Quando in acceſſione, confuſione, commixtione, ferruminatione & adplumbatura reſtitutio fieri debeat.

Si res aliena, quæ rei tuæ acceſſit, abſque rerum detrimento ab ea ſeparari poſſit, vel ſi res duorum dominorum fuerint confuſæ aut commixtæ, ſive etiam per ferruminationem aut adplumbaturam junctæ, quæ abſque detrimento a ſe invicem ſeparari poſſunt; ſeparatio fieri debet in omni caſu & qui rem alterius in poteſtate ſua habet domino eandem reddere tenetur. Si enim res aliena, quæ rei tuæ acceſſit abſque rerum detrimento ab ea ſeparari poſſit, ea manet domini ſui (§. 386.). Similiter ſi res duorum dominorum abſque detrimento a ſe invicem ſeparabiles confunduntur, vel commiſcentur (§. 394.), aut per ferruminationem vel adplumbaturam junguntur, uniuscujusque manet quod ſuum eſt (§. 396.). Enimvero qui rem alienam in poteſtate ſua habet & novit, cujusnam ea ſit, eandem domino reſtituere debet (§. 467.). Quamobrem rem alienam, quæ rei tuæ acceſſit atque abſque rerum detrimento ab ea ſeparari poteſt, domino ſuo reſtituere debes, & ſimiliter ſi res duorum dominorum fuerint confuſæ vel commixtæ, ſive etiam per ferruminationem aut adplumbaturam junctæ, quæ abſque detrimento ſeparari poſſunt, qui rem alienam in poteſtate ſua habet, eam domino reſtituere debet, conſequenter ut reſtitutio in omni caſu fieri poſſit, res a ſe invicem ſeparandæ ſunt.

Nimirum reſtitutio cum fieri non poſſit ſine ſeparatione, ſi lex naturæ urget reſtitutionem, neceſſe eſt ut etiam præcipiat ſeparationem: neque enim nos obligat ad id, quod impoſſibile (§. 209. *part. I. Phil. pract. univ.*).

§. 482.

§. 482.

Quando ἀδέσποτα occupata alii reddenda.

Si jus occupandi ἀδέσποτα alicui fuerit proprium, occupata ab alio quocunque huic reddenda, qui jus proprium habet. Etenim in genere res occupatæ reddendæ ſunt ei, qui jus proprium eas occupandi habet (§. 478.). Ergo etiam ἀδέσποτα a quocunque occupata reddenda ei ſunt, qui jus ea occupandi proprium habet.

Exemplo eſſe poteſt ſuccinum, quod in littore maris colligitur, inter ἀδέσποτα utique numerandum, ſed quod nemo privatus in Boruſſia occupando ſuum facere poteſt.

§. 483.

Theſauri inventi quandonam reddendi.

Quoniam theſauri ſunt ἀδέσποτα (§. 331.), hæc vero occupata reddenda ſunt ei, qui jus proprium habet (§. 482.); *Theſauri* etiam *a quocunque inventi ei reddendi ſunt, qui jus eas occupandi proprium habet.*

Poterat etiam idependenter, quemadmodum propoſitio in præcedente citata (§. 478.), ex eo demonſtrari, quod theſauri acquirantur ei, qui eos occupandi jus proprium habet (§. 322.).

§. 484.

Quando res ab alio accepta domino reſtituenda.

Si res mea a Titio in poteſtatem tuam pervenit, eam non Titio, ſed mihi reſtituere debes, ubi noſti rem meam eſſe & Titio nullum in ea jus competere. Etenim ſi rem meam in poteſtate tua habes, omnem operam dare debes ut in meam poteſtatem perveniat (§. 466.). Quoniam igitur per hoc non deſinit eſſe mea, quod per Titium in poteſtatem tuam pervenerit; igitur eandem mihi, non Titio reſtituere debes, ubi noſti rem meam eſſe & Titio nullum in ea jus competere.

Reſtitutio nimirum ex dominio fluit, quemadmodum ante

ante vidimus (§. 466.). Dominium nemini invito auferri poteſt (§. 338.): ergo nec extingui poteſt invito domino obligatio eidem rem ſuam reſtituendi, quomodocunque in poteſtatem alterius pervenerit. Utemur hoc principio in contractuum doctrina ad caſus plures definiendos, de quibus dicere nondum eſt hujus loci. Falluntur, qui dicere ſolent: Rem reddo ei, a quo eandem accepi, ſeu a quo in poteſtatem meam venit. Etenim quando dubium eſt, cujusnam res aliena ſit, quæ in poteſtate tua jam eſt, omni diligentia inquirere debes, quinam ſit dominus, ne temere rem reſtituendo non domino violetur jus domini (§. 467.), conſequenter eidem injuria fiat (§. 859. *part. I. Jur. nat.*), a qua abſtinendum (§. 911. *part. I. Jur. nat.*).

§. 485.

Fructus naturales extantes domino reſtituendi.

Poſſeſſor tam bonæ, quam malæ fidei fructus extantes naturales domino reſtituere tenetur. Fructus enim pure naturales domini ſunt (§. 445.). Quodſi vero adhuc extent, poſſeſſor rei tuæ, ex qua provenerunt, eos adhuc habet (§. 434.), conſequenter res tuæ in poteſtate ipſius ſunt (§. 461.). Evidens autem eſt, perinde hic eſſe, ſive quis bonæ, ſive malæ fidei poſſeſſor ſit (§. 461.). Enimvero qui rem alienam in poteſtate ſua habet, & novit, cujusnam ea ſit, eandem reſtituere debet (§. 467.). Ergo poſſeſſor tam bonæ, quam malæ fidei fructus extantes pure naturales domino reſtituere tenetur.

De fructibus induſtrialibus tam extantibus, quam conſumtis, & de naturalibus conſumtis quid ſtatuendum ſit, ſuo videbimus loco.

§. 486.

Damnum quid ſit.

Jactura ſui dicitur *Damnum*. Quamobrem cum tuum ſit, in quo jus aliquod perfectum habes (§. 131. *part. I. Jur. nat.*);

ſi jacturam rei facis, in qua jus perfectum aliquod habes, vel etiam jure, quod in ea habes, privaris, damnum pateris.

E. gr. Si ædes tuæ ferali flamma conſumuntur; ſi rem, quam amiſiſti, non recuperas; ſi jure piſcandi, quod tibi erat proprium, privaris; damnum pateris: ſimiliter ſi libertas adimitur, quæ jus quoddam eſt tibi natura competens in actiones tuas, damnum pateris.

§. 487.

Jacturam ſui quando quis faciat.

Jacturam vero ſui facere dicendus eſt is, cujus poteſtati res quædam corporalis, vel incorporalis ita ſubducitur, ut eam nunquam recuperare poſſit, absque voluntate ſua.

Ita jacturam ædium ſuarum facis, quas feralis flamma abſumit: jacturam mercium facis, quæ navis levandæ cauſa in vaſto oceano ejiciuntur, nunquam recuperandæ: jacturam juris tui facis, quod injuſta judicis ſententia tibi aufertur & in alium transfertur. Hanc definitionem addere viſum fuit, ne jacturam ſui male interpreteris, conſequenter damni definitio minus recte applicetur. Quamdiu enim res tua adhuc extat, ut eam recuperare poſſis; te jacturam ejus feciſſe, conſequenter damnum paſſum eſſe dici nondum poteſt.

§. 488.

Damnum dare quinam dicatur.

Damnum dare dicitur agens, quod facto quodam, vel etiam non facto in cauſa eſt, ut jacturam tui facias.

Conſulto dicimus damnum dari ab agente, quia non ſolum homo, ſed etiam res naturales tam animatæ, quam inanimatæ damnum dare poſſunt. Ita grando ſegetem proſternens, ut vel nulla, vel modica admodum ſperanda ſit meſſis, damnum dat. Similiter incendium, quo ædes tuæ conflagrant, damnum dat. Qui corpus tuum vulnerat, damnum

damnum infert corpori, quatenus effici nequit, ut corpus non ſit vulneratum. Idem dicendum eſt, ſi manus amputatur.

§. 489.

Damnum voluntarium ſive *doloſum* dicimus, quod intentione ſive directa, ſive indirecta datur. *Damnum voluntarium ſive doloſum.*

Ita ſi quis gladio ſtricto te aggreditur, ut vulnus corpori infligat, & vulnus actu infligit, intentione directa damnum corpori tuo dat (§. *praec.* & §. 621. *part. I. Phil. pract. univ.*); damnum igitur corpori tuo datum voluntarium vel doloſum eſt. Quodſi vulnus intendit, ſed manum amputat, amputationem manus indirecte intendit (§. 621. *part. I. Phil. pract. univ.*). Damnum igitur corpori datum itidem voluntarium, ſive doloſum eſt. Similiter ſi quis rem tuam, quae uſu conſumitur, absque voluntate tua conſumit, damnum tibi dat directa intentione; adeoque damnum denuo voluntarium ſive doloſum eſt. Damnum hic eodem modo diſtinguere lubet in voluntarium, culpoſum & caſuale, quemadmodum homicidium, quo damnum corpori infertur (488.), utpote quod vita privatur.

§. 490.

Damnum culpoſum vocamus, quod nonniſi culpa ſpecialiter ſic dicta datur. *Damnum culpoſum quodnam ſit.*

E. gr. Si tutor fuerit negligens in adminiſtrandis bonis pupilli; damnum culpa datur pupillo, adeoque culpoſum eſt. Ita ſi equiſo inconſideratus ignitabulum in equili relinquit, ut inde incendium oriatur, quo aedificium conflagrat; damnum, quod datur, culpoſum eſt.

§. 491.

Damnum caſuale denique appellamus, quod nonniſi caſu improviſo, nec evitabili datur. *Damnum caſuale quodnam ſit.*

Iſtiusmodi damna utplurimum ſunt, quæ ab agentibus naturalibus dantur, veluti a vento, grandine, fulmine, inundatione. Dico ut plurimum: ſubinde enim in noſtra poteſtate eſt, ut damnum evitemus, quod agentia naturalia dare poſſunt, conſequenter ubi culpa noſtra caſui accedit, damnum caſuale in culpoſum abit.

§. 492.

Imperfectio ſtatus noſtri ex damno orta. *Omne damnum, quod patimur, ſtatum noſtrum imperfectiorem reddit.* Omne enim damnum conſiſtit in jactura rei cujusdam, ſive ea corporalis, ſive incorporalis fuerit (§. 486.). Nemo eſt, qui neſciat, res tam corporales, quam incorporales pertinere ad ſtatum noſtrum (§. 705. *Ontol.*), eundemque imperfectiorem reddi, ſi eædem poteſtati noſtræ ſubducuntur nunquam recuperandæ. Quamobrem cum earum jacturam faciamus, ſi res noſtræ poteſtati noſtræ ita ſubducuntur, ut eas recuperare nequeamus (§. 487.); damnum omne, quod patimur, ſtatum noſtrum imperfectiorem reddit.

Poteramus propoſitionem præſentem abſque demonſtratione inſtar axiomatis ſumere. Conſultius tamen fuit viſum eam ex notionibus anterioribus deducere, ut clarius percipiatur ejus veritas.

§. 493.

Obligatio damni a ſe avertendi. *Quilibet operam omnem dare debet, ut damnum quodvis, quantum in ſe eſt, a ſe avertat.* Quilibet enim omnem facere tenetur facultatum ſuarum uſum, conſequenter omnem operam dare debet, ut, quantum in ſe eſt, omnem a ſtatu ſuo imperfectionem arceat (§. 173. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum omne damnum, quod patimur, ſtatum noſtrum imperfectiorem reddat (§. 492.); omnem omnino

no operam dare quilibet tenetur, ut damnum quodvis, quantum in ſe eſt, avertat.

Multa, quæ ſub hac propoſitione tanquam caſus ſpeciales continentur, jam alibi a nobis demonſtrata ſunt. Ita oſtendimus, quod integritatem omnium membrorum corporis conſervare (§. 372. *part. I. Jur. nat.*), & periculum eam lædendi evitare debeamus (§. 373. *part. I. Jur. nat.*). Læſio autem hæc utique damnum eſt, quod corpori datur, & quo ſtatus ejus redditur imperfectior: id quod prolixe hic demonſtrari non opus exiſtimamus. Similiter oſtendimus, quod homo famam ſervare debeat (§. 557. *part. I. Jur. nat.*). Fama vero ad ſtatum noſtrum externum pertinet & ejus jactura damnum eſt. Enimvero conſultius exiſtimavimus propoſitionem generalem demonſtrari, ex qua citra ambages alia demonſtrantur, quæ ex aliis principiis ſpecialibus non ſine ambagibus demonſtrari poterant, præſertim cum de rebus noſtris, quæ maximam ſtatus externi partem conſtituunt, in parte prima nihil demonſtrare potuerimus, antequam de dominio ageremus, quo noſtræ fiunt (§. 124.).

§. 494.

Quoniam patrimonium noſtrum conſtat bonis noſtris (§. 452.), adeoque rebus, quæ ſunt in dominio noſtro (§. 448.), conſequenter ſi jacturam quandam rerum facimus, quæ ſunt in dominio noſtro, damnum infertur patrimonio noſtro, aut, ſi malis, nobis quoad patrimonium noſtrum (§. 486.), damnum vero omne, quantum in nobis eſt, avertere a nobis debeamus (§. 493.); *omnem* utique *operam dare debemus, ut caveamus ne patrimonio noſtro, aut, ſi mavis, nobis quoad patrimonium noſtrum damnum aliquod inferatur.* *Damnum a patrimonio avertendum*

Suum latius patere quam patrimonium ſatis notum eſt, adeoque propoſitio quoque præcedens latior præſente.

§. 495.

Obligatio damni ab aliis avertendi.

Nemo alteri damnum dare, ſed omne potius damnum unusquisque, quantum in ſe eſt, ab altero avertere debet. Omnem enim facere tenemur facultatum noſtrarum uſum, qui ad perficiendum ſtatum aliorum hominum & ad arcendum omnem imperfectionem ab eodem requiritur, quatenus id absque neglectu officii erga ſeipſum fieri poteſt (§. 609. *part. I. Jur. nat.*). Enimvero damnum omne, quod patimur, ſtatum noſtrum imperfectiorem reddit (§. 492.). Quamobrem unusquisque, quantum in ſe eſt, damnum omne ab altero avertere, cumque lex præceptiva ſimul contineat prohibitivam contrarii (§. 722. *part. I. Jur. nat.*), nemo alteri damnum dare debet.

Obligatio non dandi damnum facilius agnoſcitur, quam avertendi. Et qui a damno dando abſtinet, non ideo quoque ſollicitus eſt de damno ab aliis avertendo. Defectum vero charitatis perfectæ arguit neglectus damni ab aliis avertendi. Sed de hoc potius dicendum eſt in Philoſophia morali.

§. 496.

An damnum culpoſum ſit contra legem naturæ.

Damnum etiam culpoſum lege naturali prohibitum. Damnum enim culpoſum eſt, quod culpa datur (§. 490.). Sed quælibet culpa lege naturali prohibita (§. 299. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum lege naturali prohibeatur, ne damnum alteri demus (§. 495.); damnum etiam culpoſum lege naturali prohibitum eſſe debet.

Conſtat culpam aliam eſſe commiſſionis, quæ actioni poſitivæ inhæret, aliam vero omiſſionis, quæ privativam afficit (§. 719. *part. I. Phil. pract. univ.*). Ad poſteriorem refertur neglectus eorum, quæ faciunt ad damnum ab aliis aver-

avertendum: id quod etiam de damno doloſo ſeu dolo dato (§. 490.) tenendum (§. 721. *part. I. Phil. pract. univ.*). Obligatio naturalis, omnimodam actionum rectitudinem urget (§. 189. *part. I. Phil pract. univ.*), adeoque non tolerat quicquam culpoſi in quovis actionum humanarum tam poſitivarum, quam privativarum genere (§. 696. *part. I. Phil. pract. univ.*).

§. 497.

Ablatio rei alienæ quatenus prohibita.

Nemo alteri invito rem ſuam auferre debet, quocunque tandem animo id fiat. Etenim qui alteri aufert rem ſuam eo animo, ut ſuam fieri velit; alteri dominium, quod in ea habet, invito aufert (§. 124.). Enimvero nemini invito dominum rei ſuæ auferre licet (§. 338.). Quamobrem alteri invito nemini licet auferre rem ſuam eo animo, ut ſuam faciat. Et quoniam dominus omni ſuo jure excludit ceteros omnes, quod in re ſua habet (§. 120.), adeoque ſi plenum ipſi fuerit dominium, quale hic ſupponitur, & proprietate, & jure utendi ac fruendi (§. 138.); nemo quoque invito domino rem ſuam auferre poteſt eo animo, ut quocunque modo pro ſuo arbitrio de ejus ſubſtantia, vel de ejus uſu ac fructu diſponat. Quoniam itaque qui rem alteri invito ſuam aufert, id facit vel animo eam ſibi habendi, vel animo de proprietate, uſu aut fructu aliquo modo prout ſibi viſum fuerit diſponendi, quod per ſe patet; nemo alteri invito rem ſuam auferre debet, quocunque tandem animo id fiat.

Qui rem ſuam alteri invito aufert, aut id facit animo eam reſtituendi, aut non reſtituendi. Si animum non reſtituendi habuerit, aut eam ſibi habere vult, aut eam perdere intendit, vel alii dare. Si animus reſtituendi adfuerit, neceſſe eſt ut eadem uti vel fructum quendam inde percipere

pere velit. Qualiſcunque itaque fuerit auferentis animus, dominio alterius ſemper contrarius deprehenditur ob jus excluſionis, quod dominio per ſe ineſt (§. 120.). Non jam agimus de iis, quæ per jocum fiunt, ſed quæ quis ſeria animi intentione facit: quod monendum eſſe duximus, ne quis argutetur, nos animum auferentis non ſufficienter diſtinxiſſe. De jocis peculiaris tractatio eſt, quæ non eſt hujus loci. Quando aliquid per jocum fieri ſupponitur, id diſerte monendum eſt: in omni alio caſu jocus abeſſe ſumitur. Ceterum obligatio naturalis rei alienæ non auferendæ quoad omnem ſuam latitudinem probe perpendenda, ne quis ſibi licere exiſtimet, quod illicitum eſt, quemadmodum ſæpiſſime fieri experimur.

§. 498.

Furti definitio. Ablatio rei alienæ inſcio ac invito domino animo eam ſibi habendi vel ſuam faciendi facta *Furtum* a nobis dicitur. Unde intelligitur, *Furem* eſſe eum, qui furtum committit.

Imperator §. 1. Inſt. de oblig. quæ ex dol. naſc. furtum definit, quod ſit contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratia vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus poſſeſſioniſve. Hæc definitio, ſi excipias ea, quæ objectum attinent & de quibus mox plura, a noſtra nonniſi verbis differt. Contrectatio enim explicatur ab interpretibus Juris Romani per ablationem rei de uno loco in alium, nec ſimplicem actum tangendi ad furtum faciendum ſufficere admittitur. Ut igitur definitionem furti ab ambiguitate liberemus citra explicationem ſubnectendam, generis loco ponere maluimus ablationem rei alienæ, quam contrectationem. Dum furtum dicitur contrectatio fraudulosa, hoc ipſo indigitatur, quod dolus malus adeſſe debeat, conſequenter quod qui rem alienam aufert norit eam eſſe alienam & animum habeat

beat rem alienam auferendi (§. 705. *part. I. Phil. pract. univ.*). Ut igitur definitio eſſet clarior, nos dicere maluimus, quod fur rem auferat alienam: quod enim fiat a ſciente ac volente, conſequenter dolus adſit (§. *cit.*) ex iis, quæ de animo dicuntur, liquet. Quando denique additur furtum requirere animum lucrifaciendi, non aliud indigitatur, quam quod fur ſibi jus arroget in re aliena, quod nonniſi domino competit, juxta noſtram nimirum definitionem, quæ reſtrictior eſt, dominium plenum. Quod vero furtum fieri debeat inſcio & invito domino tacite ſupponit Imperator; conſultius tamen eſt expreſſis verbis idem indigitare. Ceterum in Jure Romano, ubi furtum ſpectatur tanquam delictum privatum, furtum extenditur etiam ad uſum & poſſeſſionem rei; ſed malumus hæc maleficia a furto diſtinguere communem loquendi uſum ſecuti.

§. 499.

Quoniam nonniſi res corporales mobiles auferri poſſunt de loco in locum (§. 496. *part. I. Jur. nat.* & §. 148. *part. II.*). furtum vero eſt ablatio rei alienæ (§. 493.); *furtum non committitur niſi in re corporali mobili, in re immobili committi nequit.* *Objectum furti.*

Ita poculum argenteum vel annulum aureum furari quidem datur, ſed non domum, hortum aut agrum. Similiter patet jus venationis vel aucupii furari quempiam non poſſe. Quando enim dicimus jus alicui auferri, id non proprie intelligendum, ſed perinde eſt ac ſi diceremus, eum jure ſuo privari, ut ipſi eodem uti non amplius concedatur.

§. 500.

Furtum diurnum vocatur quod interdiu committitur; *Furtum nocturnum* vero, quod noctu fit. Unde patet, *Furem diurnum* eſſe, qui interdiu furatur; *nocturnum*, qui noctu furatur. *Furtum diurnum & nocturnum.*

Hæc diſtinctio uſum habet in Jure naturali, tum ubi agitur de jure in furem nocturnum, tum etiam de Jure puniendi furem non minus in ſtatu naturali, quam civili.

§. 501.

Res furtiva quænam dicatur.

Res furtiva dicitur, quæ furto ablata fuit.[1]

Ita ſi poculum argenteum emas a fure, quod furatus eſt; poculum hoc res furtiva dicitur & tu rem furtivam poſſides.

§. 502.

Furtum manifeſtum & nec manifeſtum.

Furtum manifeſtum dicitur, quando fur in ipſo actu furandi & res furtivas in alium locum nondum perlatas adhuc habens deprehenditur. *Furtum* vero *nec manifeſtum* appellatur, qui in ipſo furandi actu & antequam res furtivas alium in locum pertulit, non deprehenditur.

Nec manifeſtum obſoleta Latinitate idem eſt ac non manifeſtum.

§. 503.

Furtum uſus.

Furtum uſus dicitur juxta principia Juris Romani, quando quis inſcio ac invito domino de uſu rei alienæ inſtar domini diſponit.

Fit hoc multis modis, veluti ſi quis uſus gratia domino inſcio ac invito rem ſuam aufert finito uſu reſtituendam; ſi re aliter utitur, quam ad uſum a domino ſibi conceſſum, vel diutius, quam permiſerat dominus; ſi rem alienam alteri utendam tradit. Enimvero furtum uſus non ſatis intelligitur, niſi explicatis contractibus. Cum hodie furtum ultimo ſupplicio vindicetur aut pœna infamante, ſi minus fuerit; furtum uſus a furto rei ſeparare & ad injuriam referre maluimus, qualem eſſe ſupra jam aliquibus in caſibus demonſtravimus. Ceterum ſi quis injuriam domino quoad uſum rei ſuæ factam furtum uſus appellare voluerit, nos minime

minime contradicentes habebit: vernaculo tamen ſermoni non convenit furem einen Dieb appellari, qui furtum uſus committit.

§. 504.

Furtum poſſeſſionis. *Furtum poſſeſſionis* dicitur juxta principia Juris Romani, quando alicui invito poſſeſſio rei mobilis intervertitur.

Exemplum vulgo datur, ſi debitor ſubtraxerit creditori invito rem mobilem, quam pignoris gratia dedit. Factum hoc propius accedit ad furtum rei, quia res debitoris voluntate ipſius eſt penes creditorem loco rei ſuæ, veluti pecuniæ creditæ. Sed hæc furti ſpecies denuo intelligetur rectius contractuum doctrina ante explicata. Et quæ præterea ad definitionem præcedentem annotavimus, ad præſentem etiam accommodari poſſunt.

§. 505.

Rapina quid ſit. *Rapina* eſt ablatio rei alienæ domino invito vi ereptæ animo eam ſibi habendi, ſeu ſuam faciendi facta. Dicitur etiam *vis bonorum raptorum.*

Differt a furto nonniſi in eo, quod fur clam auferat rem, domino non renitente, ut adeo nulla vi adverſus ipſum opus ſit; aſt qui rapit rem alterius, vim adhibeat adverſus dominum eidem renitentem.

§. 506.

Prædo quinam ſit. Qui rapinam committit *Prædo* dicitur, ſermone vernaculo ein Räuber.

Idiomate Germanico diſtinguimus rapinam in via publica factam ab ea, quæ fit alibi, magis propter uſum civilem, qui in civitate obtinet, in irrogandis pœnis, quam qui in ſtatu naturali attendendus ſit. Vocatur autem rapina in via publica vel loco deſerto, veluti in prato aut ſylva, facta ein Straſſen-Raub, & qui hoc delictum committit ein Straſ-

Digitized by Google

ſen-Räuber. Quamvis vero jus Romanum furtum etiam ad poſſeſſionem extendit, non tamen rapinam ad eandem trahit.

§. 507.

Invaſio quid ſit. Si quis, qui nullum jus poſſidendi habet, alterum vi poſſeſſione ſua rei immobilis dejicit, *Invaſor* dicitur; & ipſum factum *Invaſio* appellatur.

Contingit hoc non modo, quando dominus poſſeſſione rei ſuæ immobilis dejicitur; verum etiam quando poſſeſſor eadem dejicitur, quamdiu de domino certo nondum conſtat.

§. 508.

An rapina committatur alteri rem ſuam vi eripiendo. *Si dominus rem mobilem ſuam alteri eam detinenti vi eripit, rapinam non committit.* Etenim ſi quis rem mobilem ſuam ei, qui eandem detinet, vi eripit is domino invito non eripit rem ſuam, conſequenter nec alienam (§. 146.). Enimvero qui rem alienam domino invito non eripit, rapinam non committit (§. 550.). Ergo nec rapinam committit, qui rem mobilem ſuam alteri eam detinenti vi eripit.

E. gr. ponamus te habere librum meum, quocunque tandem modo in poteſtatem tuam devenerit. Quodſi ego eam tibi reluctanti vi eripio & vi ereptum aufero, factum meum rapina non eſt.

§. 509.

An is ſit prædo. Quoniam qui rem mobilem ſuam alteri eam detinenti vi eripit, rapinam non committit (§. 508.), prædo autem non eſt, qui eam non committit (§. 506.); *nec prædo eſſe poteſt, qui rem mobilem ſuam alteri eam detinenti vi eripit.*

§. 510.

An dominus *Si dominus rem ſuam mobilem alteri eam detinenti clam aufert*

rem ſuam alteri auferens furtum non committat.

aufert, furtum non committit, nec fur eſt. Si dominus rem ſuam alteri eam detinenti clam aufert, is non aufert rem alienam inſcio ac invito domino. Enimvero qui non aufert rem alienam inſcio & invito domino, furtum non committit (§. 498.). Ergo furtum non committit, qui rem ſuam mobilem alteri eam detinenti clam aufert. *Quod erat unum.*

Quoniam itaque fur non eſt, qui furtum non committit (§. *cit.*); nec fur dicendus dominus, qui rem ſibi propriam alteri eam detinenti clam aufert. *Quod erat alterum.*

Furtum & rapina non committuntur in re propria, ſed aliena. Dominus rem ſuam furari, vel rapere nequit. Deeſt animus rem alienam ſibi habendi, qui non minus ad rapinam, quam ad furtum requiritur (§. 498. 505.).

§. 511.

An dominus poſſeſſione rei ſuæ immobilis alterum vi dejiciens ſit invaſor.

Si dominus poſſeſſorem rei ſuæ immobilis poſſeſſione vi dejicit, invaſor non eſt. Etenim domino ſoli competit poſſeſſio rei ſuæ immobilis (§. 157.), nec alius eam jure poſſidet (§. 158.). Quamobrem cum alterum poſſeſſione ejus vi dejicit, non eum dejicit poſſeſſione ejus rei, cujus poſſidendi jus nullum habet. Quoniam itaque is demum invaſor eſt, qui, cum nullum habeat jus poſſidendi, alterum poſſeſſione vi dejicit (§. 507.); ſi dominus poſſeſſorem rei ſuæ immobilis poſſeſſione vi dejicit, invaſor non eſt.

Invaſor jure naturali eſſe nequit niſi non dominus, ſive poſſeſſor rei immobilis ſit dominus, ſive non ſit. Mox enim videbimus nonniſi domino competere jus alterum poſſeſſione vi dejiciendi, ſiquidem eam petenti reſtituere nolit.

§. 512.

Quando furtum committatur in re nullius occupata.

Si tu rem nullius occupes in eo fundo vel diſtrictu, in quo jus occupandi mihi ſoli competit, aut rem ejus ſpeciei, cujus ſpeciei res occupandi jus mihi ſoli eſt, & rem occupatam tuam facere vis; furtum committis. Etenim ſi tu rem nullius occupes in eo fundo vel diſtrictu, in quo jus occupandi mihi ſoli competit, aut ſi rem ejus ſpeciei occupes, cujus ſpeciei res occupandi jus mihi ſoli eſt, res occupata non tua, ſed mea eſt (§. 224. 234.). Quamobrem ſi eam tuam facere vis, rem alienam inſcio ac invito me domino auferſ, utique animo eam tuam faciendi. Enimvero qui rem alienam inſcio ac invito domino aufert animo eam ſuam faciendi furtum committit (§. 498.). Furtum itaque committis, ſi rem nullius occupas in eo fundo vel diſtrictu, in quo jus occupandi mihi ſoli competit, aut rem ejus ſpeciei, cujus ſpeciei res occupandi jus mihi ſoli eſt, & rem occupatam tuam facere vis.

Ex principio hoc generali per modum corollariorum fluunt multa particularia eodem modo alias ex principiis ſuperioribus demonſtranda.

§. 513.

Furtum in piſcibus, avibus & feris captis commiſſum.

Quoniam piſcatio, aucupium, venatio ſpecies occupationis ſunt (§. 275.), *ſi piſceris in ea fluvii parte, vel aves capias in eo fundo vel diſtrictu, aut veneris in eo fundo vel diſtrictu, ubi jus piſcandi, vel aucupii aut venationis mihi proprium eſt, & ſi piſces, aves vel feras ejus ſpeciei capias, cujus ſpeciei piſces, aves vel feras capiendi jus mihi ſoli competit, & captos piſces, captas aves vel feras tanquam tuas auferſ; furtum committis* (§. 512.).

Qui

Qui piſces, aves vel feras capit, non hoc facit niſi animo ſibi habendi, adeoque ipſe actus piſcandi, aucupandi, & venandi jam furtum eſt, excepto eo caſu, quo piſces certæ ſpeciei alteri debiti caſu capiuntur (§. 224.).

§. 514.

Eodem modo patet, *ſi jus occupandi ἀδέσποτα, in ſpecie theſauros, alicui fuerint proprium & tu ἀδέσποτα occupata, in ſpecie theſauros inventos tibi habere vis, te furtum committere.* *Furtum commiſſum in ἀδέσποτα & theſauris.*

Non inutile eſt, ſi quis demonſtrationem propoſitionis generalis, quam de furto in rebus occupatis commiſſo dedimus, vi principiorum ſuperiorum ad caſus particulares applicare voluerit: tunc enim clarior eluceſcit veritas: id quod in moralibus apprime neceſſe eſt, ubi aſſenſui rationi præbendo reluctatur appetitus ſenſitivus. Caveant adeo ſibi temerarii cenſores, ne inutilem accuſent prolixitatem, ubi eam urget ipſa rerum natura. Quomodo vero demonſtrationes particulares contexendæ, ex ſequentibus intelligitur, ubi oſtenditur furtum committi in iis, quæ a te retinentur, nec mihi reſtituuntur, cum mea ſint.

§. 515.

Si animalia manſueta vel manſuefacta aliena in poteſtatem tuam veniſſe celas & percontantibus aliis negas, ne dominus ea recuperare poſſit, furtum committis. Si enim celas, immo percontantibus aliis negas animalia manſueta aliena in poteſtatem tuam veniſſe, eo animo, ne dominus ea recuperare poſſit; non modo tibi animus eſt rem alienam tibi habendi, verum etiam eam inſcio ac invito domino aufers. Enimvero furtum committit, qui rem alienam, inſcio ac invito domino, aufert animo eam ſibi habendi (§. 498.). Quamobrem furtum committis, ſi celas vel percontantibus *Furtum in animalibus alienis ad ædes noſtras venientibus commiſſum.*

bus aliis negas animalia manſueta vel manſuefacta aliena in poteſtatem tuam veniſſe, ne dominus ea recuperare poſſit.

Ablatio rei alienæ nullum ſupponit locum, ex quo auffertur, ſed quocunque loco ea fuerit, auferri ab aliquo poteſt. Non igitur neceſſe eſt ad furandum animalia manſueta, vel manſuefacta alterius, ut auferantur ex ædibus domini: auferri etiam ipſa a te poſſunt in ædibus tuis, ſi in eas ſeſe receperunt. Ex eo enim quod res ſe movens ſit in fundo tuo, nullum tibi jus in eam naſcitur, etiamſi nullius ſit (§. 237.): multo minus itaque naſci poteſt aliquod in eam jus, ſi fuerit alterius, qui omni jure in ea ceteros omnes excludit (§. 120.). Mirum itaque videri poterat, quomodo homines, qui turpe eſſe exiſtimant animalia manſueta vel manſuefacta auferre inſcio ac invito domino ex ædibus ipſius animo ſibi habendi, ſibi tamen perſuadeant, turpe non eſſe, ſi idem facias, ubi in tuas ædes venere, niſi conſtaret, quantum cupido habendi obfuſcare poſſit intellectum, ne veritatem perſpiciat. Videmus itaque vera eſſe, quæ modo ad propoſitionem præcedentem annotavimus.

§. 516.

Furtum in re amiſſa commiſſum. *Qui rem amiſſam invenit ac a ſe inventam celat, ne dominus eam recuperare poſſit, vel ubi novit, quinam eam amiſerit, eandem non reſtituit, furtum committit.* Etenim qui rem amiſſam invenit, ideo non efficitur ejus dominus (§. 421.); ſed manet ea ejus, cujus ante fuerat (§. 420.). Quamobrem ubi a te inventum celas, ne dominus eam recuperare poſſit, vel eam non reſtituis domino, ubi noſti, quinam is ſit, vel quinam rem amiſerit, non modo animum habes eam tibi habendi, verum etiam rem alienam inſcio ac invito domino aufers. Enimvero qui rem alienam animo eam ſibi habendi inſcio ac invito domino aufert, furtum committit

mittit (§. 498.). Furtum igitur & tu committis, ſi rem amiſſam invenis, a te vero inventam celas, ne dominus eam recuperare poſſit, vel eandem non reſtituis, ubi noſti, quinam eam amiſerit.

Ne quis argutetur qui rem amiſſam tollit, eum, eandem domino non auferre; eadem repetenda ſunt, quæ ad propoſitionem præcedentem modo annotavimus. Rem enim utique aufers ejus, cujus eſt, dumque animum habes eam tibi habendi, invito domino hoc facis, quippe qui non habet animum rem ſuam derelinquendi. Quod vero idem facias eodem inſcio per ſe patet. Nullum itaque dubium eſt, quin hic adſint omnia furti requiſita (§. 498.).

§. 517.

Officium ejus qui videt ab alio rem quandam amitti.

Si vides rem quandam ab alio amitti, monendus a te eſt, ut ipſe eandem tollat, aut, ſi tu eam tollis, extemplo eidem reſtituenda. Etenim ſi eum, qui rem quandam amittit, mones ut eandem tollat; eo ipſo caves, ne jacturam rei ſuæ faciat (§. 487.), conſequenter damnum ab eo avertis (§. 486.). Quamobrem cum damnum omne, quantum in te eſt, ab altero avertere debeas (§. 495.); ſi vides rem quandam ab alio amitti, monendus utique a te eſt, ut ipſe eandem tollat. *Quod erat primum.*

Enimvero ſi ipſe eandem tollis, cum noris, quinam eam amiſerit, eam a te domino extemplo reſtituendam eſſe ex ſuperioribus jam conſtat (§. 470.). *Quod erat alterum.*

Quos perverſa cupido habendi non ſeducit, ii quoque hoc facere ſolent ipſo quaſi naturæ ductu. Non tamen ideo omittenda erat demonſtratio, qua evincitur naturalis ad hoc faciendum obligatio: demonſtranda enim etiam ſunt, quæ vulgo æqua ac bona agnoſcuntur absque demonſtratione,

Digitized by Google

tum ut certa ſit eorum cognitio, tum ut intelligatur, quænam ſine peccato a nobis omitti minime poſſint.

§. 518.

Furtum in rebus naufragis & ejectis commiſſum.

Si quis res naufragas aut navis levandæ cauſa in mare ejectas, vel fluctibus expulſas, vel in ipſo mari nactus animo ſibi habendi aufert, furtum committit. Res enim naufragæ aut navis levandæ cauſa in mare ejectæ æquiparantur rebus amiſſis (*not.* §. 429.). Quoniam itaque furtum committit, qui res amiſſas animo ſibi habendi aufert (§. 516.); furtum etiam comittere debet, qui res naufragas aut navis levandæ cauſa in mare ejectas, ſive fluctibus expulſas, ſive in ipſo mari nactus animo ſibi habendi aufert.

Conſentaneum hoc eſt Juri Romano §. 47. I. de rer. div. quod adeo cum Jure naturæ convenit. Huic autem adverſantur mores illorum, qui res naufragas & ejectas pro rebus nullius habent easque occupanti concedunt:, ſit ita quod in locis nonnullis jus occupandi fiſco tributum, ut adeo furtum in hiſce non committatur, niſi quatenus fiſco ſubducuntur, quemadmodum furtum committitur in piſcibus, avibus & feris contra jus aliorum proprium captis (§. 513.). Juris naturæ norma non ſunt gentium mores; ſed horum potius norma jus naturæ eſſe debet.

§. 519.

Furtum & rapina lege naturæ prohibita.

Nemo furtum facere, nec res alterius vi rapere debet, ſeu furtum & rapina lege naturæ prohibentur. Qui enim furtum facit, alteri inſcio ac invito rem ſuam aufert animo ſibi eam habendi (§. 498.) & qui alterius rem vi repit, eandem denuo invito eodem domino aufert (§. 505.). Sed nemo alteri invito rem ſuam auferre debet, quocunque tandem animo id fiat (§. 497.), conſequenter nec animo eam ſibi haben-

habendi auferre debet. Nemo igitur furtum facere, nemo res alterius vi rapere debet.

Patet adeo non minus furtum, quam rapinam lege naturæ prohiberi. Etſi enim natura res omnes ſint communes (§. 7.), dominia vero communione primæva ſublata ab hominibus fuerint introducta (§. 140.), adeoque a facto quodam hominum dependeant; legi tamen naturæ non repugnat, ut dominia introducantur (§. 141.), conſequenter eidem etiam conſentanea ſunt, quæ ex notione dominii fluunt. In his vero etiam locus eſt prohibitioni furti ac rapinæ, quemadmodum reſolutio demonſtrationis in ſua principia facile prodit. Hinc & *Paulus* l. 1. ff. de furtis furtum naturali jure prohibitum recte dixit, & natura turpe l. 42. ff. de V. S. vocat *Ulpianus*. Quod adeo apud multas gentes, veluti apud Lacedæmonios, teſte *Xenophonte*, & Ægyptios, *Diodoro Siculo* autore, ut alios taceamus, furta fuerint licita, id ex civili ratione factum, veluti ut cives ad ſolertiam & vigilantiam excitarentur, quemadmodum jam obſervavit *Teſmarus* in notus ad *Grotium* lib. 1. c. 1. §. 10. Iſtiusmodi autem leges tantummodo dant impunitatem agendi, non vero jus: factum adeo ſua natura turpe tale manet, etiamſi laudabile habeatur hominum opinione.

§. 520.

Res rapta & Bona rapta dicuntur, quæ domino invito vi erepta fuerant. Vernaculo ſermone dicimus **geraubete Sache**, item **geraubetes Gut**, quemadmodum ex adverſo res furtivas **geſtohlene Sachen**, item **geſtohlenes Gut** appellamus. *Res & bona rapta.*

§. 521.

Dominium in re furtiva & bonis raptis a domino retinetur. Cum enim res furtiva furto (§. 501.), adeoque domino invi- *Dominium in re furtiva & bonis ra-*

ptis retentum. invito auferatur (§. 498.), & bona rapta itidem eidem invito vi eripiantur (§. 520.), invito autem dominium rei ſuæ auferri nequeat (§. 338.); fur equidem & prædo rem, non vero dominium in ea nanciſcuntur. Dominium itaque, quod ſolo animo retineri poteſt (§. 258.), cum dominus nolit rem ſuam fieri furis (§. 498.), vel prædonis (§. 505. 506.), in re furtiva & bonis raptis retinet.

Gentes, quarum legibus furta permiſſa fuerunt, immo quæ furtum pro facto laudabili habuerunt, rem furtivam furis fieri, conſequenter cum re dominium in furem tranſire ſtatuerunt. Enimvero perverſa errantium opinio non derogat veritati.

§. 522.

Ad quemcunque pervenerint. Quoniam dominus dominium in re furtiva & bonis raptis retinet (§. 421.), *res furtiva & bona rapta manent domini, in cujuscunque poteſtatem pervenerint* (§. 124.), *& qui rem furtivam vel bona rapta detinet, res alienas detinet* (§. 146.).

Vitium adeo rei furtivæ ac bonis raptis ſemper inhæret, quamdiu extant. An vero lege civili ab eo purgari poſſint, non eſt hujus loci disquirere. Hic enim tantummodo oſtenditur, quid ferat rigor legum naturalium.

§. 523.

Reſtitutio rei furtivæ & raptæ præcepta. *Qui rem furtivam vel raptam in poteſtate ſua habet, & novit, quinam ſit dominus, eam domino reſtituere debet.* Etenim qui rem furtivam vel raptam in poteſtate ſua habet, rem alienam in eadem habet (§. 522.). Sed qui rem alienam in poteſtate ſua habet, & novit, cujusnam ea ſit, eam domino reſtituere debet (§. 467.). Ergo qui rem furtivam, vel raptam in poteſtate ſua habet, & novit, quinam ſit dominus, eam domino reſtituere debet.

Facile

Digitized by Google

Facile apparet, hic non attendi, quomodo res furtiva vel rapta in poteſtatem tuam pervenerit, ſed ſufficere, ut eam in poteſtate tua habeas. Ex hoc enim ſolo naſcitur obligatio rei alienæ reſtituendæ, nec huc facit modus, quo in poteſtatem tuam pervenerit.

§. 524.

Obligatio furis ac prædonis rem ablatam reſtituendi.

Quoniam rem furtivam vel raptam domino reſtituere debet, qui eam in poteſtate ſua habet, & novit, quinam ſit dominus (§. 523.); *ipſe* etiam *fur & prædo, ille rem furtivam, hic raptam domino reſtituere tenetur, ſi eam adhuc in poteſtate ſua habet.*

Etenim ſi ex ipſius poteſtate jam in poteſtatem alterius venit, aut ſi res ablata fuerit conſumta, nec amplius extet, reſtitutio fieri nequit. Ad impoſſibile vero nulla datur obligatio. Non tamen ideo expirat obligatio omnis, qua domino tenetur fur, vel prædo. Qualis autem adhuc ſuperſit, in ſequentibus demonſtratur. Quodlibet enim ſuum in locum referri jubet methodus, qua utimur.

§. 525.

An reſtituere furi vel prædoni rem furtivam & raptam liceat & an illo inſcio domino reſtitui poſſit.

Similiter quia *rem furtivam vel raptam* domino reſtituere debet, *qui* eandem *in poteſtate ſua habet, & novit, quinam ſit dominus* (§. 523.); *eam non furi vel prædoni reſtituere debet, domino vero etiam fure vel prædone inſcio reſtituit.*

Res furtiva vel rapta manet domini (§. 522.), nec quicquam in ea juris habet fur vel prædo (§. 120.). Quamobrem in reſtitutione ejus nulla furis vel prædonis habenda eſt ratio, adeoque perinde eſt, ſive norit a te eam reſtitui, ſive ignoret, ſive in reſtitutionem conſentiat, ſive minus. Neque enim in eo, quoad lex naturæ imperat, a voluntate furis vel prædonis dependes.

Digitized by Google

§. 526.

Ablatione rei alienæ quando injuria fiat domino.

Qui rem alienam aufert, invito domino, de eadem quocunque modo pro arbitrio ſuo diſpoſiturus, injuriam domino facit. Etenim domino competit jus pro arbitrio ſuo de re ſua diſponendi (§. 121. 118.). Quoniam itaque jure ſuo excludit ceteros omnes, in quorum dominio res non eſt (§. 120.); ſi quis alius de re ipſius per arbitrio ſuo quocunque modo diſponere audet, eodem invito, idem contra jus ipſius, quod perfectum eſt (§. 122.); hoc facit (§. 239. *part. I. Phil. pract. univ.*). Qui contra jus perfectum alterius quid facit, injuriam ipſi facit (§. 859 *part. I. Jur. nat.*). Ergo qui rem alienam aufert, invito domino, de eadem quocunque modo pro arbitrio ſuo diſpoſiturus, injuriam ipſi facit.

Hinc denuo patet, quod ſupra jam demonſtravimus, qui re aliena utitur invito domino, eum ipſi injuriam facere (§. 222.). Diſponit enim pro arbitrio ſuo contra voluntatem domini de uſu rei ipſius.

§. 527.

Quando damnum detur.

Si dominus rem ſibi invito ablatam non recuperat, ab auferente ipſi damnum datur. Etenim ſi dominus rem ſibi invito ablatam non recuperat, jacturam ejus facit (§. 487.). Quoniam igitur damnum dat, qui jacturam rei ſuæ ut faciat dominus in cauſa eſt (§. 488.); quin ab auferente damnum detur domino, ubi is rem ſibi invito ablatam recuperare nequit, dubitandum non eſt.

Propoſitionis præſentis veritas adeo manifeſta eſt, ut nemo non de damno ſibi dato conqueratur, quando rei ſibi invito ablatæ denuo recuperandæ ſpes nulla ipſi ſupereſt.

§. 528.

Digitized by Google

§. 528.

Damno furto & rapina datum.

Quoniam tam fur (§. 498.), quam prædo (§. 505. 506.), rem domino invito auferunt; *ſi dominus rem furto, tum vel rapina ſibi ablatam non recuperat, damnum ipſi a fure, vel prædone datur* (§. 527.).

Damnum nempe datum non ante dici poteſt, quam ubi certum eſt, te rem tuam recuperare non poſſe, vel quod non extet amplius, vel quod ignoretur, in cujusnam poteſtatem pervenerit.

§. 529.

Damnum & injuria in furto & rapina diſtinguenda.

Fur & prædo non modo damnum dare domino intendunt; verum etiam eidem injuriam faciunt. Etenim non minus fur, quam prædo rem domino invito auferunt animo eam ſibi habendi (§. 498. 505. 506.), conſequenter inſtar domini de eadem pro arbitrio ſuo diſponendi (§. 118. 124.). Quoniam itaque injuriam domino facit, qui rem eodem invito aufert de eadem pro arbitrio ſuo diſpoſiturus (§. 526.); fur pariter ac prædo domino injuriam faciunt. *Quod erat unum.*

Et quia fur ac prædo rem alienam auferunt, ut eam ſibi habeant, *per demonſtrata*, haud quaquam intendere poſſunt, ut dominus eam recuperet (§. 616. *part. I. Phil. pract. univ.*), quin potius contrarium intendere debent. Enimvero ſi dominus rem ſibi invito ablatam non recuperat, ab auferente ipſi damnum datur (§. 527.). Patet itaque, quod fur ac prædo domino damnum dare intendant. *Quod erat alterum.*

Non eſt quod excipias, furem intendere lucrum ex re ablata faciendum; lucrum enim furis cum damno domini conjunctum eſt, ut adeo qui illud intendit, hoc ſimul intendere debeat. Non tamen dici poteſt, quod fur & prædo furto

& ra-

& rapina actu dent damnum, quia damnum non ante patitur dominus, quam ubi rem ablatam recuperare nequit: id quod non ſequitur ex eo, quod res ipſi fuerit ablata, ſed & ab aliis cauſis pendet, vel quod ea conſumta fuerit uſu, vel quod ignoretur, in cujus poteſtatem venerit. Quamvis adeo domino res a fure vel prædone ablata reſtituatur, vel ubi reſtitutio fieri nequit, damnum datum reſarciatur, ut de damno ſibi dato conqueri minime poſſit; non tamen propterea ceſſat juſtæ querelæ cauſa. Jure enim adhuc conqueritur de injuria ſibi facta, quæ per hoc non aboletur, quod res ablata reſtituatur, vel damnum datum reſarciatur. Quamobrem tam in furto, quam rapina damnum ab injuria diſtinguendum.

§. 530.

Injuria omnis læſio eſt.

Qui alteri injuriam facit, eum lædit, ſeu injuria omnis læſio eſt. Omnis enim injuria fit contra jus perfectum alterius (§. 859. *part. I. Jur. nat.*). Qui vero quid facit contra jus alterius, eum lædit (§. 920. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter quicquid contra jus perfectum alterius fit læſio eſt. Quare qui alteri injuriam facit, eum lædit, conſequenter injuria omnis læſio eſt.

§. 531.

Adverſatur juri ſecuritatis.

Quoniam læſio omnis juri ſecuritatis adverſatur (§. 919. *part. I. Jur. nat.*), omnis autem injuria læſio eſt (§. 530.); *injuria omnis juri ſecuritatis adverſatur.*

§. 532.

Damni illatio læſio eſt.

Qui alteri damnum dat, eum lædit, ſeu *omnis damni illatio læſio eſt.* Omne enim damnum ſtatum noſtrum imperfectiorem reddit (§. 492.). Lædit autem alterum, qui ſtatus

tus ipſius imperfectionem promovet, & factum, quo is imperfectior redditur, læſio eſt (§. 669. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem qui alteri damnum dat, eum lædit, ſeu omnis damni illatio læſio eſt.

Principia hæc præmittimus per modum lemmatum ad demonſtranda ſequentia.

§. 533.

Illatio damni cur prohibita. *Nemo alteri damnum dare debet.* Qui enim alteri damnum dat, eum lædit (§. 532.). Sed nemo alterum lædere debet (§. 695. *part. I. Jur. nat.*). Ergo etiam nemo alteri damnum dare debet.

Propoſitionem hanc jam demonſtravimus in ſuperioribus (§. 495.); demonſtrationem tamen præſentem ideo addere viſum fuit, ut appareat, prohibitionem damni dandi ſub principio generali: *Neminem læde* contineri. Facit hoc ad pleniorem intellectum principiorum Juris civilis, quæ Imperator recenſet §. 3. I. de J. & J. Ceterum quod damni datio in numero læſionum ſit, ex eo etiam demonſtrari poterat, quod alterum lædat, qui ipſum bono quodam ſuo privat (§. 692. *part. I. Jur. nat.*): hoc enim facere eum, qui dat damnum, ex ipſa definitione damni dati facile intelligitur (§. 486.).

§. 534.

Furtum & rapina læſio eſt. *Qui furtum vel rapinam committit, dominum, cujus res aufert, lædit, ſeu furtum & rapina læſio eſt.* Etenim qui furtum vel rapinam committit, conſequenter fur (§. 498.), atque prædo (§. 506.), non modo damnum domino, cujus res auferunt, dare intendunt, verum etiam eidem injuriam faciunt (§. 529.), immo, ſi dominus rem ablatam recuperare nequit, damnum actu dant (§. 528.). Enim-

Digitized by Google

vero lædit alterum non minus, qui ei injuriam facit (§. 530.), quam qui damnum dat (§. 532.). Omnino itaque dominum lædit, qui furtum & rapinam committit, adeoque furtum & rapina læſio eſt.

Videmus adeo, quænam turpitudo naturalis inſit furto ac rapinæ, quæ utrumque factum reddit in ſe illicitum, ac in ſe turpe, ut nulla lege poſitiva licitum ac honeſtum fieri poſſit, niſi quatenus impune fieri permittitur, nec civiliter infamat facientem. Duplex furto ac rapinæ ineſt læſio. Etſi enim fieri poſſit, ut dominus rem furtivam vel raptam recuperet, adeoque nullum actu ſentiat damnum, vel etiam damnum datum reſarciatur; nondum tamen ipſi ſatisfactum eſt ob injuriam, qua jus ſecuritatis violatum. Damni adeo reſtitutio cum hac ſatisfactione, ſeu tuitione juris ſecuritatis minime confundenda, etiamſi furtum ac rapinam nondum ſpectemus niſi in ſtatu naturali, in quo unusquisque jus ſecuritatis ſuum ipſe tuetur.

§. 535.

Furtum & rapina juri ſecuritatis adverſa.

Furtum & rapina juri ſecuritatis adverſantur. Homini competit jus non patiendi, ut alius ipſum lædat (§. 913. *part. I. Jur. nat.*). Quoniam itaque furtum & rapina læſio eſt (§. 534.); tam furtum, quam rapina juri huic adverſatur. Enimvero jus non patiendi, ut quis te lædat, jus ſecuritatis eſt (§. 917. *part. I. Jur. nat.*). Furtum itaque & rapina juri ſecuritatis adverſantur.

Brevius oſtenditur hoc modo. Furtum & rapina læſio eſt (§. 534.). Sed læſio omnis juri ſecuritatis adverſatur (§. 919. *part. I. Jur. nat.*). Ergo furtum & rapina ſecuritatis juri adverſantur.

Equidem jus ſecuritatis hic tantummodo ſpectamus in ſtatu naturali, quemadmodum modo monuimus (*not.* §. 345.);

Digitized by Google

534.); principio tamen huic locus eſt, ubi de pœna furti ac rapinæ in ſtatu civili ſtatuendum, prouti ſuo loco apparebit.

§. 536.

Nemo furtum & rapinam committere debet. Etenim qui furtum & rapinam committit alterum lædit, dominum ſcilicet, cujus res aufert (§. 534.). Sed nemo alterum lædere debet (§. 695. *part. I. Jur. nat.*). Ergo etiam nemo furtum & rapinam committere debet. *Furtum & rapina lege naturali prohibita.*

Equidem jam ſuperius (§. 519.) oſtendimus furtum & rapinam lege naturali prohiberi: placuit tamen idem adhuc aliter demonſtrare, ut pateat, furtum & rapinam ipſa lege generali *neminem læde* prohibitam eſſe. Ideo nimirum furtum & rapinam ad læſionem revocavimus, ut qui dubitant vel negant, furtum & rapinam eſſe facta naturaliter turpia, ſeu per ſe & in ſe mala, tanto evidentius hoc comprehendant. In moralibus, ubi appetitus ſenſitivus vel averſatio ſenſitiva aſſenſui reluctatur, vel in caſu emergente ex firmo vacillantem reddit, non eadem demonſtratio ubivis eandem vim in convincendo exerit, quemadmodum in Geometria contingit, quamvis etiam hic ſubinde claritas ſuppetias ferat evidentiæ, ut nec in ea demonſtrationes breviores ſemper præferendæ. Qui naturam animæ intime perſpectam habent, ut non modo generalem facultatum dependentiam a ſe invicem perſpiciant, verum etiam ſubiectorum diverſorum diverſas diſpoſitiones tam naturales, quam acquiſitas non ignorent; iis ſatis patebunt, quæ dicuntur.

§. 537.

Fur res furtivas & prædo raptas mala fide poſſident. Fur res furtivas & prædo raptas domino abſtulit animo eas ſibi habendi (§. 498. 505. 506.), adeoque uterque eas detinet tanquam ſuas. Quamobrem cum rem poſſideat, qui eam *Qualis ſit poſſeſſio furis & prædonis.*

detinet tanquam ſuam (§. 150.), uterque res, quas abſtulit, poſſidet. Manent autem res furtivæ & raptæ domini ſui, ut qui eas detinet res alienas detineat (§. 522.). Quamobrem cum fur & prædo norint, eas eſſe alienas, mala autem fide rem poſſideat, qui eam alienam eſſe novit (§. 153.); fur res furtivas, prædo raptas mala fide poſſidet.

Res furtivæ ac raptæ poteſtati domini ſubducuntur, cum nullo amplius modo de viis inſtar domini diſponere poſſit (§. 462.). Dominus adeo poſſeſſione rei ſuæ excidit, dum a fure vel prædone aufertur, & ablata ipſo invito venit in poſſeſſionem furis vel prædonis, ut ut jus poſſidendi dominio indivulſo nexu cohærens (§. 157.), animo ab ipſo retineatur (§. 260.).

§. 538.

Obligatio poſſeſſoris rei furtivæ & raptæ.

Poſſeſſor rei furtivæ vel raptæ eam domino reſtituere tenetur, quocunque tandem modo ea in poteſtatem ſuam venerit. Etenim qui rem furtivam vel raptam detinet, eam domino reſtituere tenetur (§. 523.): quod cum ſimpliciter verum ſit ſine ulla reſtrictione, tenetur utique, quocunque tandem modo in poteſtatem ſuam pervenit. Quoniam itaque poſſeſſor rei furtivæ ac raptæ eam detinet (§. 150.); eandem omnino reſtituere tenetur, quocunque tandem modo res in poteſtatem ipſius venerit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Res furtiva & rapta manet domini ſui, cui ablata fuit, in cujuscunque poteſtatem pervenerit (§. 522.), conſequenter qui eam poſſidet, rem alienam poſſidet (§. 146.). Enimvero poſſeſſor rei alienæ domino rem ſuam reſtituere tenetur (§. 471.). Ergo poſſeſſor rei furtivæ vel raptæ eam domino reſtituere tenetur, quocunque tandem modo in poteſtatem ſuam venerit.

Propo-

Digitized by Google

Propoſitio præſens tanquam caſus particularis ſub univerſali continetur, quem ſupra demonſtravimus (§. 523.), quemadmodum ex demonſtratione priori patet. Poteſt tamen etiam independenter ab ea demonſtrari, prouti ex poſteriori liquet. Non inconſultum itaque fuit, utramque in medium afferri.

§. 539.

Obligatio furis & prædonis rem domino reſtituendi.

Quoniam fur rem furtivam, prædo raptam poſſidet (§. 537.), poſſeſſor autem rei furtivæ vel raptæ eam reſtituere tenetur, quomodocunque in poteſtatem ſuam ea venerit (§. 538.); hinc denuo ſequitur, quod ſupra jam demonſtravimus (§. 524.), *furem & prædonem rem furtivam & ablatam raptam domino reſtituere debere.*

§. 540.

Quodnam domino quoad reſtitutionem rei ſuæ jus competat.

Domino competit jus rem ſuam exigendi ab eo, qui eandem in poteſtate ſua habet, &, ſi eam reſtituere non vult, eum vi adigendi, ut faciat. Domino enim competit jus interdicendi cuivis non domino omni actu vi dominii licito, nec patiendi, ut quis alius quicquam faciat ſe invito, quod ſibi vi dominii facere licet (§. 121.). Quoniam itaque ſi res eſt in alterius poteſtate, hic quidem de eadem pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, non vero dominus, cui ſoli hoc facere licet (§. 118. 120.); domino ferendum non eſt, ut res ſua ſit in alterius poteſtate. Habet igitur jus rem ſuam exigendi ab eo, qui eandem in poteſtate ſua habet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Domino competit, jus rem ſuam in poteſtate ſua habendi, nec quiſquam alius ſine ipſius conſenſu ſive expreſſo, ſive tacito rem alienam in poteſtate ſua jure habet (§. 465.). Ipſi adeo ferendum non eſt, ut res ſua ſit in alterius poteſtate, conſequenter

Digitized by Google

jus eam exigendi ab eo, qui eandem in poteſtate ſua habet, competit. *Quod erat primum.*

Qui rem alienam in poteſtate ſua habet, eam domino reſtituere debet (§. 467.). Quodſi ergo hoc facere nolit, aut domino ferendum, ut ſine ipſius conſenſu res ſua ſit in alterius poteſtate, aut eum, qui eandem in poteſtate habet, vi adigat neceſſe eſt, ut ipſam reſtituat. Enimvero domino ferendum non eſt, ut res ſua ſit in poteſtate alterius, *per demonſtrata.* Ergo eidem competere debet jus vi adigendi eum, qui rem ſuam in poteſtate ſua habet, ut eandem ſibi reſtituat.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quoniam jus omne, quod reſpondet obligationi, qua alter tibi tenetur in ſingulari quoad quidpiam ſingulare, perfectum eſt (§. 908. *part, I. Jur. nat.*); jus exigendi rem tuam ab eo, qui eandem in poteſtate ſua habet, utpote reſpondens obligationi eam reſtituendi (§. 467.), perfectum eſt. Quamobrem ſi quis poſcenti rem ſuam reſtituere non vult, jus perfectum eidem non tribuit ſuum (§. 921. *part. I. Jur. nat.*). Sed ſi quis jus perfectum tuum tibi tribuere non vult, illud vi perſequi licet (§. 1101. *part. I. Jur. nat.*). Ergo etiam reſtitutionem rei tuæ vi perſequi licet adverſus eum, qui reſtituere non vult, conſequenter hoc facere detrectantem vi adigere licet, ut faciat. *Quod erat alterum.*

Obligationi reſtituendi reſpondet jus rem ſuam ab eo exigendi, qui eam reſtituere poteſt. Nulla vero foret obligatio iſta, nullum hoc jus, niſi etiam dominus jus haberet reſtituere nolentem ad reſtitutionem vi adigendi. Utrumque adeo membrum propoſitionis præſentis admittet, qui inficiari non audet, domino rem ſuam reſtituendam eſſe.

§. 541.

§. 541.

Quoniam qui rem alienam poſſidet, eam in poteſtate ſua habet (§. 463.), qui vero rem alienam in poteſtate ſua habet, ab eo dominus eandem exigendi jus habet, &, ubi eam reſtituere non vult, jus etiam ipſum vi adigendi, ut hoc faciat (§. 540.); *Domino competit jus rem ſuam exigendi a poſſeſſore quocunque &, ſi eam reſtituere nolit, ipſum vi adigendi, ut hoc faciat.* *Idem porro expenditur.*

Nimirum cum hoc jus fluat ex notione dominii, quod dominus voluntate ſua retinet (§. 258.), conſequenter non mutatur, mutata poſſeſſione (§. 257.); ſalvum utique ſemper manet, quicunque tandem factus fuerit ejus poſſeſſor.

§. 542.

Similiter quia dominus in re furtiva & rapta dominium retinet (§. 521.), *quamdiu res furtiva in furis, rapta in furem & prædonis poteſtate eſt, domino competit jus furem & prædonem vi adigendi, ut rem ſibi ablatam reſtituant* (§. 540.). *Etiam quoad furem & prædonem.*

Comprehenditur quoque hic caſus ſub propoſitione antecedente, propterea quod fur & prædo, quamdiu rem furtivam & raptam in poteſtate ſua habent, eandem poſſident (§. 537.).

§. 543.

Jus rem ſuam vi perſequendi adverſus quemlibet poſſeſſorem aut quemcunque alium, qui eam in poteſtate habet, dicitur *Vindicatio rei* vel etiam *Jus rem ſuam vindicandi.* *Jus rem ſuam vindicandi.*

Definitur hic vindicatio rei, qualis eſt vi originis ſuæ in ſtatu naturali: qualem enim mutationem ſubeat in civili, ſuo loco oſtendemus.

§. 544.

§. 544.

Jus rem ſuam vindicandi domino competens.

Domino competit jus rem ſuam vindicandi adverſus quemlibet poſſeſſorem, aut quemcunque alium, qui eandem in poteſtate ſua habet. Competit enim eidem jus rem ſuam exigendi a quolibet poſſeſſore & quocunque alio, qui eandem in poteſtate ſua habet, eumque vi adigendi ut eam reſtituat, ſi hoc facere non vult (§. 540. 541.). Enimvero jus rem ſuam vi perſequendi adverſus quemlibet poſſeſſorem, aut quemcunque alium, qui eam in poteſtate ſua habet, eſt jus rem ſuam vindicandi (§. 543.). Domino igitur competit jus rem ſuam vindicandi adverſus quemlibet poſſeſſorem, aut quemcunque alium, qui eandem in poteſtate ſua habet.

Jus nimirum vindicandi rem ſuam datur contra omnes, qui eam reſtituendi facultatem phyſicam habent. Nimirum ſi fieri poteſt, ut a te reſtituatur; domino quoque competit jus poſcendi, ut eam actu reſtituas, &, ubi poſcenti eam reſtituere non vis, vi te adigendi, ut reſtituas. Nulla hic valet adverſus dominum exceptio.

§. 545.

Dominium in rei vindicatione probandum.

Dominus rem ſuam vindicaturus probare debet dominium, ſeu rem, quam ſibi reſtituendam petit, eſſe ſuam. Etenim qui rem alienam in poteſtate ſua habet, eam domino reſtituere debet, ſi noverit quinam ſit dominus (§. 467.), & circumſpectus eſſe debet, ne res, quam domino reſtituere intendit, veniat in poteſtatem non domini (§. 470.). Rem adeo domino reſtituturus certus eſſe debet, eum, cui eam reſtituit, eſſe dominum. Enimvero ex eo, quod quis ſe dominum eſſe dicit, nondum conſtare poteſt, quod ſit dominus: id quod nemo non admittit. Quamobrem qui dicit ſe eſſe dominum,

num, quod ſit probare debet. Quoniam itaque dominus rem ſuam vindicaturus rem ſibi reſtitui petit, cujus ſe dominum eſſe dicit (§. 543.); dominium ſuum, ſeu quod res ſua ſit, probare debet.

De poſſeſſore adeo rei ſuæ vel quocunque alio, qui eam habet in poteſtate ſua, conqueri nequit dominus, ſi ſibi non reſtituitur, quamdiu dominium non probavit. Neque etiam eidem injuriam facit, qui non reſtituit, quando dominium probare nequit. Dominus enim, cui reſtitutio fieri debet, non agnoſcitur niſi dominio probato.

§. 546.

Quoniam *dominus* rem ſuam vindicaturus probare debet rem eſſe ſuam, quam ſibi reſtituendam petit (§. 545.); *antequam probavit dominium, vi adigere nequit eum, qui rem in ſua poteſtate habet, ut reſtituat.* *Quando vi reſtitutionem urgere liceat.*

Nimirum non probato dominio, qui eam in poteſtate ſua habet, certus non eſt, eam eſſe tuam, adeoque verendum, ne eam non domino reſtituat, quod contrariatur circumſpectioni, qua in rei reſtitutione utendum.

§. 547.

Natura domino competit jus belli in eum, qui rem, quam ſuam eſſe probavit, ipſi reſtituere non vult. Domino enim competit jus rem ſuam vi perſequendi adverſus omnem poſſeſſorem, aut quemcunque alium, qui eandem in poteſtate ſua habet, ubi eam reſtituere non vult (§. 540.). Quoniam vero hoc faciens rem ſuam vindicat (§. 543.), rem vero vindicaturus ad vim recurrere nequit, niſi dominio probato (§. 546.); domino quoque nulla vis licita in eum, qui rem reſtituere non vult, antequam dominium fuerit probatum (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). Jus vi perſequendi *Jus belli quando ſit in eum, qui rem ſuam domino reſtituere non vult.*

jus ſuum adverſus alterum, qui idem nobis tribuere non vult, jus belli eſt (§. 1103. *part. I. Jur. nat.*). Natura igitur domino competit jus belli in eum, qui rem, quam ſuam eſſe probavit, ipſi reſtituere non vult.

Patet adeo rei vindicationem in ſtatu naturali eſſe ſpeciem belli, quando nimirum is, qui rem reſtituere non vult, novit te eſſe dominum.

§. 548.

Quando bello locus ſit. Quoniam domino jus belli non competit niſi in eum, qui rem, quam ſuam eſſe probavit, ipſi reſtituere non vult; *antequam ad bellum progrediatur dominus, reſtitutionem rei, quam ſuam eſſe probavit, petere debet.*

Atque adeo patet, quem ordinem præſcribat jus naturæ in re ſua vindicanda. Nimirum 1) amice monendus eſt, qui rem tuam in poteſtate ſua habet, quod res tua ſit, 2) ſi opus fuerit, probandum dominium, 3) petenda reſtitutio, 4) ſi hæc denegatur, ad bellum progrediendum. Hoc probe notasſe proderit ſuo loco.

§. 549.

Jus puniendi eum, qui injuriam facit. *Natura homini competit jus puniendi eum, qui ipſi injuriam facit.* Natura enim cuilibet homini competit jus puniendi eum, qui ipſum læſit (§. 1061. *part. I. Jur. nat.*). Enimvero injuria omnis læſio eſt (§. 530.) Natura igitur homini cuilibet competit jus puniendi eum, qui ipſi injuriam facit.

Videmus adeo rationem, cur damnum ab injuria ſit diſtinguendum, ſi uno eodemque actu & damnum detur & injuria fiat. Aliud enim eſt jus, quod ex facto alterius nobis naſcitur ob damnum datum, aliud, quod ex eodem oritur ob injuriam factam.

§. 550.

§. 550.

Qui pœnam ſumit ab eo, qui ipſi injuriam fecit ob factam injuriam, *Injuriam vindicare* dicitur: ut adeo *Vindicatio injuriæ* ſit jus pœnam ſumendi ab eo, qui ipſi injuriam fecit. Quoniam itaque natura homini competit jus puniendi eum, qui ipſi injuriam facit (§. 549.); *Homini cuilibet competit jus injuriam ſibi illatam vindicandi.* *Jus vindicandi injuriam.*

De jure puniendi jam demonſtravimus, quæ tenenda ſunt, alibi (§. 1061. *& ſeqq. part. I Jur. nat.*). Quamobrem cum vindicatio injuriæ non ſit niſi jus puniendi eum, qui injuriam fecit, ob injuriam factam (§. *præſ.*); ſuperfluum foret ea ad vindicationem injuriæ applicare. Abſit autem ut vindicationem injuriæ confundas cum cupidine vindictæ: quod enim hæc ab illa abeſſe poſſit ac debeat, ex iis patet, quæ jam alias demonſtravimus (§. 1078. *part. I. Jur. nat.*).

§. 551.

Domino, cui fur vel prædo rem ſuam abſtulit, competit jus furem & prædonem puniendi, conſequenter *injuriam ſibi factam vindicandi.* Etenim fur & prædo domino, cui rem ſuam auferunt, injuriam faciunt (§. 529.). Sed natura homini competit jus puniendi eum, qui ipſi injuriam fecit (§. 549.). Ergo domino etiam competit jus puniendi furem & prædonem, qui res ipſius abſtulit, conſequenter eidem competit jus injuriam ſibi illatam vindicandi (§. 550.). *Jus puniendi furem & prædonem.*

Vindicatio itaque rei ſuæ a fure vel prædone, qui eam adhuc in poteſtate ſua habet, a vindicatione injuriæ differt. Quamobrem etſi fur ac prædo rem ablatam reſtituant; non tamen ideo ceſſat injuriæ vindicatio. Aliud enim damnum eſt, quod rei reſtitutione tollitur: aliud vero injuria, quæ cum in facto juri tuo adverſo conſiſtat, rei reſtitutione non

deletur, cum factum infectum fieri nequeat. Fur & prædo obligantur non modo ad rem ablatam reſtituendam (§. 539.) ſed & ad pœnam ſubeundam, quemadmodum in ſequente propoſitione oſtenditur.

§. 552.

Obligatio furis & prædonis ad pœnam ſubeundam.

Fur & prædo obligantur ad pœnam patiendum. Etenim fur & prædo injuriam faciunt domino, cui rem ſuam auferunt (§. 529.), conſequenter eum lædunt (§. 530.). Enimvero qui alterum læſit, ad pœnam patiendum obligatur (§. 1071. *part. I. Jur. nat.*). Ergo fur & prædo obligantur ad pœnam patiendum.

Non opus eſt, ut hic inquiramus, quænam eſſe debeat furti ac rapinæ pœna in ſtatu naturali. Novimus enim jus puniendi infinitum eſſe (§. 1063. *part. I. Jur. nat.*), ut adeo in genere nulli eidem præſcribi poſſint limites, utpote ex circumſtantiis ſingularibus demum præfigendi (§. 977. *part. I. Jur. nat.*).

§. 553.

Jus puniendi eum, qui invito domino re aliena utitur.

Domino competit jus puniendi eum, qui re ipſius eodem invito utitur. Qui enim re aliena utitur, invito domino, injuriam ipſi facit (§. 222.). Enimvero natura homini competit jus puniendi eum, qui ipſi injuriam facit (§. 549.). Ergo etiam domino competit jus puniendi eum, qui re ipſius eodem invito utitur.

Jus puniendi in aprico poſitum eſt, nec in dubium revocari poteſt, niſi ab eo, qui principia juris naturalis non ſatis cognita habet atque perſpecta. Quanta vero conveniat pœna, & quando comittenda ſit, ex iis intelligitur, quæ de jure pœnarum in parte prima demonſtravimus.

§. 554.

Digitized by Google

§. 554.

Jus puniendi alienis instrumentis pisces, aves, vel feras capientem.

Quoniam domino invito re ipſius utitur, qui ſine omni ejus conſenſu inſtrumentis ejus piſces, aves vel feras capit, domino vero jus competit puniendi eum, qui re ipſius eodem invito utitur (§. 553.); *Qui inſtrumentis alienis ſine omni conſenſu domini piſces, aves vel feras capit, eum puniendi jus competit domino inſtrumentorum.*

Oſtendimus in ſuperioribus inſtrumentorum alienorum uſu piſcantem (§. 223.), aves capientem (§. 232.) injuriam facere inſtrumentorum domino, ſi inſtrumentis utatur, non impetrato ipſius conſenſu. Unde etiam hinc inferri poterat jus puniendi domino competens (§. 553.). Ceterum ſi uſu inſtrumentorum damnum fuerit datum, hoc perinde ac in furto & rapina ab injuria diſtinguendum, conſequenter nec reparatio damni, de qua deinceps, cum pœna, qua injuria vindicatur, confundenda. Equidem non dubito fore nonnullos, qui nimium juris rigorem, qui nimiam in diſtinguendo ſubtilitatem accuſent: ſed hi erunt, qui minime prævident rigoris ac ſubtilitatis hujus uſum in determinandis ac dijudicandis legibus civilibus hominumque moribus cenſendis, ac propriis rectificandis. Nos nihil in præſenti præmittimus niſi in certiſſimum ac prorſus indiſpenſabilem uſum futurum.

§. 555.

Injuria occupatione rerum nullius facta.

Qui rem nullius occupat in eo fundo vel diſtrictu, in quo jus occupandi mihi proprium eſt, me non conſentiente, injuriam mihi facit. Oſtenditur eodem prorſus modo, quo de jure proprio occupandi res certæ ſpeciei idem demonſtravimus (§. 234.).

Quoniam in ſuperioribus, cum de acquirendis res occupatis contra jus alterius proprium ageremus (§. 224.), in-

Digitized by Google

juriæ nullam fecimus mentionem: ideo hanc propoſitionem hic adjicere viſum eſt, ubi eadem ad alia demonſtranda opus habemus.

§. 556.

Injuria in aucupio facta.

Quoniam aucupium occupationis quædam ſpecies eſt (§. 275.); *ſi quis aves capiat in eo fundo vel diſtrictu, in quo jus aucupii mihi proprium eſt, me non conſentiente, injuriam mihi facit* (§. 555.).

§. 557.

Quando quis piſcando, aves capiendo, venando pœnam mereatur.

Qui piſces, aves vel feras ibi capit, ubi jus piſcandi, aucupii vel venandi mihi fuerit proprium; mihi competit jus eum puniendi. Qui enim piſcatur in ea fluvii parte, in qua piſcandi jus mihi proprium, injuriam mihi facit (§. 226.). Similiter injuriam mihi facit, qui aves capit in eo fundo vel diſtrictu, ub jus aucupii mihi proprium eſt (§. 556.), & qui venatur in eo fundo & diſtrictu, ubi jus venandi mihi proprium eſt (§. 280.). Enimvero natura homini competit jus puniendi eum, qui ipſi injuriam facit (§. 549.). Ergo etiam mihi competit jus te puniendi, ſi piſces, aves vel feras ibi capis, ubi jus piſcandi, aucupandi, venandi mihi proprium eſt.

Atque adeo patet, etiamſi piſces capti (§. 474.), aves ac feræ captæ mihi tradantur (§. 476.), vel ſi jam fuerint conſumtæ, damnum datum jam alio modo fuerit reparatum; remanere tamen adhuc injuriæ vindicationem, qua pœna ſumta conſulitur ſecuritati futuræ. Qui ea probe perſpexit, quæ de Jure puniendi in parte prima demonſtravimus, ei haud obſcurum, multo minus paradoxum videbitur, cur nemo impune debeat violare jus piſcandi, aucupii vel venandi alterius proprium.

§. 558.

Digitized by Google

§. 558.

Immo in genere: *ſi quis res nullius occupat in eo fundo vel diſtrictu, in quo jus occupandi mihi proprium eſt, me non conſentiente; mihi competit jus eum puniendi.* Quoniam enim mihi injuriam facis (§. 555.), natura vero mihi competit jus puniendi eum, qui mihi injuriam facit (§. 549.); mihi quoque ius te puniendi competit, ſi res nullius occupas in eo fundo vel diſtrictu, in quo jus occupandi mihi proprium eſt, me non conſentiente. *Quando in genere occupando.*

Poteramus propoſitionem præcedentem per modum corollarii inferre ex præſenti (§. 275.).

§. 559.

Si jus capiendi certæ ſpeciei aves vel feras tibi fuerit proprium, qui eas te non conſentiente capit, eum puniendi jus habes. Si enim jus capiendi aves certæ ſpeciei tibi ſit proprium, qui te non conſentiente eas capit, tibi injuriam facit (§. 241.). Idem contingit in caſu juris proprii capiendi feras certæ ſpeciei (§. 281.). Sed qui tibi injuriam facit, eum puniendi jus habes (§. 549.). Ergo etiam eum puniendi jus habes, qui te non conſentiente capit aves vel feras certæ ſpeciei, quas capiendi tibi jus proprium eſt. *Alius caſus puniendi aves vel feras capientem.*

Cur hic piſcium nulla fiat mentio, patet ex ſuperioribus (§. 241.).

§. 560.

Immo in genere: *Si jus occupandi res certæ ſpeciei fuerit in dominio meo, & tu me non conſentiente eas occupas; mihi competit jus te puniendi: quod ſi tamen rem caſu occupatam dum rum certæ jure tuo utebaris, mihi tradis, nullum mihi eſt jus te puniendi.* Etenim ſi jus occupandi res certæ ſpeciei fuerit in dominio meo, *Quando occupatio rerum certæ ſpeciei pœnæ obnoxia.*

meo, & tu me non conſentiente eas occupas, injuriam mihi facis (§. 234.). Quoniam itaque natura mihi competit jus puniendi eum, qui mihi injuriam facit (§. 549.); mihi etiam competit jus te puniendi, ſi mihi fuerit in dominio jus res certæ ſpeciei occupandi & tu easdem occupas. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi tu jure tuo occupandi uſus rem ejus ſpeciei caſu occupas, cujus occupandæ jus in dominio meo eſt, & rem occupatam mihi reddis, nullam mihi injuriam facis (§. 235.). Quamobrem ceſſat ratio juris te puniendi mihi competentis *per demonſtrata*, conſequenter nec jus ullum te propterea puniendi (§. 70. *Ontol,*). *Quod erat alterum.*

Pars prima propoſitionis difficultate omni caret: demonſtratio convenit cum ea, quam in caſu particulari dedimus in propoſitione præcedente (§. 559.). Pars altera non minus evidens eſt, modo demonſtrationem rite expendas. Etenim ex demonſtratione prima patet, non aliam juris puniendi rationem eſſe, quam injuriam tibi factam. Naſcitur adeo jus tuum ex maleficio alterius, facto nimirum in te injurioſo. Tale igitur ſi non adfuerit, nec jus ullum naſci poteſt. Nimirum poſita injuria, ponitur jus puniendi: nulla vero injuria poſita, nec jus puniendi poni poteſt.

§. 561.

Jus eripiendi alteri piſces, aves & feras captas quando competat.

Si quis capit piſces, aves, feras, ubi jus piſcandi, aucupii, venandi tibi fuerit proprium, vel piſces, aves, feras ejus ſpeciei, quas capiendi jus proprium tibi eſt; captos piſces, aves & feras captas ipſi etiam vi, ſi renitatur, eripiendi jus tibi eſt. Etenim ſi quis piſcetur in ea fluvii parte, in qua jus piſcandi tibi proprium eſt, piſces capti tui ſunt (§. 225.): immo etiam

tui

tui ſunt, ſi piſces capti fuerint ejus ſpeciei, quos capiendi jus tibi proprium eſt (§. 241.). Similiter tuæ ſunt aves (§. 233.), tuæ etiam ſunt feræ, quas capis illius in eo fundo & diſtrictu, in quo jus capiendi aves vel feras tibi fuerit proprium (§. 280.): ſunt etiam tuæ aves (§. 241.), tuæ ſunt feræ ejus ſpeciei, quas capiendi jus tibi proprium eſt (§. 281.). Enimvero domino competit jus rem ſuam exigendi ab eo, qui eandem in poteſtate ſua habet, &, ſi eam reſtituere non vult, adigendi vi ut hoc faciat (§. 540.). Ergo tibi competit jus piſces captos, aves & feras captas capienti etiam vi, ſi renitatur, eripiendi, ſi piſces capit in ea fluvii parte, in qua jus piſcandi tibi proprium eſt, aut aves, vel feras, in eo fundo & diſtrictu, ubi jus aucupii vel venandi tibi proprium fuerit, vel ſi piſces, aves, feræ ejus fuerint ſpeciei, cujus ſpeciei piſces, aves, feras capiendi jus tibi proprium eſt.

Faciunt hoc vulgo homines, quorum jure violato piſces, aves vel feras ceperunt alii, etiamſi juris naturæ fuerint imperiti. Non tamen ideo ſuperfluum cenſeri debet, quod talia demonſtrentur, quæ homini per ſe, ſeu, ut vulgo loqui amant, natura nota eſſe dicuntur. Etenim cum lex naturæ ſit actionum humanarum norma; ea judex eſſe debet, num quod faciunt homines recte faciant, num quod faciunt ſit tantummodo licitum, an debitum. Niſi ergo demonſtratum fuerit, quid fieri jubeat, quid permittat lex naturæ, ex eo ſolo, quod vulgo hoc faciant homines, conſtare nequit, factum eſſe juri naturæ conforme.

§. 562.

Immo in genere: *Si quis res nullius occupat in eo fundo Jus vi eripi-*
vel diſtrictu, in quo jus occupandi tibi proprium eſt, vel res ejus endi res oc-
(Wolfii Jur. Nat. Pars II.) Hhh *ſpeciei, cupatas, quas*

Digitized by Google

libet quando competat. *ſpeciei, quas occupandi jus tibi proprium; res occupatas ipſi etiam vi, ſi renitatur, eripiendi jus tibi eſt.* Etenim ſi quis rem nullius occupat in eo fundo vel diſtrictu, in quo jus occupandi tibi ſoli competit, res occupata tua eſt (§. 224.): tua etiam eſt, ſi ea fuerit ejus ſpeciei, cujus res occupandi tibi ſoli competit (§. 234.). Unde porro eodem prorſus modo, quo in caſu particulari (§. 561.), oſtenditur, tibi competere jus etiam vi, ſi reſiſtatur, eripiendi res occupatas.

Si accedis, quando res occupantur, ut adeo conſter eas eſſe a te occupatas, non alio modo acquiſitas, nulla opus eſt probatione, quod alter occupaverit, quod tibi debetur. Actus enim occupationis manifeſtus eſt & jus tuum pro te loquitur, quod non minus manifeſtum ſupponitur.

§. 563.

Qualis pœna ereptioni accedere poſſit. *Si quis rem quandam contra jus tibi proprium occupat, tibi, dum eam eripis, occupantem quoque verbis non modo blandis, verum etiam malis, præſertim minacibus, immo etiam colaphis & flagris objurgare licet, prouti futura ſecuritas imperat.* Etenim ſi quis rem quandam contra jus tibi proprium occupat, tibi non modo competit jus rem occupatam eidem eripiendi (§. 562.), verum etiam eundem puniendi (§. 560.), adeoque utroque jure una uti, conſequenter dum rem occupatam eripis, eum qui occupavit una punire potes. Quoniam vero qui alterum punit, non intendit niſi averſionem periculi læſionis futuræ ſibi & aliis ex præterita metuendæ (§. 1074. *part. I. Jur. nat.*) & jus puniendi in ſe infinitum (§. 1063. *part. I. Jur. nat.*) limites ſuos ex circumſtantiis præſentibus ſibi præfixos habet (§. 977. *part. I. Jur. nat.*); num ſecuritati futuræ objurgando verbis blandis, an

an malis & minacibus, immo num colaphis aut flagris conſulatur, ex circumſtantiis præſentibus æſtimandum. Quamobrem ſi quis rem quandam contra jus tibi proprium occupat, dum eam eripis, occupantem quoque verbis non modo blandis, verum etiam malis, præſertim minacibus, immo etiam colaphis & flagris objurgare licet, prouti futura ſecuritas imperat.

Conſtat denuo hoc vulgo ab hominibus fieri: hic vero inquirendum erat, num recte fiat, & quomodo evitandus ſit exceſſus. Ne vero exiſtimes, objurgationem verbis blandis factam non poſſe pœnæ loco haberi; probe conſiderandum eſt, objurgationem ſimpliciter factam eſſe pœnam, quatenus alteri pudor injicitur exprobratione facti ſui & eidem pœnitentia ſuperaccedit, affectus utique moleſti, qui dum torquent animum pro malo phyſico habendi, qualis eſt pœna (§. 1077. *part. I. Theol. nat.*). Quamobrem ubi hi affectus excitantur, etiamſi verbis blandis utaris, & iidem ſufficiunt periculo futuræ læſionis avertendo, in hac pœna utique acquieſcendum (§. 1074. *part. I. Jur. nat.*), præſertim ſi emendatrice opus ſit tantummodo, minime autem exemplari: id quod ſuo loco accuratius diſcutiemus. Quæ enim de pœnarum legitima executione in genere tradenda ſunt commodo loco; in caſu particulari hic doceri ſuperfluum foret.

§. 564.

Etiam in caſu particulari piſcationis, aucupii & venationis.

Quoniam piſatio, aucupium & venatio occupationis ſpecies ſunt (§. 275.); *Dum piſces, aves & feras contra jus tuum proprium captos eripis capienti, eundem quoque verbis non modo blandis, verum etiam malis, præſertim minacibus, immo etiam colaphis & flagris objurgare licet, prouti futura ſecuritas imperat.*

Poterat idem vi principiorum anteriorum (§. 557. 559. 561.).

Digitized by Google

561.) eodem modo demonſtrari, quo in caſu occupationis in genere oſtendimus (§.563.). Dantur etiam adhuc alii puniendi modi, qualis eſt ablatio inſtrumentorum, quibus piſces, aves vel feræ capiuntur. Sed noſtrum jam non eſt in pœnarum genera hic inquirere ob rationem modo datam (*not.* §.563.).

§. 565.

Jus puniendi mala fide ſpecificantem.

Si ex aliena materia ſpeciem mala fide feceris, ſive proprio, ſive alieno nomine, domino materiæ competit jus te puniendi. Si enim ex aliena materia ſpeciem mala fide feceris ſive proprio, ſive alieno nomine, domino materiæ injuriam facis (§.342.345.). Enimvero ſi alicui injuriam facis, ipſi natura competit jus te puniendi (§.549.). Ergo domino materiæ natura competit jus te puniendi, ſi ex ipſius materia ſive proprio, ſive alieno nomine mala fide ſpeciem feceris.

Juris adeo naturalis eſt, ut pœna aliqua decernatur ſpecificanti mala fide: quod vero ſemper perdere debeat ſpeciem & operas, id naturale non eſt, cum eadem pœna in omni caſu jure naturæ locum minime habeat, ut pote ex averſione periculi læſionis futuræ ex præterita ſibi & aliis metuendæ determinanda (§.1074. *part. I. Jur. nat.*). Ceterum ubi quis alieno nomine ex materia aliena mala fide ſpeciem facit, per ſe non patet, jus puniendi domino materiæ competere duplex, nimirum primo puniendi ſpecificantem, deinde etiam puniendi eum, cujus nomine ſpecificatio facta. Ita ſi tu ex argento Mævii fieri curas a fabro poculum, & hic novit, argentum non eſſe tuum; Mævio jus competit & te, & fabrum puniendi. Quoad dominium rei qui ſuo nomine ſpeciem fieri curavit habetur pro ſpecificante, cum ipſe per ſe feciſſe putetur, quod per alium fecit: aſt pœna inter utrumque communicatur, ſi uterque

fuerit

fuerit in mala fide. Quod ſi vero ſpecificans fuerit in bona fide, & non niſi is, qui ſpeciem fieri curavit, in mala fide; ſpecificantis ut in dominio, ita etiam in pœna nulla habetur ratio.

§. 566.

Jus puniendi in adjunctione.

Si rem alienam mala fide tua adjungis, domino illius competit jus te puniendi. Quodſi enim rem alienam tuæ adjungis, domino illius injuriam facis (§. 391.). Patet igitur ut ante (§. 565.), huic competere jus te puniendi.

Relegenda hic ſunt, quæ de mala fide in acceſſione non attendenda juxta Doctores Juris civilis ſupra jam annotavimus (*not.* §. 391.). Ceterum quod de jure puniendi in ſpecificatione & adjunctione demonſtravimus; idem quoque in confuſione, commixtione, ferruminatione, adplumbatura, plantatione, ædificatione, ſatione, ſcriptura & pictura locum habere, ubi mala fides intercedit, haud obſcure intelligitur. Mala fides ſemper operatur injuriam, ex qua jus puniendi naſci demonſtratio præcedens loquitur. Minime igitur opus eſſe exiſtimamus, ut idem in quovis caſu hic in medium allato demonſtremus, quod in caſu ſpecificationis & adjunctionis oſtendimus. Ne quis tamen objiciat omiſſa hic eſſe, quibus tanquam principiis opus habemus in ſequentibus, lubet generale apponere principium, unde per modum corollarii omnes iſti caſus particulares inferuntur nuda ſubſumptione.

§. 567.

Jus puniendi ob violationem dominii generaliter aſſertum.

Qui quomodocunque de re aliena diſponit invito domino, ipſi injuriam facit, eidemque competit jus eum puniendi. Quoniam domini eſt de re ſua diſponere pro arbitrio ſuo (§. 118.), hoc autem jure excludit ceteros omnes, in quorum dominio res non eſt (§. 120.); qui invito domino quomodo-

cunque de re aliena diſponit, contra jus ipſius, quod perfectum eſt (§. 122.), agit (§. 239. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum alteri injuriam faciat, qui contra jus perfectum ipſius quomodocunque agit (§. 859. *part. I. Jur. nat.*); domino injuriam facit, qui ipſo invito quomodocunque de re aliena diſponit. *Quod erat unum.*

Enimvero natura homini competit jus puniendi eum, qui ipſi injuriam facit (§. 549.). Ergo etiam natura domino competit jus puniendi eum, qui de re ipſius ipſo invito quomodocunque diſponit. *Quod erat alterum.*

Videmus adeo, quomodo jus puniendi oriatur ex qualibet dominii violatione, tanquam maleficio, ſeu actu juri alterius contrario.

§. 568.

Jus puniendi in confuſione, commixtione, ferruminatione, adplumbatura, ædificatione, plantatione, ſatione, ſcriptura & pictura.

Si quis mala fide materias liquidas vel liquefactas confundit (§. 392.), *aut ſolida corpora commiſcet* (§. 393.), *vel rem alienam cum ſua ſive per ferruminationem, ſive per adplumbaturam jungit* (§. 395.), *vel in ſolo ſuo ex aliena materia, aut in ſolo alieno ex ſua ædificat* (§. 401.), *vel in ſolo ſuo plantam alienam, aut in alieno ſuam ponit, vel ſementa ſua in agro alieno aut contra ſpargit, vel in charta aliena ſcribit, vel denique in tabula aliena pingit;* evidens omnino eſt, cum in caſu omni de re aliena invito domino pro arbitrio ſuo diſponere, conſequenter *is rei alienæ domino injuriam facit & huic jus ipſum puniendi competit* (§. 567.).

Videmus adeo, caſus particulares nullo negotio ex principio generali inferri: immo iisdem quoque annumerari poſſe ſpecificationem & adjunctionem, de quibus ſigillatim egimus antea (§. 565. 566.).

§. 569.

Digitized by Google

§. 569.

Natura domino competit jus puniendi poſſeſſorem malæ fidei, quod fructus ex re ipſius perceperit. Etenim poſſeſſor malæ fidei injuriam facit domino, cum fructus ex re ipſius percipit (§. 447.). Sed natura homini competit jus puniendi eum, qui ipſi injuriam facit (§. 549.). Ergo natura domino competit jus puniendi poſſeſſorem malæ fidei, quod fructus ex re ipſius perceperit. *Jus puniendi poſſeſſorem m. f. ob fructus perceptos.*

Patet hinc ulterius, quod Imperator, quemadmodum ſupra jam annotavimus (*not.* §. 447.), quoad perceptionem fructuum inter poſſeſſorem bonæ ac malæ fidei recte diſtinguat. Hic enim jure punitur, ille minime: Sed qualis & quanta pœna conveniat, ſuo demum loco diſquirendum.

§. 570.

Si rem contra jus proprium alterius occupatam, in ſpecie piſces, aves vel feras captas, & theſauros inventos ei non reddis, cui jus occupandi proprium eſt, huic natura competit jus te puniendi. Etenim ſi rem contra jus proprium alterius occupatam huic non reddis furtum in ea committis (§. 512.). Ac idem committitur in piſcibus, avibus vel feris captis (§. 513.), ac theſauris inventis in eadem hypotheſi (§. 514.). Quoniam itaque domino, cui res ſua fuit ablata, competit jus puniendi furem (§. 551.); jus quoque te puniendi mihi competit, ſi rem contra jus mihi proprium occupatam, in ſpecie piſces, aves vel feras captas & theſauros inventos, mihi non reddis. *Jus puniendi non reddentem res contra jus proprium occupatas.*

Hæc pœna non confundenda eſt cum altera, quæ vindicando injuriam, non obſtante, quod res contra jus proprium occupatæ fuerint redditæ, exigitur (§. 558. *& ſeqq.*), nec tollit obligationem ad damnum datum reſarciendum,

ſi res

ſi res non amplius extent, quemadmodum deinceps oſtendetur.

§. 571.

Quando punire liceat animalia aliena, res amiſſas, naufragas & ejectas detinentem.

Si animalia manſueta vel manſuefacta aliena in poteſtatem tuam veniſſe celas & percontantibus aliis negas, ne dominus ea recuperare poſſit; ſi rem amiſſam invenis ac a te inventam celas, ne dominus eam recuperare queat, vel, ubi noſti, quinam eam amiſerit, eam non reſtituis; ſi denique res naufragas vel ejectas animo tibi habendi aufers; domino in omni caſu competit jus te puniendi. Etenim in omni caſu furtum committis (§. 515. 516. 518.). Eodem igitur, quo ante (§. 570.), modo colligitur, domino rerum competere jus te puniendi.

Differunt hi caſus a præcedentibus (§. 570.). Etenim in iſtis jam inhæret injuria actui, quo res venit in poteſtatem noſtram; in præſentibus autem actus nihil viti habet: neque enim in ſe vitioſus eſt actus, quo rem amiſſam tollis, vel res naufragas & ejectas ex undis extrahis, vel etiam animalia manſueta & manſuefacta in cuſtodiam tuam deducis. Sed tum demum actus vitioſus evadit, ubi accedit animus rem tibi habendi, nec domino eam reſtituendi. Quamobrem hic ſimplex tantummodo injuria adeſt, cum in caſibus præcedentibus duplex deprehendatur.

§. 572.

Damnum reſarcire quid ſit.

Damnum reſarcire dicitur, qui tantundem reſtituit alteri, quantum valet res, cujus jacturam fecit, ſeu, qui pretium rei reſtituit.

De valore rerum dicemus ſuo loco, quando de dominii translatione acturi ſumus. Ut valor rerum definiri facilius ac certius poſſet, rerumque commutatio nullam pareret difficultatem; pecunia inventa eſt, de qua ſuo loco ex inſti-

tuto

tuto dicemus. Tumque clarius patebit, quomodo damnum datum resarciri queat. Sufficit in præſenti ſtabilire obligationem, qua tenemur ad damnum datum reſarciendum, & eidem reſpondens jus hoc exigendi perpendiſſe.

§. 573.

Cui damnum datum eſt, vel qui damnum paſſus eſt, is minus habet, quam habere debebat. Cui enim damnum datum eſt, vel qui damnum paſſus eſt, is jacturam quandam rei ſuæ ſive corporalis, ſive incorporalis facit (§. 486.), adeoque ea ita ſubducitur poteſtati ipſius, ut eam nunquam recuperare poſſit (§. 487.). Quoniam itaque minus habet, qui re quadam ſive corporali, ſive incorporali caret, quam antea habebat, quod per ſe patet; is omnino minus habet, quam habere debebat, cui damnum datum eſt, vel qui damnum paſſus eſt. *Damni conſequens.*

Equidem nonnullis dubium oriri poterat, quod non ſemper minus habere dici poſſit, quam ante habuerat, qui damnum paſſus eſt, quoniam damnum etiam dari dicitur corpori, pudicitiæ, famæ: quodſi tamen rem curatius conſideres, dubium protinus evaneſcit. Ponamus enim tibi amputari manum, membri alicujus jacturam facis, adeoque minus habes, quam antea. Ponamus infligi corpori vulnus, pars adeo corporis ſanitate caret, adeoque rei cujusdam jacturam feciſti, conſequenter minus habes, quam antea, cum pars illa eſſet ſana. Ponamus damnum inferri famæ, jacturam adeo facis rei incorporalis, integritatis nimirum famæ, conſequenter denuo minus habes, quam antea habebas, quam famæ tuæ detraheretur. Modo itaque perpendas, damnum non conſiſtere in ſola jactura rei cujusdam corporalis, quæ extra te eſt; nihil erit in propoſitione præſenti obſcuri, unde dubium oriri poſſit.

Digitized by Google

§. 574.

Ex aptitudine ſola dominium non naſci. *Id alicui ſuum non eſt, ad quod aptus eſt.* Ad quod enim quis aptus eſt, ad hoc ipſi nonniſi jus imperfectum competit (§. 237. *part. I. Phil. pract. univ.*). Enimvero ad quod aliquis jus tantummodo imperfectum habet, id ipſi ſuum non eſt (§. 132. *part. I. Jur. nat.*). Ergo id alicui ſuum non eſt, ad quod aptus eſt.

Ex ſola adeo aptitudine non naſcitur dominium. E. gr. Qui egenus eſt, is eam habet aptitudinem, quæ requiritur, ut qui opibus abundat ipſi eleemoſynam det (*not* §. 237. *part. I. Phil. pract. univ.*). Sed jus ad eleemoſynam, quam a Titio petit, imperfectum eſt, nec dici poteſt egenum in ea dominium habere, & eam eſſe rem ipſius.

§. 575.

An damnum patiamur læſo jure imperfecto. *Qui non nanciſcitur, ad quod aptus eſt,* conſequenter *jus tantummodo imperfectum habet; is damnum non patitur.* Etenim id alicui ſuum non eſt, ad quod aptus eſt (§. 574.), conſequenter ad quod jus tantummodo imperfectum habet (§. 237. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi id non nanciſcitur, non ſui jacturam facit (§. 487.). Quoniam itaque damnum non conſiſtit niſi in jactura ſui (§. 486.); qui id non nanciſcitur, ad quod aptus eſt, conſequenter ad quod jus tantummodo imperfectum habet, is damnum non patitur.

Ita qui cum egenus ſit a Titio eleemoſynam, quam jure petit, non accipit, nullum patitur damnum. Cum enim eleemoſyna, quam petit, non ſit res ſua, nec jacturam ſui facit, ſi eam non nanſciſcitur. Ad hoc enim, ut quis jacturam ſui faciat, requiritur, ut quod ſuum erat poteſtati ejus ſubductum recuperatu impoſſibile (§. 487.).

§. 576.

Digitized by Google

§. 576.

An denegando id, ad quod quis aptus eſt, detur damnum?

Qui tibi denegat, ad quod aptus es, conſequenter jus imperfectum habes; is tibi damnum non dat. Quoniam enim damnum non pateris, ſi non nanciſcaris id, ad quod aptus es, conſequenter jus tantummodo imperfectum habes (§. 575.); ſi quis tibi denegat, ad quod aptus es, conſequenter jus tantummodo imperfectum habes, is in cauſa non eſt, ut damnum patiaris, adeoque jacturam tui facias (§. 486.). Enimvero qui facto quodam, vel non facto ſuo in cauſa non eſt, ut jacturam tui facias, is damnum tibi non dat (§. 488.). Ergo nec tibi damnum dat, qui tibi denegat ad quod aptus non es, conſequenter ad quod jus nonniſi imperfectum habes.

Quamobrem ſi Titius dives denegat egeno petenti eleemoſynam, hic conqueri nequit de damno ſibi a Titio dato. Hinc & *Ariſtoteles* Nicomach. lib. 5. c. 4. negat contra proprie dictam juſtitiam quicquam committere eum, qui pecunia ſua alteri non ſuccurrit præ tenacitate. Quæ hic demonſtrantur de damno a jure imperfecto removendo, probe tenenda ſunt, ubi de damno dato reſarciendo agitur, ne hanc obligationem latius extendas, quam par eſt. Etſi autem contra juſtitiam proprie ſic dictam nihil committat, qui tibi denegat, ad quod aptus es, neque propterea tibi de damno dato juſta querendi cauſa ſit; non tamen ideo facit, quod legi naturali conveniebat, adeoque peccat.

§. 577.

Effectus damni reſarciti.

Si damnum datum reſarcitur, non amplius minus habes, quam habere debebas. Si tibi damnum datur, minus habes, quam habere debebas (§. 573.). Enimvero ſi damnum datum reſarcitur, tantundem tibi reſtituitur, quantum valet res, cujus jacturam feciſti (§. 572.), conſequenter

quam

quam recuperare nequis (§. 487.). Quamobrem perinde eſt, ac ſi rem datam recuperaſſes. Damno igitur reſarcito tantundem habes, quantum ante habebas, quam damnum dabatur, adeoque non amplius minus habes, quam habere debebas.

E. gr. Ponamus tibi damnum datum eſſe, quod valet 100. aureorum. Centum igitur aureos non habes, quos habere debebas. Quodſi adeo damnum datum reſarciatur, tibi reſtituuntur centum aurei, atque tum non amplius minus, ſed tantundem habes, quam habere debebas. Nimirum damnum reſarciendo patrimonium tuum in eum reſtituitur ſtatum, qualis futurus erat, ſi damnum nullum tibi datum fuiſſet. Etſi enim non amplius res iſtæ ſint in patrimonio tuo, quas antea habebas, veluti vaſa argentea; non tamen propterea id deminutum eſt, cum vaſa iſta per hypotheſin valeant 100. aureos.

§. 578.

Idem ulterius expenditur. Quoniam damno tibi dato minus habebas, quam habere debebas (§. 573.), eodem autem reſarcito, non amplius minus habes (§. 577.); *ſi damnum datum reſarcitur, perinde eſt ac ſi nullum datum fuiſſet.*

Factum infectum fieri nequit, conſequenter ſi damnum datum fuerit, impoſſibile eſt ut datum non ſit. Enimvero ſi damnum reſarcitur, factum quaſi infectum redditur, dum is reſtituitur bonorum tuorum ſtatus, qui fuerat, antequam damnum daretur.

§. 579.

Obligatio non diminuendi, quod alter habet. *Nemo efficere debet dolo, vel culpa ſua, ut alter minus habeat, quam habere debet.* Etenim nemo alteri damnum dare debet (§. 495.). Et damnum etiam culpoſum lege naturali

turali prohibitum (§. 496.). Quoniam igitur is minus habet, quam habere debebat, cui damnum datur (§. 573.), conſequenter is efficit, ut alter minus habeat, quam habere debebat, ſi eidem damnum dederit; nemo omnino efficere debet ſive dolo, ſive culpa ſua, ut alter minus habeat, quam habere debebat.

Nemo alteri invito dominium rei ſuæ auferre poteſt (§. 338.), adeoque dominium in ſe inviolabile jus eſt. Cum hac inviolabilitate utique pugnat permiſſio efficiendi, ut alter minus habeat, quam habere debebat: neque enim minus habere intelligitur, quam quatenus non amplius in dominio ipſius eſt, quod in eodem erat ac eſſe debebat.

§. 580.

Damnum omne dolo vel culpa datum eſt reſarciendum, ſeu, *ſi tu alteri ſive dolo, ſive culpa tua damnum dediſti, id eidem reſarcire teneris.* Pone enim, ſi fieri poteſt, damnum datum dolo, vel culpa datum non eſſe reſarciendum. Quoniam is minus habet, quam habere debebat, cui damnum datur (§. 573.); dolo vel culpa tua efficere licet, ut alter minus habeat, quam habere debebat, conſequenter ad hoc non efficiendum, minime obligaris (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*): Quod cum ſit abſurdum (§. 579.), damnum datum ſive dolo, ſive culpa reſarciendum.

Obligatio reſarciendi damnum datum.

Oſtenditur etiam hoc modo. Nemo alteri damnum dare debet (§. 495.), adeoque ſi dolo, vel culpa ſua damnum dedit, alterum, cui dedit, in priſtinum ſtatum reſtituere tenetur, ut perinde ſit, ac ſi damnum nullum datum fuiſſet. Enimvero perinde eſt ac ſi damnum nullum datum fuiſſet, ubi damnum datum reſarcitur (§. 578.). Quamobrem qui damnum dedit ſive dolo, ſive culpa ſua, id reſarcire tenetur.

Digitized by Google

Obligatio damni non dandi nulla foret, niſi eidem adhæreret obligatio reſarciendi damnum datum, quemadmodum obligatio alteri invito rem ſuam auferendi nulla foret, niſi eidem quoque cohæreret obligatio rem ablatam reſtituendi. Reſtitutioni locus eſt, ubi res extat: ubi vero non extat, quod reſtitui poſſit, in ejus locum ſuccedit reparatio damni. Qui adeo admittit reſtitutionem rei adhuc extantis, is ſine omni ratione in dubium revocat damni dati reparationem. Ceterum Jus naturæ quemadmodum reſtitutionem rei alienæ omnem ſine ulla exceptione urget, ita etiam damnum omne reſarciri jubet, qualecunque & quantumcunque fuerit, ſive dolo, ſive culpa quacunque datum. Jus naturæ non attendit differentiam inter magnum & parvum, cum res minima non minus tua ſit, quam magna, & jactura rei minimæ non minus damnum ſit, quam jactura magnæ, nec propter parvitatem mutet genus. Tuetur adeo rigorem ſummum tam in rebus reſtituendis, quam in damnis reſarciendis.

§. 581.

Damnum reſarcire pertinet ad retributionem ſui.

Quoniam ſuum alteri tribuit, qui eidem præſtat, ad quod præſtandum ipſi obligatur (§. 923. *part. I. Jur. nat.*), qui vero alteri damnum datum reſarcit, alteri præſtat, ad quod præſtandum ipſi obligatur (§. 580.); *Qui damnum datum reſarcit, alteri ſuum tribuit.*

Abſit, ut hinc inferas damnum datum eſſe reſarciendum, quod ſuum cuique tribuendum: committeres enim circulum in demonſtrando, quemadmodum demonſtratio corollarii præſentis loquitur.

§. 582.

Quinam locupletior factus.

Locupletior factus dicitur; qui plus habet, quam antea habebat. *Quando* igitur *bonis tuis res quadam corporalis,*

lis, vel incorporalis ſuperaccedit, illis non deminutis, locupletior ſis.

E. gr. Ponamus, omnia bona tua valere centum aureos: quodſi iis ſuperaccedat vel obulus, quem antea non habebas, ut bonorum univerſitas obulo aucta dici poſſit, in tantum ſis locupletior. Hinc idiomate vernaculo dicere ſolemus: ich bin um einen Heller reicher worden. Nimirum quod plus jam habes, quam antea habebas, valet obulum unum. Quando quis locupletior fieri dicitur, minime attenditur, quantum antea habuerit, nec quantum ſit illud, quod plus habet: ſufficit enim, quod plus habeat, quam ante. Quodſi rem quandam, quæ erat in bonis tuis, cum alia, quæ tantundem valet, permutes; facta permutatione non plus habes, quam antea habebas, nec hac permutatione locupletior factus.

§. 583.

Hinc etiam intelligitur, quandonam quis *locupletior* *Re alterius*
fiat re alterius, nimirum quando res, quæ bonis ipſius ſu- *quando quis*
peraccedit, alterius eſt, ſive quando quod plus habet eſt *locupletior*
res quædam alterius, ſive corporalis, ſive incorporalis. *fiat.*

E. gr. Qui rem amiſſam, quam invenit, non reſtituit, re alterius locupletior fit: quod enim jam plus habet, quam antea habebat, res alterius eſt. Similiter fur locupletior fit re furtiva, hoc eſt, re, quam alteri inſcio ac invito abſtulit.

§. 584.

Apparet etiam, quandonam quis *locupletior fiat ex re* *Quando-*
alterius, nimirum quando id, quod plus habet, ex re al- *nam ex re*
terius venit, vel ejus loco ſuccedit. *alterius.*

E. gr. Ponamus te rem quam tibi commodavi, pro certa mercede commodare alteri; merces, quæ te locupletiorem reddit, ex re mea provenit: locupletior itaque ſis ex re mea.

§. 585.

§. 585.

An cum alterius damno locupletiorem fieri liceat.

Nemo locupletior fieri debet cum damno alterius. Quando enim locupletior fis, plus habes, quam antea habebas (§. 582.). Et quoniam damnum in jactura ſui conſiſtit (§. 486.), quando locupletior fis alterius cum damno, alter jacturam ejus facit, quod tu plus habes, conſequenter tu in cauſa es, ſeu dolo vel culpa tua efficis, ut alter minus habeat, quam habere debebat. Enimvero nemo efficere debet dolo vel culpa ſua, ut alter minus habeat, quam habere debebat (§. 579.). Ergo etiam nemo locupletior fieri debet cum damno alterius.

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui locupletior fit alterius damno, cum damnum in jactura ſui conſiſtat (§. 486.), in cauſa utique eſt, ut alter jacturam ſui faciat, conſequenter alteri damnum dat (§. 488.). Sed nemo alteri damnum dare debet (§. 495.) Ergo etiam nemo locupletior fieri debet cum damno alterius.

Videmus adeo regulam juris notiſſimam l. 206. ff. de R. J. eſſe ipſam naturæ legem, unde multa definiunt JCti Romani, immo etiam Doctores, illius interpretes, obſervante *Grotio* lib. 2. c. 10. §. 2.

§. 586.

Obligatio reddendi, quod quis ex alieno lucratus.

Si ex re mea non amplius extante factus es locupletior, tantum mihi reſtituere teneris, in quantum locupletior factus es. Quodſi enim ex re mea locupletior factus, quod plus habes, quam habere debebas, ex re mea venit. Quoniam vero res mea, quæ mihi reſtituenda erat (§. 467.), non amplius extat; ſi nihil mihi reſtituitur, ego jacturam rei meæ facio (§. 487.), adeoque tu fis locupletior cum meo damno.

damno. Enimvero nemo locupletior fieri debet cum damno alterius (§. 585.). Damnum igitur ut reſarciatur, tantundem mihi reſtituere teneris, in quantum locupletior factus es (§. 572.).

Si tu ex re mea factus es locupletior, plus habes, quam habere debes (§. 582.), ego vero, qui rem meam non teneo, minus habeo. Perinde igitur eſt, ac ſi meum apud te eſſet, mihi utique reddendum (§. 467.).

§. 587.

Quando ad nullam reſtitutionem teneatur poſſeſſor b. f.

Si res caſu perierit, bonæ fidei poſſeſſor non tenetur ad ullam reſtitutionem. Etenim ſi res periit, poſſeſſor eam non amplius habet, quod per ſe patet, conſequenter impoſſibile eſt, ut ea reſtituatur, adeoque ad reſtitutionem rei ipſius teneri nequit (§. 209. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam poſſeſſor bonæ fidei ignorat, rem eſſe alienam, ſed potius putat eam eſſe ſuam (§. 153.), nec ipſi imputari poteſt, quod eam non reſtituerit (§. 550. *part. I. Phil. pract. univ.*), quemadmodum, ſi noviſſet, cujusnam ea ſit, facere debuiſſet (§. 467.), conſequenter quod caſu apud ipſum perierit, alias non peritura apud dominum (§. 638. *part. I. Phil. pract. univ.*). Non igitur in cauſa es, cur alter jacturam fecerit rei ſuæ (§. 487.), conſequenter nec damnum ipſi dediſti (§. 488.), adeoque nec ad damnum reſarciendum teneris (§. 580.). Et quia res periit, per ſe patet, quod nihil ex re iſta ad te venerit, conſequenter nec ex re aliena locupletior factus fueris (§. 586.). Quamobrem nec hoc nomine quicquam tibi reſtituendum venit (§. 586.). Jam vero ſi quid alteri reſtituendum, aut reſtituenda eſt res, aut tantum, quantum ea valebat, quod fit quando damnum reſarcitur (§. 572.), aut denique tantum, quantum ex re fa-

factus es locupletior. Nihil itaque horum cum obtineat in hypotheſi propoſitionis præſentis, *per demonſtrata*; ſi res caſu perierit, poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ad ullam reſtitutionem.

Nimirum nihil apud ipſum eſt, quod reſtituere poſſet, nec res nec lucrum ex re, neque etiam ex non facto, omiſſa nempe reſtitutione tenetur, quia obligatio de re aliena reſtituenda non ante vim ſuam exerit, quam ubi noſti rem non eſſe tuam & cujusnam ea ſit (§. 467.).

§. 588.

Quando ad nullam reſtitutionem teneatur inventor rei amiſſæ.

Si res amiſſa, quam inveniſti, caſu apud te perierit, antequam explorare potueris, quinam ſit dominus, non teneris ad reſtitutionem ullam. Rem, quæ periit, reſtitui non poſſe, nec ad eam reſtituendam inventorem obligari patet ut ante. Sive autem ignores, rem eſſe alienam, ſive ſaltem neſcias, quinam ſit dominus, reſtitutionem a te non factam tibi imputari non poſſe denuo patet ut ante. Unde etiam eodem prorſus modo, quo ante, porro colligitur, tibi imputari non poſſe, quod res perierit reſtitutione facta non peritura, conſequenter te nullum alteri dediſſe damnum, quod rem ipſius in poteſtate tua habueris. Eodem igitur prorſus modo, quemadmodum ante (§. 587.), oſtenditur, te non teneri ad ullam reſtitutionem, ſi res amiſſa, quam inveniſti, caſu apud te perierit, antequam de domino conſtare potuerit.

§. 589.

Alius caſus.

Quoniam eadem demonſtratio adhuc ſubſiſtit, *quando res caſu perit, antequam eam domino, qui amiſit, reſtituere poſſis, etiamſi conſtet, quinam ſit, adhuc non teneris ad ullam reſtitutionem.*

Nemo

Nemo non videt, ſupponi a nobis, quod reſtitutio non tua culpa differatur, conſequenter nec mora tibi imputari poſſit.

§. 590.

Quando reſtitutio quoad res naufragas & ejectas nulla.

Si res naufragæ vel in mare navis levandæ cauſa ejectæ caſu perierint, quas vel in ipſo mari, vel in littore nactus es, antequam de domino tibi conſtare, aut domino a te reſtitui potuerint; non teneris ad ullam reſtitutionem. Idem denuo oſtenditur applicata demonſtratione ſuperiori (§. 587.) de poſſeſſore bonæ fidei data ad res naufragas vel ejectas, quemadmodum ad amiſſas (§. 588. 589.).

Qui res amiſſas, naufragas vel ejectas detinent animo eas domino reſtituendi, quamprimum de eo certo conſtiterit ac reſtituendi occaſio commoda adfuerit, referri nequeunt inter poſſeſſores, niſi ſignificatui vocabuli vim inferre velis (§. 150.). Quamobrem hi caſus non poterant ſub eo comprehendi, quod de poſſeſſore bonæ fidei demonſtravimus (§. 587.).

§. 591.

Quando malæ fidei poſſeſſor caſum præſtare teneatur.

Si res caſu periit, apud dominum eodem caſu non peritura; malæ fidei poſſeſſor damnum reſarcire tenetur. Etenim poſſeſſor malæ fidei novit rem, quam poſſidet eſſe alienam (§. 153.), neque adeo ignorare ſupponitur, quinam ſit dominus. Quando itaque rem, quam domino reſtituere debet (§. 467.), non reſtituit; non factum ſuum ipſi imputatur (§. 163.), conſequenter pro cauſa libera habetur ejus, quod mali domino ex hoc non facto conſequitur (§. 527. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quod ſi ergo res caſu periit, eodem caſu apud dominum non peritura, malæ fidei poſſeſſor in cauſa eſt, quod res perierit, conſequenter domi-

nus ejus jacturam fecerit (§. 487.). Quoniam itaque damnum dat domino (§. 488.), damnum autem datum reſarciendum (§. 580.); ſi res caſu periit, apud dominum eodem caſu non peritura, malæ fidei poſſeſſor damnum reſarcire tenetur.

Apparet hinc, quomodo malæ fide poſſeſſor ex facto ſuo ultra rei rationem teneatur, quemadmodum *Grotius* ait lib. 2. c. 10. §. 91. ſepoſita pœna ob rem male poſſeſſam, ad quam verba *Grotii* trahit *Gronovius* in Notis. Pœna enim ab injuria deſcendit, quæ poſſeſſioni mala fide factæ adhæret (§. 567. 153.): reparatio autem damni ab imputatione non factæ reſtitutionis eſt, qua effectus caſualis, rei nempe interitus, averti poterat (§. 639. *part. I. Phil. pract. univ.*).

§. 592.

Quando non tenеatur. *Si res caſu periit, apud dominum eodem caſu peritura, malæ fidei poſſeſſor non tenetur ad ullam reſtitutionem.* Etenim ſi eodem caſu res periiſſet apud dominum, quo apud malæ fidei poſſeſſorem periit; perinde eſt ac ſi dominus eam habuiſſet, conſequenter propterea, quod poſſeſſor malæ fidei rem domino non reſtituerit, effectus caſualis eidem imputari nequit (§. 639. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem nec haberi poteſt pro cauſa libera jacturæ rei, quam fecit dominus (§. 527. *part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque ad damnum datum nullo modo concurrit (§. 488.). Cum igitur damnum reſarcire non teneatur (§. 580.), nec res, quæ periit, reſtitui poſſit, non tenetur ad ullam reſtitutionem.

Caſus hic rariſſimus eſt. Et quamvis nihil adſit, quod reſtitui debeat, non tamen ceſſat pœna ob poſſeſſionem mala fide continuatam, donec caſus contigerit.

§. 593.

Quando poſ- *Si res culpa poſſeſſoris bonæ fidei periit, hoc tamen non obſtante damnum*

damnum reſarcire non tenetur. Poſſeſſor enim bonæ fidei putat rem eſſe ſuam (§. 153.), conſequenter ſi res perit, eam ſibi perire exiſtimat (§. 356.), nec ſe teneri ad rationem alteri reddendam, quomodo re ſua uſus fuerit (§. 169.). Ignoravit igitur, re pereunte alteri damnum inferri (§. 486. 487.), ac ſe de eodem reſarciendo teneri (§. 580.). Patet etiam ignorantiam ipſius eſſe invincibilem (§. 28. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ignorantia invincibilis imputari nequeat (§. 550. *part. I. Phil. pract. univ.*); nec imputari ipſi poteſt, quod in avertendo damno ab alio culpam evitare non ſtuderit, adeoque nec in cauſa fuiſſe dici poteſt, cur alter jacturam rei ſuæ fecerit (§. 527. *part. I. Phil. pract. univ.* §. 486. *part. 2. Jur. nat.*). Damnum adeo domino culpa ſua dediſſe non cenſetur (§. 488.), conſequenter nec idem reſarcire tenetur (§. 580.).

ſeſſor b. f. culpam præſtare non teneatur.

Equidem qui culpa ſua damnum dat alteri, damnum dare non intendit (§. 717. 616. *part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque perinde videtur, ſive quis norit rem eſſe alienam, ſive putet eam eſſe ſuam; fallitur tamen, qui nullam hinc quoad damnum alterius differentiam adeſſe ſibi perſuadet. Etenim qui novit rem eſſe alienam, illi etiam perſpectum eſt, re culpa ſua pereunte damnum alteri dari. De eo autem cogitare nequit, qui rem ſuam eſſe exiſtimat. Quamobrem cum de culpa vitanda non cogitat, ne alteri damnum detur, qui dari novit aut noſſe poteſt ac debet, is damnum alterius indirecte vult (§. 621. 623. *part. I. Phil. pract. univ.*): id quod dici nequit de poſſeſſore bonæ fidei. Rigorem juris naturalis ultra ſortem humanam extenderet, qui in caſu propoſitionis præſentis damnum reſarciendum urgeret. Non male Interpretes Juris Romani poſſeſſorem bonæ fidei inſtar domini eſſe dicunt, de quo adeo ratiocinandum ſit eodem, quo de domino, modo, niſi quatenus vel re, vel

Digitized by Google

ex re alterius locupletior factus, & plus habet, quam habere debet, alteri reſtituendum. Ex facto nimirum ſuo non tenetur ulli, cum alias non eſſet inſtar domini; ſed tantummodo ex re, quatenus ſcilicet habet, quod eſt alterius. Lubet itaque apponere principium generale.

§. 594.

Poſſeſſorem bonæ fidei non teneri ex facto.

Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur domino ex facto & non facto ullo, hoc eſt, *propterea non obligatur ad aliquid dandum vel faciendum domino, quia hoc fecit, vel non fecit.* Quicquid enim facit poſſeſſor bonæ fidei, dum de re aliena diſponit, id ipſi imputari nequit (§. 163.). Cumque ſub facto etiam comprehendatur non factum, ſeu ſub actione poſitiva etiam negativa, niſi expreſſe contrarium moneatur, vel aperta appareat repugnantia; facile intelligitur, poſſeſſori malæ fidei etiam non factum imputari non poſſe, ſcilicet quod hoc facere omiſerit (§. 24. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem nec haberi poteſt pro cauſa libera mali, quod inde domino reſultat (§. 527. *part. I. Phil. pract. univ.*). Nulla igitur ratio eſt, cur propterea quod hoc fecit, vel non fecit, domino aliquid dare vel facere debeat. Atque adeo patet, poſſeſſorem bonæ fidei non teneri domino ex facto & non facto ullo (§. 70. *Ontol.*).

Hinc inferri poterat, quod in propoſitione præcedente demonſtratum (§. 593.), ſi res culpa bonæ fidei poſſeſſoris periit, non teneri eum ad damnum datum reſarciendum: teneretur enim ex facto, vel non facto ſuo, cum nec res alterius penes eum ſit, nec aliud quid ejus loco ſucceſſerit.

§. 595.

Teneri tamen malæ fi-

Poſſeſſor malæ fidei tenetur domino ex facto quocunque & non facto, hoc eſt, *propterea obligatur ad aliquid dandum vel facien-*

faciendum, quia hoc fecit vel non fecit. Quicquid enim agit malæ fidei poſſeſſor, dum de re aliena diſponit, id ipſi imputatur (§. 163.). Et eodem modo intelligitur, imputari etiam non factum, ſeu quod hoc facere omiſerit (§. 24. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem recte habetur pro cauſa libera mali, quod inde domino reſultat (§. 527. *part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter domino ad dandum vel faciendum id obligatur, ad quod eum obligari ex facto vel non facto oſtendi poteſt. Poſſeſſor itaque malæ fidei tenetur domino ex facto quocunque & non facto.

dei poſſeſſorem.

Quando in genere demonſtratur, malæ fidei poſſeſſorem ex facto & non facto ſuo teneri domino, dici nequit, ad quid dandum vel faciendum teneatur. Quoniam enim ex omni facto vel non facto non tenetur ad idem, ad quid teneatur, in caſu demum ſpeciali oſtendi poteſt, veluti ad reparationem damni, ubi culpa ipſius interiit, quemadmodum paulo ante oſtendimus.

§. 596.

Poſſeſſor tam bonæ, quam malæ fidei tenetur domino ad ratam fructuum induſtralium extantium reſtituendam. Fructus enim induſtriales communes ſunt pro rata rei domino, ex qua proveniunt, & ei, cujus culturæ ac curæ debentur (§. 442.), ſive quis fundum alterius bona, ſive mala fide poſſideat (§. 443.). Ratam igitur domino rei competentem ſi detinet poſſeſſor, rem alienam poſſidet (§. 150.). Enimvero poſſeſſor rei alienæ domino rem ſuam reſtituere debet (§. 471.). Ergo poſſeſſor tam bonæ, quam malæ fidei tenetur domino ad ratam fructuum induſtrialium extantium reſtituendam.

Fructus induſtriales extantes quatenus a poſſeſſor reſtituendi.

Ne quid dubii ſuboriatur illis, qui in Jure Romano verſati

ſati ſunt, repetenda hic ſunt, quæ ſupra annotavimus (*not.* 443. 447.).

§. 597.

Quatenus fructus conſumti reſtituendi a poſſeſſore bonæ fidei.

Poſſeſſor bonæ fidei in tantundem tenetur, in quantum ex fructibus naturalibus conſumtis & conſumta rata induſtrialium domino debita locupletior. Etenim cum fructus conſumti non amplius extent (§. 434.), nec naturales, nec rata induſtrialium domino debita reſtitui poſſunt, quemadmodum fieri debeat, ſi extarent (§. 485. 596.). Quoniam vero poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ex facto ſuo, quo de fructibus perceptis diſpoſuit (§. 594.), nec ex eo tenetur, quod alieno vixerit, vel liberalius vixerit, quam ſi rem alienam non poſſediſſet. Cum tamen quilibet tantum reſtituere teneatur, in quantum ex re alterius locupletior factus eſt (§. 586.); poſſeſſor quoque bonæ fidei in tantundem tenetur, in quantum ex fructibus naturalibus conſumtis & conſumta rata induſtrialium domino debita locupletior eſt.

Qui ex conſumtione fructuum naturalium & ratæ induſtrialium locupletior factus, ut domino reſtituat quod loco rei ipſius penes ſeſe eſt, æquitati conveniens nemo non agnoſcere tenetur, niſi negare velit ex re aliena locupletiorem factum in tantum teneri, in quantum locupletior factus, quod maxime abſurdum (§. 586.). Neque tamen hoc conceſſo abſurdum videri debet, quod qui fructus inutiliter conſumſit, ut ex iis locupletior factus non ſit, nihil reſtituere teneatur, adeoque fructus lucretur. Durum enim merito videretur, ſi poſſeſſor bonæ fidei teneretur ex facto, quo de fructibus, quos ſuos eſſe putavit, ignorantia condonanda diſpoſuit, cum alias, ſi noviſſet, rem non eſſe ſuam, ſed cum fructibus a ſe reſtituendam, vel arctius contentiusque vixiſſet, vel de modo alio victum & amictum acquirendi ſollicitus fuiſſet.

§. 598.

§. 598.

Si poſſeſſor bona fidei tantundem habet in bonis, quantum valent fructus naturales conſumti & rata fructuum induſtrialium ſta porro domino debita; tantundem quoque reſtituere tenetur: ſin minus in bonis habuerit, minus; ſin nihil, nihil quoque reſtituere tenetur. Quoniam cum damno alterius locupletaretur, qui alieno viveret, vt ſuum ſervaret (§. 486. 582.), nemo autem alterius cum damno locupletari debet (§. 585.); nemo quoque alieno vixiſſe dicendus eſt, qui proprio vivere potuit. Quamobrem ſi bonæ fidei poſſeſſor tantundem habet in bonis, quantum valent fructus naturales & rata induſtrialium domino debita, id loco fructuum ſucceſſiſſe adeoque ex fructibus locupletiorem factum fuiſſe poſſeſſorem dicendum eſt. Similiter dicendum eſt, poſſeſſorem rei alienæ, qui minus habet in bonis, quam valent fructus naturales conſumti & rata induſtrialium conſumtorum domino debita, in tantum factum fuiſſe locupletiorem ex conſumtione fructuum, quantum in bonis habet. Quodſi vero in bonis nihil habet, nec locupletior factus eſt ex fructuum alienorum conſumtione. Enimvero poſſeſſor bonæ fidei in tantundem tenetur, in quantum ex fructibus naturalibus conſumtis & conſumtione ratæ induſtrialium domino debitæ locupletior factus eſt (§. 597.). Ergo ſi poſſeſſor bonæ fidei tantundem habet in bonis, quantum valent fructus naturales conſumti & rata fructuum induſtrialium domino debita, tantundem quoque reſtituere tenetur: ſin minus in bonis habuerit, minus; ſi denique nihil, nihil quoque reſtituere tenetur.

Reſtitutio impenditur.

Hæc admodum evidenter colliguntur ex principiis, ipſis non modo JCtis Romanis, verum etiam Juris Romani interpre-

terpretibus admodum familiaribus. Civile adeo, non naturale eſt, quod Imperator §. 35. I. de rer. div. poſſeſſorem bonæ fidei ab omni onere reſtituendi fructus conſumtos liberet, nec dominum, ſi fundum vindicet, de fructibus conſumtis agere poſſe pronunciet, etſi dicat, naturali ratione placuiſſe, ut fructus, quos bonæ fidei poſſeſſor percepit, ſint ejus pro cultura & cura. Quæ a nobis ſtabilita fuit ſententia, conſentanea quoque eſt principio pervulgato, quod bona fides veritati æquiparetur & tantum poſſidenti præſtet, quantum veritas l. 136. ff. de R. J. Ceterum in eandem quoque ſententiam iviſſe Doctores nonnullos, videre eſt apud *Manzium* ad Inſt. de rerum div. §. 36. n. 38. nec adeo procul ab eo abeſt *Grotius* lib. 2. c. 10. §. 5. dum poſſeſſorem bonæ fidei ait teneri ad reſtitutionem & rei, & fructuum conſumtorum, ſi modo alias quoque tantundem conſumturus fuerat.

§. 599.

Quatenus poſſeſſor b. f. fructus conſumtos reſtituere teneatur.

Poſſeſſor malæ fidei ſimpliciter tenetur ad æſtimationem fructuum naturalium conſumtorum & ratæ induſtrialium domino debita conſumta reſtituendam. Tenetur enim ex quolibet facto ſuo (§. 595.), adeoque etiam ex conſumtione fructuum domino debitorum. Enimvero cum fructus conſumti non amplius extent, ut dominus eos recuperare poſſit (§. 434.), poſſeſſor malæ fidei, dum fructus domino debitos, hoc eſt, naturales (§. 445.), & ratam induſtrialium (§. 443.), conſumit, in cauſa eſt, ut jacturam ſui faciat (§. 487.), adeoque damnum eidem dat (§. 488.), & quidem, cum norit fructus eſſe alienos (§. 153.), dolo (§. 705. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum damnum datum ſit reſarciendum, quando dolo datur (§. 580.); poſſeſſor quoque malæ fidei damnum conſumtione fructuum naturalium & ratæ induſtrialium domino debitæ datum reſarcire

cire debet. Tantundem igitur eidem reſtituere tenetur, quantum valent fructus naturales & rata artificialium domino debita (§. 572.), ſeu, quod perinde eſt, ad horum æſtimationem reſtituendam tenetur.

Non eſt quod excipias, ſi tantundem non habuerit in bonis eum nec tantundem reſtituere poſſe, quantum valent fructus conſumti domino debiti, conſequenter ſi nihil habuerit eum quoque nihil reſtituere poſſe, adeoque nullam eſſe inter poſſeſſorem bonæ fidei & poſſeſſorem malæ fidei quoad reſtitutionem fructuum conſumtorum differentiam (§. 598.). Etenim hic quæritur, quid poſſeſſor rei alienæ ob fructus domino debitos conſumtos debeat, minime vero quid reſtituere poſſit. Etſi enim debitor non ſit ſolvendo, manet tamen debitor, nec qui reſtituere nequit, quod debet, ab obligatione reſtituendi liberatur. Cumque pœnam mereatur poſſeſſor malæ fidei ob fructus perceptos (§. 569.), tanto majore pœna dignus, quod fructus domino debitos conſumſerit, probe gnarus ſe æſtimationem reſtituere non poſſe. Immo æſtimationem adhuc reſtituere tenetur, ſi poſtea ad meliorem fortunam pervenerit. Magna itaque differentia eſt quoad reſtitutionem fructuum conſumtorum inter poſſeſſorem malæ fidei ac poſſeſſorem bonæ fidei. Supra vero jam annotavimus (*not.* §. 443.), pœnale eſſe, quod Imperator jubeat poſſeſſorem malæ fidei reſtituere fructus induſtriales conſumtos omnes.

§. 600.

Num poſſeſſor b. f. tenatur ad reſtitutionem fructuum percipiendorum.

Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ad fructus percipiendos reſtituendum. Etenim bonæ fidei poſſeſſor non tenetur ex non facto ullo (§. 594.), adeoque nec ex neglectu fructuum, quos percipere poterat. Quoniam igitur fructus percipiendi ſunt illi, quos, cum percipere potuiſſet, percipere neglexit (§. 433.); bonæ fidei poſſeſſor non tenetur ad fructus percipiendos reſtituendum.

Conſentit *Grotius* lib. 2. c. 10. ſed ob hanc rationem, quod nec rem habeat, nec quicquam quod rei loco ſuccedit. Enimvero per hanc rationem tantummodo apparet, quod nihil habeat, quod reſtituere poſſit, conſequenter quod reſtitutio ſit phyſice impoſſibilis: hic vero quæſtio de eo eſt, num poſſeſſor bonæ fidei præſtare debeat culpam omiſſionis domino damnoſam, qui carere debet, quod lucrari poterat, ſi ipſe rem ſuam poſſediſſet, & curatius adminiſtraſſet, ceu decet prudentem ac diligentem patremfamilias. Quid quod eadem ratio, quam affert *Grotius*, adhuc ſubſiſtat in poſſeſſore malæ fidei, de quo tamen dici nequit, quod non teneatur ad fructus, quos percipere neglexit. Ceterum ex demonſtratione noſtra manifeſtum eſt, poſſeſſorem bonæ fidei non teneri ex ulla culpa, adeoque nec ex ſupina & craſſa negligentia.

§. 601.

An teneatur poſſeſſor m. f.

Poſſeſſor malæ fidei tenetur ad fructus percipiendos reſtituendum, ſeu ad reſarciendum damnum domino datum, quod fructus percipere neglexit, quos percipere poterat. Etenim poſſeſſor malæ fidei tenetur ex non facto quocunque (§. 595.), adeoque etiam ex neglectu perceptionis fructuum, quos percipere poterat. Quoniam itaque in cauſa eſt, quod dominus carere debeat eo, quod habiturus fuerat, ſi ipſe rem ſuam poſſediſſet & diligentius curaſſet, conſequenter jacturam ſui faciat (§. 487.), ac ideo damnum dedit domino (§. 488.), culpa ſua (§. 758. *part. I. Phil. pract. univ.*), damnum vero culpa datum reſarciendum (§. 580.); domino utique damnum datum reſarcire, adeoque æſtimationem fructuum, quos percipere neglexit, teſtituere (§. 572.) debet. Tenetur igitur poſſeſſor malæ fidei ad fructus percipiendos reſtituendum (433.).

Negli-

Digitized by Google

Negligentia ſua non minus bonæ, quam malæ fidei poſſor domino dat damnum: quod vero hunc teneat obligatio damnum datum reſarciendi, illum minime, inde eſt, quod hic teneatur ex non facto ſuo, ille ex eodem non teneatur, prouti ex collatione demonſtrationum manifeſtum eſt. Conſentit jus Romanum l. 25. C. de R. V. Sit ita quod Doctores nonnulli limitationes quasdam adjiciant in legibus minime expreſſas, quarum nullitatem etſi ex anterioribus facile demonſtrare poſſemus, noſtrum tamen in præſenti non eſt in examinandis Doctorum opinionibns tempus fallere.

§. 602.

Quoniam *malæ fidei poſſeſſor* naturaliter habet ratam fructuum induſtrialium (§. 443.), *dum ad fructus percipiendos reſtituendum tenetur* (§. 601.); *non tenetur niſi ad reſtitutionem ratæ fructuum induſtrialium percipiendorum domino debitæ.* *Obligatio ejus ulterius expenditur.*

Nimirum damnum domino dedit nonniſi in rata ipſi debita, adeoque ultra eam non datur, quod reſarcire debeat. Hinc vero eſt, quod Jus Romanum l. 5. C. de R. V. concedat poſſeſſori malæ fidei impenſas fructuum neceſſarias deducendi: quod non minus attendendum venit in fructibus percipiendis. Manifeſta enim foret iniquitas (§. 585.), ſi quis jacturam facere deberet impenſarum ac operæ ſuæ, quæ non minus res ſuæ ſunt quam fructus alteri debiti (§. 437.). Sed cum nos in ſuperioribus (§. 443.) communionem fructuum induſtrialium adſtruxerimus, non opus eſt, ut, ubi de earum reſtitutione agitur, impenſarum ac operæ habeatur ratio.

§. 603.

Impenſæ dicuntur ſumtus, quos in rem impendimus, ſive ejus conſervandæ, ſive utendæ ac fruendæ gratia, vel et- *Impenſæ quid ſint.*

 iam

iam in fructuum perceptionem. Vocantur etiam *Impendia.* vernaculo idiomate **angewendete Koſten:**

Ita ſumtus, quos facimus in ædes reficiendas, ut conſerventur, nec collabantur, ſunt impenſæ. Similiter ſumtus, quos facimus, ut ager ſterilis fertilior reddatur, impenſæ ſunt. Et merces, quam ſolvimus operariis, ut fructus colligant & ad locum convenientem deferant, impenſæ ſunt in fructuum perceptionem factæ.

§. 604.

Impenſæ neceſſariæ quænam ſint. *Impenſæ neceſſariæ* ſunt, quæ fiunt rei conſervandæ gratia, ſeu, ut *Paulus* ait l. 79. ff. de V. S. quæ ſi factæ non ſint, res aut peritura, aut deterior futura ſit, & ſine quibus fructus percipi non potuiſſent.

Ita impenſæ neceſſariæ ſunt, quæ fiunt ædium veterum fulciendarum vel reficiendarum gratia, item dum arbores in locum mortuarum reponi curamus, vel flumina avertimus, ne ſint noxia.

§. 605.

Impenſæ utiles quænam ſint. *Impenſæ utiles* ſunt, quibus factis res fit utilior & fructuoſior, ſcilicet plures habeat uſus pluresque ferat fructus: quod dum fit, *Res meliorari* dicitur.

Ita ædificia meliorantur, ſi ad plures uſus aptantur, & quæ eo fine fiunt impenſæ utiles ſunt. Similiter ager melioratur, ſi ex ſterili fertilior redditur, & ſumtus, qui eo fine fiunt, impenſæ utiles ſunt. Sunt etiam impenſæ utiles, ſi quis plantat arbores plures in horto, quam antea in eodem fuerant, vel arbores magis frugiferas ſubſtituit minus frugiferis.

§. 606.

Impenſæ vo- Denique *Impenſæ voluptariæ* ſive *voluptuoſæ* ſunt, quæ nec

nec neceſſariæ, nec utiles ſunt, aut, quæ ſolius voluptatis percipiendæ gratia fiunt. *luptuariæ quænam ſint.*

Res voluptuariæ nonniſi ad vitæ jucunditatem faciunt (§. 501. *part. I. Jur. nat.*). Quæ in eas impenduntur impenſæ, voluptuariæ ſunt. Huc pertinent, quæ ad ædificium ornandum faciunt, item viridaria, aviaria, prætoria.

§. 607.

Impenſæ in fructuum perceptionem poſſeſſori reſtituendæ.

Impenſæ neceſſariæ in perceptionem fructuum naturalium factæ poſſeſſori cuicunque reſtituendæ. Etenim ſine impenſis neceſſariis fructus naturales percipi non poterant (§. 604.). Quamobrem ſi dominus ipſe fructus percepiſſet, ſumtus hoſce facere debuiſſet (§. 603.). Quamobrem ſi poſſeſſor domino reſtituit fructus naturales extantes, aut non extantium æſtimationem (§. 485. 598. 599.), nec dominus viciſſim ipſi reſtitueret impenſas neceſſarias, dominus utique locupletaretur cum damno poſſeſſoris (§. 582. 486). Quoniam itaque nemo cum damno alterius locupletari debet (§. 585.); impenſæ neceſſariæ in perceptionem fructuum naturalium factæ poſſeſſori cuicunque reſtituendæ.

Fructuum induſtrialium nulla hic fit mentio, quia impenſæ jam inſunt ratæ poſſeſſori debitæ (§. 443.).

§. 608.

Obligatio rem conſervandi & meliorandi.

Dominus natura obligatur ad rem ſuam quamlibet, quantum in ſe eſt, conſervandam & meliorandam, ſiquidem meliorari poteſt. Quilibet enim homo obligatur ad patrimonium ſuum conſervandum & amplificandum, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 458.). Enimvero cum patrimonium ſit omnium bonorum, quæ quis habet, univerſitas (§. 452.), bona vero ſint res, quæ ſunt in dominio noſtro, univerſim ſpectatæ

Digitized by Google

ctatæ (§. 448.); ſi res noſtras conſervamus, patrimonium conſervatur, & ſi earum numerus ſive copia multiplicatur, patrimonium amplificatur. Quamobrem dominus natura obligatur ad rem ſuam quamlibet, quantum in ſe, ſeu in poteſtate ſua eſt, conſervandum & ad rerum ſuarum numerum multiplicandum. Quodſi operam des, ut plures ex re tua percipere poſſis fructus, ſeu eam fructuoſiorem reddis, hoc ipſo numerus rerum tuarum multiplicatur: immo quatenus res fructuoſior pluris æſtimatur, hoc quoque reſpectu bonis tuis incrementum aliquod acceſſiſſe cenſetur. Et quoniam res, quæ pluribus uſibus & majori commoditati aptata utilior redditur, itidem pluris æſtimatur, hoc ipſo etiam, quod utilior redditur, bonis tuis incrementum aliquod acceſſiſſe dicendum eſt. At res melioratur, ſi utilior & fructuoſior redditur (§. 605.). Patet itaque dominum quoque natura obligari ad rem ſuam, quantum in ſe eſt, meliorandam, ſiquidem meliorari poteſt (§. 209. *part. I. Phil. pract. univ.*).

Natura homini non competit niſi rerum naturalium uſus (§. 21.), nec in res artificiales, quæ in communione primæva pure naturalibus incorporantur (§. 31.), in eadem aliud jus is habet. Hoc jus dominiorum introductione tantummodo efficitur proprium (§. 166.), adeoque homini non licet de ſubſtantia rei diſponere niſi in ſuum aliorumque uſum, quem definiunt officia erga ſe ipſum atque alios (§. 167.). Quamobrem hinc facile intelligitur, quod rem ſuam, quantum in ſe eſt, conſervare debeat, ut, niſi uſu conſumatur, ſit diuturnioris uſus, & meliorare eandem teneatur, ut plures admittat uſus. Neque obligatio naturalis, in ſe immutabilis (§. 142. *part. I. Phil. pract. univ.*), introductione dominiorum exſpirat, qua ad res induſtriales & artificiales multiplicandas tenemur (§. 511. *part. I. Jur. nat.*). Atque hinc patet,

patet, unde fluat obligatio rem fructuoſiorem efficiendi: id quod ſub melioratione continetur (§. 605.). Qui adeo rem conſervat, qui eandem meliorat, is facit quod eſt officii ſui; qui vero cum conſervare, cum meliorare poſſet, hoc non facit, is omittit, quod facere debebat. Diligentis adeo patris familias, qui omnes officii ſui partes adimplet, omnino eſt, rem ſuam, quantum in ſe eſt, conſervare ac meliorare. Unde etiam patet, quod æquitati maxime conveniat, ut malæ fidei poſſeſſor etiam teneatur ad fructus percipiendos, ſeu quos percipere neglexit (§. 601.). Videmus adeo quam pulchre omnia inter ſe cohæreant, modo jura ex primo ſuo fonte derives.

§. 609.

Impenſarum neceſſariarum & utilium faciendarum obligatio.

Quoniam impenſæ neceſſariæ ſunt, quæ fiunt rei conſervandæ gratia (§. 604.), utiles vero, ſine quibus ea meliorari nequit (§. 605.), homo autem, quantum in ſe eſt, natura obligatur ad rem ſuam, quantum in ſe eſt, conſervandam & meliorandam (§. 608.); *homo* quoque *natura obligatur ad faciendas, quantum in ſe eſt, impenſas neceſſarias & utiles.*

Impenſæ adeo neceſſariæ ac utiles conveniunt officio boni patrisfamilias, & qui iis parcit, contra officium boni patrisfamilias agit.

§. 610.

Impenſæ neceſſariæ num utilibus præferendæ.

Impenſæ neceſſariæ utilibus præferendæ. Quæ in rem neceſſario impenduntur, aut impenduntur in rem numero eandem, in quam utiles fiunt impenſæ, aut in rem numero diverſam. Quoniam ſine impenſis neceſſariis res conſervari nequit (§. 604.), adeoque nec diu utilior ac fructuoſior eſſe res poteſt, quæ diu conſervari nequit aut quoad ſubſtantiam ſuam deterior redditur; ante omnino curandum

eſt, ut res conſervetur, nec quoad ſubſtantiam deterior evadat. Quamobrem patet impenſas neceſſarias, quæ cum utilibus in eandem numero rem fiunt, utilibus eſſe præferendas.

Enimvero ponamus jam rem unam fieri utiliorem ac fructuoſiorem, aliam vero deteriorem evadere, vel prorſus interire. Quoniam homo natura obligatur ad rem quamlibet conſervandam, quantum in poteſtate ſua eſt, nec ad rem meliorandam tenetur, niſi quantum in ſe eſt (§. 608.); utique non tenetur ad rem quandam meliorandam cum deterioratione aut interitu alterius, nec adeo dicenda eſt melioratio rei in poteſtate ſua eſſe, ſi cum deterioratione vel interitu rei alterius fieri debet (§. 175. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum impenſæ neceſſariæ ſint, ſine quibus res conſervari non poteſt (§. 604.), utiles vero ſint, quibus res ſit utilior & fructuoſior, ſeu ſine quibus meliorari nequit (§. 605.); impenſæ neceſſariæ utilibus etiam in hoc caſu præferendæ, ubi impenſæ neceſſariæ ac utiles non in eandem rem fiunt.

Non nego in caſu priori multo evidentius eſſe, quod impenſæ neceſſariæ utilibus præferendæ, quam in poſteriori: in caſibus tamen particularibus rationes evadunt magis manifeſtæ. Quamobrem non piget, exemplo aliquo propoſitionem præſentem quoad utrumque caſum illuſtrare. Ponamus itaque te poſſidere domum. Impenſas neceſſarias facis ſi ſtatim ædes reficere ſtudes, ubi qua ex parte deteriorantur, ne poſthac multo ſumtu reficiendum ſit, quod nunc exiguo fieri poterat, nec neglectu impendiorum neceſſariorum tandem totæ collabantur, aut ruinæ proximæ refici amplius nequeant. Aſt utiles tantummodo ſunt impenſæ, ſi ædes pluribus uſibus, vel plurium habitationi aptantur,

ut

ut lucrum inde ſperari poſſit. Nemo non te reprehendet, ſi impenſas utiles quidem facis, neceſſarias facere non vis. Lucrum nullum cenſetur, quod cum majore damno conjunctum. Ponamus ſimiliter te poſſidere prædium ruſticum. Quodſi de agris & hortis meliorandis plurimum ſollicitus fueris, de horreis autem, ſtabulis aliisque ædificiis reficiendis & conſervandis non cogites, adeoque impenſas quidem utiles facis, neceſſariis tamen parcis; nemo prudens te laudabit, quin potius reprehendet. Prudens enim paterfamilias hanc primam curæ ſuæ partem eſſe jubet, ut res neceſſariæ, quibus œconomia ruſtica carere nequit, conſerventur, nec deteriorentur; alteram vero, ut, quæ meliorari poſſunt, quantum in ſe eſt, meliorentur. Quodſi ſumtus, quos facere tenetur, rerum neceſſariarum conſervationi & earum, quæ meliorari poſſunt, non ſufficiant; illas conſervari, quam has cum illarum deterioratione aut interitu meliorari mavult. Etſi autem facile prævideam poſſe nonnulla non ſine omni ſpecie objici, quaſi non ſemper impenſæ neceſſariæ utilibus ſint præferendæ; cum tamen illarum objectionum diſcuſſio longior foret, quam ut commode hic locum habeat, in tantas ambages deſcendere nolumus, nulli dubitantes quin ſufficiente acumine & attentione uſus ipſemet iisdem ſpeciem detrahere poſſit. Sane JCti promiſcue omnes impenſas utiles neceſſariis poſtponunt.

§. 611.

Impenſæ voluptuariæ in ſe licitæ ſunt: illicitis tamen accenſentur, ſi neceſſariis ac utilibus præferuntur. Etenim impenſæ voluptuariæ voluptatis percipiendæ (§. 606.), conſequenter vitæ jucunde tranſigendæ cauſa fiunt (§. 470. *part. I. Jur. nat.*). Quoniam itaque homini jus eſt ad ea omnia, quæ ad vitam jucunde tranſigendam faciunt & ad omnes actus huc requiſitos (§. 472. *part. I. Jur. nat.*), impenſæ vo- *Impenſæ voluptuariæ in quantum licitæ.*

 luptua-

Digitized by Google

luptuariæ in ſe licitæ ſunt (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Enimvero cum res voluptuariæ nonniſi ad vitæ jucunditatem faciant (§. 501. *part. I. Jur. nat.*), res autem voluptuariæ utilibus & neceſſariis ſint poſtponendæ (§. 502. *part. I. Jur. nat.*); hinc facile conficitur, impenſas voluptuarias, quæ voluptatis tantummodo percipiendæ gratia fiunt (§. 606.), adeoque nonniſi propter vitæ jucunditatem (§. 470. *part. I. Jur. nat.*), utilibus ac neceſſariis eſſe poſtponendas. Quamobrem qui neceſſarias ac utiles poſtponit voluptuariis, ſeu has iſtis præfert, contra obligationem naturalem facit: id quod admittendum eſt, ſi vel maxime contendas, nonniſi prudentiæ patrisfamilias adverſari tale factum (§. 258. *part. I. Jur. nat.*). Quodſi itaque impenſæ voluptuariæ præferantur neceſſariis ac utilibus, illicitis accenſendæ veniunt (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). *Quod erat alterum.*

JCti omnes impenſas voluptuarias neceſſariis ac utilibus poſtponunt, ubi de reſtituendis impenſis agunt. Agnoſcunt itaque bonum patremfamilias primum de rebus conſervandis, deinde de iisdem meliorandis cogitare debere: quod ubi fecerit, eum reprehendi minime poſſe, ubi etiam de iis cogitet, quæ vitam faciunt jucundiorem. Cum de vitæ jucunditate ageremus, voluptatem veram, quæ ex perfectione vera oritur (§. 514. *Pſych.*), innocuæ ſaltem contradiſtinximus (471. *part. I. Jur. nat.*), quæ tranſitoria quidem eſt, utpote nonniſi exiguo temporis ſpatio durans, nunquam reditura (§. 385. *part. I. Phil. pract. univ.*), non tamen in tædium degenerat, vel tædium parit (§. 384. *part. I. Phil. pract. univ.*), ut veræ æquipolleat (§. 285. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum ex eo ipſo, quod res noſtras

noſtras conſervemus &elioremus, voluptatem veram percipiamus; non ideo vita jucunditate caret, quia res mere voluptuarias non curamus, conſequenter ab impenſis voluptuariis prorſus abſtinemus, quatenus nonniſi impenſarum habetur ratio. Impenſas neceſſarias ac utiles, quatenus in veram voluptatem influunt, ex rerum conſervatione ac melioratione percipiendam, urget ipſa obligatio vitam jucunde tranſigendi (§. 471. *part. I. Jur. nat.*). Quatenus vero impenſæ voluptuariæ, in res mere voluptuarias factæ, tædium pariunt, quando ad animum revocamus damna ex neglectu impenſarum neceſſariarum ac utilium facta, obligationi huic adverſantur (§. 471. *part. I. Jur. nat.*), cum voluptas, cujus percipiendæ gratia factæ ſunt (§. 606.), tum ſit nocua (§. 385. *part. I. Phil. pract. univ.*), & illicita ipſa (§. 283. *part. I. Jur. nat.*), impenſas quoque voluptuarias illicitas efficit. Præſens adeo propoſitio cum principiis alibi jam demonſtratis optime conſentit.

§. 612.

Impenſæ mixtæ ſunt, ſi voluptuariæ inſint neceſſariis & utilibus. Dicuntur autem *voluptuariæ prædominari*, ſi magis voluptatis, quam neceſſitatis aut utilitatis habetur ratio. *Impenſæ mixtæ quænam ſint.*

Impenſarum mixtarum nulla in Jure civili ſit mentio. Cum enim impenſæ pecunia æſtimentur, eadem res duplex admittit pretium, alterum quatenus in numero neceſſariarum eſt, alterum quatenus voluptuariis accedit. Pretium adeo unum ab altero diſcernendo impenſæ voluptuariæ a neceſſariis ſeparantur. Et idem tenendum eſt in caſu altero, ubi impenſæ voluptuariæ permiſcentur utilibus. E. gr. Serris, quæ januis affiguntur, carere minime poſſumus, ut eas claudere ac aperire valeamus, prouti uſus poſtulaverit. Impenſæ adeo in ſerras factæ in ſe neceſſariæ ſunt, utpote ad januarum conſervationem tanquam pars

maxime neceſſaria ſpectantes (§. 604.), ablatis nimirum ac deterioratis ferris januas deteriorari manifeſtum eſt. Quodſi ſerræ ornatiores ac propterea pretioſiores præferuntur communibus, ut magis delectent, quatenus majoris ſunt pretii, impenſæ voluptuariæ fiunt, quoad pretium vero commune, quod ineſt pretio ornatiorum, impenſæ ſunt neceſſariæ. Cum itaque impenſæ voluptuariæ inhæreant neceſſariis, eas mixtas appellare lubet. Levi autem attentione apparet, quomodo voluptuariæ a neceſſariis ſeparentur, nimirum ſubtrahendo pretium communium, quibus vulgo utimur, a pretio ornatiorum, quæ non ſunt uſus communis. Si quis in arbuſto plantat arbores, quorum magis amœni, quam neceſſarii ſunt fructus, easque certo ordine diſpoſitas, ut ſint oblectamento, ac utroque fine majores ſumtus facit, quam ſi arbores fructus magis neceſſarios edentes nullo certo ordine plantaſſet; quatenus plantantur arbores, ut arbuſtum ſit fructuoſius, impenſæ utiles ſunt (§. 605.), quatenus vero majore ſumtu fructus amœni præferuntur magis neceſſariis & oblectamenti gratia arbores non ſine arte certo ordine diſponuntur, exceſſus ſumtuum impenſis voluptuariis annumeratur (§. 606.). Atque adeo impenſis utilibus permiſcentur voluptuariæ, ac ideo impenſæ in arbuſtum factæ a nobis appellantur mixtæ. Patet autem denuo attendenti, quomodo voluptuariæ, quæ inſunt utilibus, ab his ſeparentur. Quodſi in caſu priori ſerræ ornatiores fuerint minus durabiles, voluptatis magis habetur ratio, quam neceſſitatis, tumque voluptuariæ impenſæ prædominantur. Similiter ſi in caſu poſteriori in arbuſto magis amœnitatis fructuum, quam neceſſitatis habetur ratio, & pauciores arbores certa lege poſitas arbuſtum recipit, quam ſi nulla lege ponerentur, ut adeo minus fructuoſum evadat, quam haberi poterat; impenſæ denuo voluptuariæ prædominantur utilibus.

§. 613.

Impenſas tollere dicitur, qui ea tollit, quæ ſuo ſumtu in re aliena facta ſunt. Hinc *impenſas utiles* tollit, qui tollit utilitatis cauſa facta: *tollit voluptuarias*, qui tollit voluptatis gratia facta: *tollit mixtas*, qui tollit neceſſitatis vel utilitatis ac voluptatis gratia facta. *Impenſas tollere quid ſit.*

E. gr. Qui tollit picturas laqueari affixas, vel aulæa, ſeu vela picta parietum, impenſas voluptuarias tollit. Similiter qui tollit ſerras ornatiores, impenſas mixtas tollit.

§. 614.

Sine detrimento aut corruptione rei tolli dicitur, quo ſublato res, a qua quid aufertur, non efficitur in ſe deterior. *Sine detrimento tollere quid ſit.*

Ita ſine detrimento tolluntur picturæ laqueari affixæ, quia laqueare iis ablatis non efficitur in ſe deterius. Similiter aulæa ſine detrimento tolluntur, quia parietes iis ablatis in ſe non deteriorantur.

§. 615.

Si qui rem alienam domino reſtituit, impenſas tollit, quæ ſine rei detrimento tolli poſſunt, domino nullum dat damnum. Quodſi enim rem alienam reſtituens impenſas tollit, non-niſi ea tollit, quæ ſuo ſumtu facta ſunt (§. 613.). Et quoniam ſine detrimento rei tolli poſſunt *per hypoth.* res, a qua auferuntur, non ideo redditur deterior (§. 614.), conſequenter nec æſtimationi rei quicquam decedit. Quoniam itaque in cauſa non eſt, ut dominus ejus, quod ſuum fuerat, ullam jacturam faciat (§. 487.), nullum quoque ipſi dat damnum (§. 488.). *Quando impenſæ tollantur abſque damno domini.*

Aufert nimirum quod ſuum eſt, nec rem alienam deteriorem reddit, ut pretium ejus minus evadat. Perinde igitur eſt, ac ſi impenſæ, in rem alienam nullæ factæ fuiſſent.

§ 616.

Digitized by Google

§. 616.

Impenſæ quænam ſine detrimento rei tolli nequeant vel poſſint.

Impenſæ neceſſariæ ſine detrimento rei tolli nequeunt: in ſe autem non repugnat, ut utiles ac voluptariæ ſine detrimento rei tollantur. Sublatis enim impenſis neceſſariis res aut peritura, aut deterior futura (§. 604.). Quoniam itaque ſine detrimento tolli nequit, quo ſublato res in ſe redditur deterior (§. 614.); nec impenſæ neceſſariæ ſine rei detrimento tolli poſſunt. *Quod erat unum.*

Enimvero impenſis utilibus ac neceſſariis non factis, res futura non eſt deterior, multo minus peritura, ſed tantummodo minus utilis minusque fructuoſa, quam fieri poterat (§. 605.), minusque ſervit voluptati, quam ſervire poterat (§. 606.). Quamobrem in ſe non repugnat, ut impenſæ utiles ac voluptuariæ ſine detrimento rei tollantur (§. 614.). *Quod erat alterum.*

Nimirum ex accidente eſt, ut impenſæ utiles ac voluptuariæ non tollantur ſine rei detrimento, quando nimirum ea, quæ utilitatis ac voluptatis gratia facta ſunt, a re ſeparari non poſſunt ſine ejus deterioratione. Vide, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 614.). Quando itaque impenſæ utiles ac voluptuariæ ſine detrimento tolli poſſint, quando minime poſſint; in caſu particulari absque ulla difficultate patet.

§. 617.

Damnum deterioratione rei datum.

Si res aliena deterioratur, damnum datur domino, idque tantum, quanto minus res deteriorata valet. Per ſe patet, rem deterioratam minus valere, quam antea, cum deteriorata non eſſet. Quamobrem ſi res aliena deterioratur, tanti jacturam facit dominus, quanto minus res deteriorata valet, quam antea, cum deteriorata nondum eſſet (§. 487.).

Quo-

Digitized by Google

Quoniam itaque qui rem alienam deteriorat in cauſa eſt cur jacturam ſui faciat dominus (§. 881. *Ontol.*); ſi res deterioratur aliena, damnum utique datur domino (§. 488.), idque tantum, quanto minus res deteriorata valet *per demonſtrata.*

Equidem ſine demonſtratione propoſitio præſens admittitur: quodſi tamen quæſiveris, cur admittatur, in demonſtrationem præſentem incides, ubi notiones confuſas, quæ aſſenſum pariunt, ad diſtinctas revocas; id quod etiam in aliis caſibus ſimilibus tenendum. Philoſophi vero eſt non ſine ratione ſumere, ubi ratio dari poteſt.

§. 618.

In quantum quis teneatur ex deterioratione rei alienæ.

Qui rem alienam dolo vel culpa ſua deteriorem reddit, in tantum domino tenetur, quanto minoris eſt res deteriorata. Qui enim rem alienam dolo vel culpa ſua deteriorem reddit, dolo vel culpa ſua damnum dat domino (§. 617.). Quare cum damnum omne dolo vel culpa datum ſit reſarciendum (§. 580.), qui rem alienam dolo vel culpa ſua deteriorem reddit, domino damnum deterioratione datum reſarciendum. Quoniam itaque tantum damnum æſtimatur, quanto minoris eſt res deterior facta (§. 617.), damnum vero reſarcitur, ſi tantundem reſtituitur, quantum valet id, cujus jacturam feciſti (§. 572.); qui rem alienam dolo vel culpa ſua deteriorem reddit in tantum domino tenetur, quanto minoris eſt res deteriorata.

Nemo non fatetur, unum idemque eſſe, ſive jacturam facias rei, quæ valet duos aureos, ſive res tua, quæ antea valebat duodecim, poſtquam deteriorata fuit, non valet niſi decem. Cum igitur in priori caſu ad reſarciendum damnum (§. 580.), tibi reſtituendi ſint duo aurei (§. 572.); totidem quoque tibi reſtituendi ſunt, re tua deteriore facta.

§. 619.

An poſſeſſor b. f. teneatur domino ex rei deterioratione.

Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur domino ex rei deterioratione ad ullam reſtitutionem. Si enim res aliena, quam quis poſſidet, deterioratur, aut facto, aut non facto ipſius deteriorari debet, aut caſu quodam. Enimvero poſſeſſor bonæ fidei non tenetur domino ex facto ullo vel non facto ſuo (§. 594.), adeoque nec ex facto, vel non facto, quo res deteriorata fuit. Neque etiam ex eo, quod res caſu perierit (§. 587.), adeoque multo minus quod caſu deteriorata fuerit, quaſi parte quadam ejus pereunte, ad ullam reſtitutionem tenetur. Patet itaque poſſeſſorem bonæ fidei non teneri domino ex rei deterioratione, quomodo cunque tandem facta, ad ullam reſtitutionem.

Dubium, quod hic ſuboriri poterat non ſatis perſpicacibus, quaſi propoſitio præcedens non ſit univerſalis, cum in poſſeſſore bonæ fidei admittat exceptionem, per ea removetur, quæ ſuperius annotavimus (*not.* §. 593.). Nimirum quem bona fides ab imputatione culpæ abſolvit, reſpectu domini, cujus res eſt, quam bona fide poſſidet; is culpa ſua alteri damnum dediſſe non cenſetur, conſequenter nec ad damnum datum reſarciendum obligatur.

§. 620.

Qualis res a poſſeſſore b. f. reſtituenda.

Quoniam *poſſeſſor bonæ fidei* non tenetur domino ex rei deterioratione ad ullam reſtitutionem (§. 619.), *rem reſtituere tenetur*, *qualis eſt*, *ubi ipſi innoteſcit*, *rem eſſe alienam*, *quam poſſidet.*

Nimirum bona fides non diutius liberat a culpa, quam durat: ceſſat autem, quamprimum reſcitur, rem poſſeſſam eſſe alienam (§. 155.).

§. 621.

§. 621.

Si poſſeſſor malæ fidei dolo vel culpa ſuâ rem alienam deteriorem reddidit, præter rem domino quoque tantum reſtituere tenetur, quanto minus valet res deteriorata. Etenim poſſeſſor malæ fidei tenetur domino ex facto & non facto quocunque (§. 595.), adeoque etiam ex eo, quo dolo vel culpa ſua res deterior facta eſt. Enimvero qui rem alienam dolo vel culpa ſua deteriorem reddit, in tantum domino tenetur, quanto minoris eſt res deteriorata (§. 618.). Ergo etiam in tantum domino tenetur poſſeſſor malæ fidei, qui dolo vel culpa ſua rem ipſius deteriorem reddidit, conſequenter tantundum ipſi quoque præter rem reſtituere debet. *Quomodo reſtitutio rei fiat a poſſeſſore m. f.*

Patet hinc, quod ſuperius annotavimus (*not.* §. 595.), in caſu ſpeciali demum patere, ad quid præſtandum teneatur poſſeſſor malæ fidei ex facto ſuo. Nimirum tenetur ex facto vel non facto ſuo in tantum domino, in quantum ex eodem facto vel non facto eidem tenetur quicunque alius. Quamobrem quæ de obligatione ex facto quodam vel non facto oriunda in genere demonſtrantur, ea vi principii generalis ſupra adſtructi (§. 595.), recte applicantur ad malæ fidei poſſeſſorem, applicari autem nequeunt ad poſſeſſorem bonæ fidei (§. 594.).

§. 622.

Si res caſu deterior facta, malæ fidei poſſeſſor ex rei deterioratione non tenetur ad ullam reſtitutionem, ubi eodem caſu deterior facta fuiſſet apud dominum; in caſu oppoſito tenetur. Oſtenditur eodem modo, quo malæ fidei poſſeſſorem ad damnum reſarciendum teneri, vel non teneri oſtendimus, ſi res aliena, quam poſſidet, apud ipſum periit (§. 591. 592.). *Idem ulterius expenditur.*

Nimirum res deterior dum ſit, pars ejus interire cenſetur. Quæ igitur de toto demonſtrantur, ea quoque valent de parte ipſius.

§. 623.

Impenſarum neceſſariarum reſtitutio. *Poſſeſſori tam bonæ, quam malæ fidei reſtituendæ ſunt impenſæ neceſſariæ.* Impenſis enim neceſſariis res conſervatur & ne deterior fiat cavetur (§. 604.). Quoniam itaque dominus natura obligatur ad rem ſuam quamlibet, quantum in ſe eſt, conſervandam (§. 608.); poſſeſſor rei alienæ impenſas neceſſarias faciens non facit, niſi quod ipſe dominus facere debuiſſet (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo impenſæ neceſſariæ ipſi non reſtituerentur, earum jacturam faceret poſſeſſor (§. 487.), adeoque cum ipſius damno (§. 486.) locupletaretur dominus (§. 582.). Quamobrem cum nemo locupletior fieri debeat cum damno alterius (§. 585.); poſſeſſori tam bonæ, quam malæ fidei reſtituendæ ſunt impenſæ neceſſariæ.

Poſſeſſor malæ fidei tenetur domino ex deterioratione culpa ſua facta (§. 621.), adeoque nulla adeſt ratio, cur ex facto non facto, quo res deteriorata fuit, oppoſito teneri debeat. Nihil enim ineſt facto, quod domino damnoſum ſit. Quamobrem inter poſſeſſorem bonæ fidei, qui ex facto & non facto ſuo non tenetur (§. 594.), & poſſeſſorem malæ fidei, qui ex eodem tenetur (§. 595.), nulla hic differentia eſt. Conſentit jus civile l. 5. C. de R. V. Nemo alteri tenetur ex facto ſuo, niſi quatenus damnoſum, ut ſit quod reſtitui debeat (§. 572. 580.).

§. 624.

Jus tollendi impenſas utiles ac voluptuarias. *Poſſeſſori tam bonæ, quam malæ fidei impenſas utiles ac voluptuarias tollere licet, ſi ſine rei detrimento tolli poſſunt.* Quando enim tollit impenſas utiles & voluptuarias, ea tollit, quæ

quæ ſuo ſumtu fecit (§. 613.), cumque ſine rei detrimento tolli poſſint *per hypoth.* iis ſublatis nullum domino dat damnum (§. 615.). Quoniam itaque nihil eſt quod domino ſit reſtituendum (§. 580. 572.), dum tollitur, quod ſuum eſt *per demonſtrata*; nulla ſane ratio eſt, cur poſſeſſori cuicunque impenſas utiles ac neceſſarias tollere non liceat, quæ ſine rei detrimento tolli poſſunt (§. 65. *Ontol.*). Eas igitur eidem tollere licet.

Sublatis impenſis utilibus ac voluptuariis, quæ ſine detrimento tolli poſſunt, nullum damnum ſentit dominus (§. 615.). Aſt damnum patietur poſſeſſor haud raro, immo plerumque fit, ſi eas tollit, cum res, quæ tollitur, non ſit ipſi uſui, nec facile inveniatur alius, cui uſui eſſe poſſit & qui pretium juſtum ſolvat. Quamobrem non ſemper poſſeſſor impenſas iſtas tollere vult, niſi teneatur. Equidem Jus Romanum l. 38. ff. de R. V. domino tribuit *jus offerendi* tantum, quantum habiturus eſt poſſeſſor, his rebus ablatis; non tamen id ex principiis Juris naturalis demonſtrari poteſt. Idem tolli vetat, quæ ſine ulla poſſeſſoris utilitate, non niſi officiendi ſtudio tolluntur, veluti ſi tectorium, quod induxeris, picturasque corradere velis nihil laturus. Redditur etiam ratio, quod malitiis indulgendum non ſit: quæ juri naturæ ſatis conſentanea.

§. 625.

Impenſæ utiles, quibus res fructuoſior facta, poſſeſſori cuicunque reſtituendæ. Homo obligatur ad rem ſuam meliorandam, quantum in ſe eſt (§. 608.), adeoque etiam ad eandem fructuoſiorem reddendam (§. 605.). Quamobrem poſſeſſor fecit, quod ipſe dominus facere debebat, immo facturus fuiſſet, ſiquidem omnes partes boni patrisfamilias adimplere voluiſſet. Præterea res fructuoſior dum fit, *Impenſæ utiles quando poſſeſſori cuicunque reſtituendæ.*

 etiam

etiam pretioſior fit. Patet igitur ut ante (§. 623.), niſi impenſæ utiles, quibus res fructuoſior facta, poſſeſſori cuicunque reſtituerentur, dominum fore locupletiorem cum damno poſſeſſoris: quod cum fieri non debeat (§. 585.) impenſæ utiles, quibus res fructuoſior facta, poſſeſſori cuicunque omnino reſtituendæ.

Jus civile nullum ſtatuit diſcrimen inter impenſas utiles: enimvero cum impenſas utiles eas dixerimus, quibus res fit utilior vel fructuoſior (§. 605.), diſcrimen in iis manifeſtum eſt: neque enim quod uni utile eſt, id etiam alteri utile, quemadmodum idem fructuoſum eſt omnibus. Accedit, quod non omnes rei utilioris efficiendæ gratia eosdem facere velint, vel poſſint ſumtus.

§. 626.

Qualis in reſtitutione utilium impenſarum differentia quoad poſſeſſorem b. & m. f.

Impenſæ utiles, quibus res utilior facta, poſſeſſori b. f. reſtituendæ: aſt poſſeſſori m. f. reſtituendæ non ſunt, niſi quatenus domino æque utiles ſint, vel in quantum res pretioſior facta. Etenim poſſeſſor b. f. non tenetur domino ex ullo facto ſuo (§. 594.), neque adeo etiam ex eo, quod rem uſibus pluribus ſuis aptarit, quamvis ea non æque utilis facta fuerit domino. Cumque putarit ſe dominum eſſe (§. 153.), non fecit, niſi ad quod ſe obligatum eſſe exiſtimavit (§. 608.). Quoniam itaque ipſe domino reſtituere tenetur rem ſuam (§. 471.) eamque reſtituit melioratam *per hyp.* quoniam etiam reſtituit fructus naturales & ratam induſtrialium domino debitam, quantum in bonis habet (§. 598.), impenſæ autem utiles, quatenus reſtituendæ ſunt, in bonis ipſius eſſe intelliguntur (§. 451.); æquum omnino eſt, ut impenſæ utiles, quibus res utilior facta, poſſeſſori bonæ fidei reſtituantur. *Quod erat primum.*

Enimvero poſſeſſor malæ fidei tenetur domino ex quo-

quocunque facto ſuo (§. 595.), adeoque etiam ex eo, quod rem utiliorem, ſeu pluribus uſibus ſuis aptam fecerit. Quamobrem ſi domino non æque utile eſt, quod ipſi utile fuerat; dominus non feciſſet, quod poſſeſſor fecerat, conſequenter hic damnum pateretur, ſiquidem impenſas utiles reſtituere teneretur (§. 486.), quod tamen nemo alteri dare debet (§. 495.). Præter jus adeo impenſas utiles tollendi, quæ ſine rei detrimento tolli poſſunt, nihil ipſi competere poteſt (§. 624.), qui ſibi imputare debet, quod rem alienam cum injuria alterius (§. 567.) ad ſuos uſus effecerit aptiorem. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi tamen res utilior facta æque utilis ſit domino, ut ipſe eaſdem impenſas facturus videatur (§. 608.), eodem modo, quo ante demonſtravimus, impenſas utiles, quibus res facta fructuoſior, poſſeſſori etiam malæ fidei reſtituendas eſſe (§. 625.), etiam evincitur, impenſas utiles eidem reſtitui debere. *Quod erat tertium.*

Denique ſi res facta pretioſior impenſis utilibus, niſi eædem reſtituerentur, dominus locupletaretur cum damno poſſeſſoris (§. 486. 582.). Quoniam itaque nemo cum damno alterius locupletari debet (§. 585.), impenſæ etiam utiles, quibus res pretioſior facta, malæ fidei poſſeſſori reſtituendæ. *Quod erat quartum.*

Salvum manet domino jus puniendi malæ fidei poſſeſſorem, quod rem, quam ſuam non eſſe novit (§. 153.), ad uſus ſuos domino invito aptaverit (§. 567.). Hinc in pœnam leges poſitivæ auferre eidem poſſunt, quod jure naturali ipſi competebat. Atque adeo mirum videri minime debet, ſi quæ Juris naturæ eſſe ſtatuimus, cum civili non prorſus conſentiant: neque enim jus civile, notante *Ulpiano* l. 6. ff. de

Digitized by Google

ff. de J. & J. per omnia naturali ſervit, ſed efficitur, cum illi aliquid additur, vel detrahitur. Quid vero recte addatur, quid detrahatur, ſuo videbimus loco. Noſtrum itaque non eſt in præſenti disquirere, quinam ſit juris civilis cum naturali conſenſus, quatenus ſcilicet juxta *Ulpianum* l. c. non in totum ab hoc diſcedit, aut diſſenſus ab eodem, quatenus aliquid additum, vel detractum fuit, ut reſtitutio impenſarum ſimul contineat pœnam quoad malæ fidei poſſeſſorem.

§. 627.

Quando in reſtituendis impenſis attendendum jus ædificationis, plantationis, adjunctionis.

Si impenſæ utiles & voluptuariæ, conſiſtunt in ædificatione, plantatione, adjunctione, jus ædificationis, plantationis, adjunctionis in reſtitutione impenſarum locum habet. Etenim ſi impenſæ, quæ fiunt a poſſeſſore rei alienæ, conſiſtunt in ædificatione, plantatione, adjunctione; poſſeſſor in ſolo alieno ædificat, vel plantam ponit, rei alienæ ſuam adjungit. Quamobrem cum ſupra demonſtratum ſit, quid iuris ſit, ſi quis in alieno ſolo ædificat vel plantam ponit (§. 402. 405. 406.), aut rem ſuam alienæ adjungit (§. 386. & ſeqq.); idem quod jus obtinere debeat in reſtitutione impenſarum dubitari haud quaquam poteſt.

Vi hujus ipſius principii demonſtrari etiam poterat, non minus poſſeſſori malæ, quam bonæ fidei competere jus tollendi impenſas, ſiquidem ille tollere velit, huic autem præter jus tollendi non competere aliud, quando ſine rei detrimento tolli poteſt. In poſſeſſore autem bonæ fidei etiam rationem habendam eſſe voluntatis, ex anterioribus patet, quemadmodum quoad poſſeſſorem malæ fidei ſalvum manet jus puniendi.

§. 628.

Impenſæ vo-

Impenſæ voluptuariæ, quæ tolli nequeunt ſimpliciter, vel ſine

ſine rei detrimento, poſſeſſori bonæ fidei reſtituendæ, quanti ſunt tempore reſtitutionis rei. Etenim poſſeſſor bonæ fidei non tenetur domino ex ullo facto ſuo (§. 594.), adeoque nec ex eo, quod impenſas voluptuarias fecerit, quæ ſine rei detrimento tolli nequeunt, vel etiam prorſus tolli non poſſunt. Quodſi vero hæ impenſæ eidem non reſtituerentur, dominus in tantum locupletior fieret re poſſeſſoris, quanti ſunt tempore reſtitutionis rei, conſequenter in quantum res eidem reſtituitur pretioſior (§. 582.) & poſſeſſor jacturam faceret rei ſuæ (§. 487.), adeoque damnum pateretur absque ullo ſuo merito (§. 486.). Quoniam itaque nemo locupletior fieri debet cum damno alterius (§. 585.); poſſeſſori quoque bonæ fidei reſtituendæ impenſæ voluptuariæ, quæ vel ſimpliciter, vel ſine rei detrimento tolli nequeunt, quanti ſunt tempore reſtitutionis rei.

luptuariæ quatenus reſtituendæ poſſeſſori b. f.

Nimirum in impenſis neceſſariis ſui tantummodo rationem habere poteſt bonæ fidei poſſeſſor, nec dici poteſt, quod etiam rationem habere debeat domini, cum ſe, non alium dominum eſſe putet (§. 153.). Quamobrem hic attentionem nullam meretur, num quæ voluptati poſſeſſoris ſerviunt, ea etiam ſint voluptati domino.

§. 629.

Si damnum ejus, cujus culpa accidit, colliditur cum damno alterius, qui omni culpa vacat, damnum ferre debet is, cujus culpa eſt. Si damnum tuum colliditur cum damno alterius, aut tibi damnum ferendum eſt, aut alter ferre debet: fieri autem nequit, ut uterque indemnis præſtetur: id quod ſumitur. Jam res tua culpa in eum ſtatum deducta, ut vel tu, vel alter damnum pati debeat *per hyp.* Quoniam culpa tibi imputatur (§. 722. *part. I. Phil. pract. univ.*), ex parte autem

Si damna duorum collidantur, quinam id ferre debeat.

autem alterius nil eſt, quod ipſi imputari poſſit, cum omni culpa vacet *per hypoth.* tu cenſeris cauſa libera damni alterutri ferendi, alter vero ad hoc non concurrit (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Damnum adeo ferendum tibi eſt, non alteri.

Propoſitio præſens adeo evidens eſt, ut, modo intelligatur, aſſenſum protinus in ſe trahat. Sane nemo non ultro fatebitur, æquum eſſe, ut dam[illegible] potius ferat, qui culpa ſua damnum paſſurus, quam qui paſſurus fuerat absque omni culpa: iniquum e contrario, ſi damnum ſubire debeat, qui ſine omni culpa idem ſubiturus, ab eodem vero immunis judicetur, qui culpa ſua in damnum incurreret. Propoſitio autem præſens non aliud vult, quam ut damnum in ſe recipiat, qui ſua culpa in idem incidit, ab eodem autem immunis præſtetur, qui nulla culpa ſua in idem incideret.

§. 630.

Quando in caſu colliſionis damnum habeatur pro caſuali.

Si damnum tuum colliditur cum damno alterius, uterque autem culpa vacet; damnum habetur pro caſuali. Etenim ſi damnum tuum colliditur cum damno alterius, neceſſe eſt, ut aut tu damnum incurras, aut alter idem incurrere debeat: quod eſt id ipſum, quod ſumitur. Jam vero uterque culpa vacat, adeoque nulla adeſt ratio, cur alterutri imputetur, quod res in eum deducta ſit ſtatum, ut alteruter veſtrum damnum pati debeat (§. 693. 696. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Immo cum & tu, & alter culpa vaces, quæ imputari poſſet (§. 700. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nulla ſane ratio eſt, cur alteri potius imputetur, quam tibi (§. 65. *Ontol.*), adeoque neutri imputari poteſt (§. 70. *Ontol.*). Quoniam igitur neuter haberi poteſt pro cauſa libera damni alterutri ferendi (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*); damnum vero

Digitized by Google

vero caſuale eſt, quod nonniſi caſu improviſo, nec evitabili datur (§. 491.); ſi damnum tuum colliditur cum damno alterius, damnum ab alterutro ferendum pro caſuali habendum.

Merum adeo infortunium eſt, quod ex eo, quod unus fecit, alter pati debeat damnum.

§. 631.

Quinam id ferre debeat.

Quoniam damnum pro caſuali habendum, *ſi damnum tuum colliditur cum damno alterius, uterque autem culpa vacet* (§. 621.); *damnum ejus eſſe debet, qui damnum caſuale patiatur neceſſe eſt.*

Hinc oſtendi poterat, quod ſupra jam evicimus (§. 626. 628.), poſſeſſori bonæ fidei reſtituendas eſſe & utiles, & voluptuarias impenſas, non attento damno, ſi quod inde patiatur dominus. Damnum enim hoc in præſenti caſu habendum pro caſuali (§. 621.), adeoque ferendum ei, cui res perit *vi prop. præſ.* conſequenter domino. Minime autem admittendum, ut impenſis non reſtitutis damnum ſit poſſeſſoris bonæ fidei omni culpa vacantis, quod, cum ſe dominum putaret (§. 153.), non fecit niſi quod dominus impune facere poterat (§. 169.). Placuit autem propoſitionem præcedentem cum corollario præſenti addere, ne forſan quid dubii oriatur vi propoſitionis anterioris (§. 620.) quoad poſſeſſorem bonæ fidei, cum ex collatione harum propoſitionum manifeſta ſit differentia inter poſſeſſorem bonæ fidei & poſſeſſorem malæ fidei, in hoc caſu, quo vel poſſeſſor, vel dominus damnum aliquod ferre tenetur.

§. 632.

Damnum quando dividendum in

Si damnum tuum colliditur cum damno alterius, nec uterque veſtrum omni culpa vacat; illud dividendum eſt in ratione culpæ.

caſu colliſionis. *culpæ.* Etenim ſi damnum tuum colliditur cum damno alterius, aut damnum quoddam tibi ferendum eſt, aut alteri: quod eſt illud ipſum, quod ſumitur. Enimvero uterque veſtrum culpa omni non vacat *per hypoth.* Quamobrem cum utrique veſtrum culpa ſua imputari poſſet (§. 722. *part. I. Phil. pract. univ.*), uterque veſtrum habetur pro cauſa libera damni pro ratione culpæ ſuæ (§. 527. *part. I. Phil. pract. univ.*). Damnum igitur inter vos dividendum in ratione culpæ.

Hactenus repertus non eſt modus culpam ad menſuram revocandi, nec rationem culpæ unius ad alteram definiendi. Theoria igitur etſi ſit ſatis evidens, praxis tamen accurata nondum in poteſtate eſt.

§. 633.

Impenſæ voluptuariæ quando poſſeſſori m. f. non reſtituendæ.

Impenſæ voluptuariæ, quas poſſeſſor tollere nequit, dominus autem non facturus erat, poſſeſſori malæ fidei reſtituendæ non ſunt. Si impenſæ voluptuariæ, quas poſſeſſor tollere nequit, eidem non reſtituuntur, jacturam ſui facit (§. 613. 487.), adeoque damnum incurrit (§. 486.). Quodſi dominus eas reſtituere debet, quas ipſe facturus non erat; eodem modo patet, quod ipſe damnum patiatur. Quamobrem damnum poſſeſſoris & damnum domini inter ſe colliduntur. Enimvero cum poſſeſſor malæ fidei ſit *per hyp.* adeoque norit, ſe impenſas in rem alienam facere (§. 153.); incogitantiæ (§. 748. *part. I. Phil. pract. univ.*), aut imprudentiæ ipſius tribuendum, quod faciat impenſas, quas num dominus facturus fuerat ignorat (§. 776. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque tam incogitantia, quam imprudentia culpa eſt (§. 749. 777. *part. I. Phil. pract. univ.*); damnum, quod emergit, dum res domino ſuo reſtituenda (§. 47[illegible]), culpa

pa poſſeſſoris emergit. Per ſe autem patet, cum impenſæ factæ fuerint domino inconſulto, immo prorſus invito in præſenti caſu, quo eas ipſe facturus non erat, dominum omni culpa vacare. Enimvero ſi damnum ejus, cujus culpa accidit, colliditur cum damno alterius, qui omni culpa vacat, damnum ferre debet is, cujus culpa eſt (§. 629.). Quamobrem in caſu præſente damnum quoque ferre debet poſſeſſor malæ fidei. Atque adeo patet, impenſas voluptuarias, quas poſſeſſor tollere nequit, dominus autem facturus non fuerat, poſſeſſori malæ fidei reſtituendas non eſſe.

Eodem prorſus modo oſtendi poterat, poſſeſſori malæ fidei non reſtituendas eſſe impenſas utiles, quas ipſe tollere nequit ſine rei detrimento, vel etiam prorſus tollore non poteſt, dominus autem facturus non fuerat: quod paulo ante alio modo demonſtravimus (§. 626.).

§. 634.

Quando reſtituendæ.

Impenſas voluptuarias, quæ vel ſimpliciter vel ſine detrimento rei tolli nequeunt, dominus poſſeſſori m. f. reſtituere debet, ſi quidem ipſe eas facturus fuiſſet. Oſtenditur eodem modo, quo ſupra demonſtravimus, impenſas utiles poſſeſſori m. f. reſtituendas eſſe a domino, quibus res fructuoſior facta (§. 625.).

Jus civile promiſcue denegat reſtitutionem impenſarum voluptuariarum poſſeſſori m. f. nec concedit niſi jus tollendi, ſi quidem tolli poſſunt ſine ſui corruptione, quæ tolluntur ac ſine detrimento rei: ſed hoc magis pœnale, quam naturale dicendum.

§. 635.

In quantum reſtituendæ.

Si impenſæ quædam poſſeſſori reſtituendæ; in tantum reſti-

tuendæ, quantum valent tempore reſtitutionis rei. Nimirum tanto pretioſior evadit res, quantum valent impenſæ tempore reſtitutionis; aut, ſi mavis tanto dominus fieret locupletior, ſi impenſas non reſtitueret, cum damno poſſeſſoris (§. 486. 582.). Quoniam itaque nemo cum damno alterius locupletari debet (§. 585.); ſi impenſæ voluptuariæ poſſeſſori reſtituendæ, in tantum reſtituendæ, quantum valent tempore reſtitutionis rei.

Nimirum cum nemo plus habere debeat, quam quod habere debet; tempore reſtitutionis rei poſſeſſor tantundem habere debet, facta reſtitutione, quantum haberet, ſi impenſas retineret. Enimvero ſi impenſas retineret, tantundem haberet, quantum eædem valent tempore reſtitutionis. Quamobrem nec plus ipſi reſtituendum a domino, ut habeat quod ſuum eſt, ſeu quantum habere debet. Tantundem nimirum reſtituitur poſſeſſori, quantum habiturus erat, ſi impenſas retineret: ita nimirum conqueri nequit, quod minus habeat, quam habere debebat. Sane ſi plus reſtituere deberet dominus, quam impenſæ valent tempore reſtitutionis rei; plus daret, quam acciperet, adeoque poſſeſſor fieret lucupletior cum damno domini: quod ferendum non eſt (§. 585.).

§. 636.

Deductio impenſarum quid ſit.

Impenſas deducere dicitur poſſeſſor, ſi tanto minus reſtituit, quantum valent tempore reſtitutionis rei.

E. gr. ponamus poſſeſſorem domino cum re reſtituere debere ob fructus conſumtos centum quinquaginta aureos, impenſas autem, quas facit, eo tempore, quo reſtitutio fit, æſtimari 120. Deducit is impenſas, ſi loco 150. aureorum domino non reſtituit niſi 30.

§. 637.

Poſſeſſori competit jus impenſas, quæ ipſi reſtituendæ ſunt, deducendi. Etenim ſi poſſeſſor ob fructus conſumtos reſtituere tenetur 150. aureos, impenſæ autem, quas viciſſim dominus ipſi reſtituere tenetur, tempore reſtitutionis rei valent 120; revera ipſi non debet reſtituere niſi 20. aureos, ut habeat, quantum habere debet. Quoniam itaque 20. aureos domino reſtituens, eidem quod ſuum eſt tribuit (§. 923. *part. I. Jur. nat.*); obligationi naturali, qua unusquisque ſuum cuique tribuere tenetur, ſatisfecit (§. 924. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter ultra 20. aureos domino nil reſtituere debet. Enimvero dum hoc facit, impenſas deducit (§. 636.), adeoque ex mutua illa fructuum & impenſarum obligatione naſcitur jus deducendi impenſas (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*), conſequenter jus deducendi impenſas reſtituendas poſſeſſori competit.

Jus deducendi impenſas.

Juſtitia, quæ ſuum cuique tribui jubet (§. 926. *part. I. Jur. nat.*), non exigit, niſi ut unusquisque tantundem habeat, quantum habere debet. Quoniam jus deducendi impenſas huc facit, ut non minus poſſeſſor, quam dominus habeat, quantum habere debet; jus deducendi impenſas juſtitiæ convenit. Probe autem notandum eſt, quod ex demonſtratione liquet, jus hoc naſci ex mutua obligatione reſtituendorum fructuum & impenſarum, ſive fructus ſint conſumti, ſive adhuc extent, ut nulla habenda ſit ratio voluntatis domini, utrum ſcilicet is velit impenſas deduci, nec ne. Eadem enim neceſſitas eſt, ut tu tantum habeas, quantum valent impenſæ tempore reſtitutionis rei, quam ut dominus habeat fructus ipſi debitos, quemadmodum ex demonſtrationibus anterioribus liquet, & eodem momento, quo tu fructus domino debitos reſtituere teneris, ipſe viciſſim impenſas tibi reſtituere tenetur. Unde reſtitutio, ad quam

tene-

tenetur poſſeſſor, non intelligitur, niſi deductis impenſis. Nimirum antequam dici poſſit, ad quid reſtituendum domino teneatur poſſeſſor, impenſæ deducendæ ſunt.

§. 638.

Quid in reſtitutione rei tenendum quoad fructus pendentes.

Res reſtituenda eſt domino cum fructibus naturalibus pendentibus: poſſeſſori autem competit rata induſtrialium pro ratione impenſarum in ſationem factarum, rata domini æſtimanda ex uſu fundi & impenſis in perceptionem faciendis. Quilibet poſſeſſor rei alienæ rem ſuam domino reſtituere tenetur (§. 471.), & fructus pure naturales domini ſunt adhuc pendentes (§. 440.). Quoniam itaque poſſeſſori jus nullum eſt eos percipiendi; res omnino reſtituenda eſt domino cum fructibus naturalibus pendentibus. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi tu fundum meum ſive bona, ſive mala fide poſſides, fructus induſtriales communes ſunt mihi & tibi pro rata, quantum nimirum valet uſus fundi mei & cultura ac cura tua (§. 443.). Enimvero cum fundum reſtituas, dum fructus adhuc pendent *per hyp.* adeoque a fundo nondum ſeparati ſunt (§. 433.); impenſas non feciſti niſi in ſationem, dominus vero facere debet in fructuum perceptionem. Quamobrem rata tua æſtimanda eſt ex impenſis in ſationem, rata vero domini ex uſu fundi & impenſis in perceptionem. *Quod erat alterum.*

Qui ex ſuperioribus didicit, fructus induſtriales non minus eſſe fructus culturæ ac curæ, quam rei, ex qua proveniunt (§. 439.); ei paradoxum minime videbitur, quod hic aſſeritur, etſi cum Jure civili non conveniat. Quomodo vero rata poſſeſſori & domino debita computanda ſit, facile intelligitur. Etenim primo fructus dividuntur in ratione omnium impenſarum & uſus fundi, quem ſuam æſtima-

Digitized by Google

ſtimationem habere conſtat. Dein pars prior denuo dividitur in ratione impenſarum in ſationem & impenſarum in perceptionem fructuum factarum, & pars reſpondens impenſis in ſationem poſſeſſori cedit; ceteri autem* fructus manent domini.

§. 639.

Præmium inventionis dicitur, quod datur inventori rei amiſſæ, quia eandem domino reſtituit. *Præmium inventionis quid ſit.*

E. gr. Ponamus me amiſiſſe horologium portatile, quod tu inveniſti. Quando ego tibi do duos aureos, quia horologium a me amiſſum & a te inventum mihi reſtituis; duo aurei ſunt præmium inventionis. Quoniam facta æquipollent rebus, quatenus perinde ac hæ certo pretio æſtimantur; præmium inventionis etiam in facto conſiſtere poteſt, quando nimium facio, quod ut facerem tu mihi quid dare deberes. Perinde igitur eſt, ſive ego tibi hoc faciam, quia rem meam mihi reſtituis, ſive tibi dem, quod tu mihi dare deberes, ut iſtud facerem.

§. 640.

Inventor rei alienæ nullum habet jus petendi a domino, cui rem amiſſam reſtituit, præmium inventionis. Etenim dum inventor domino rem amiſſam, quam invenit, reſtituit, dominus recipit quod ſuum eſt (§. 420.), non quod tuum eſt (§. 422.). Quamobrem nec dominus plus habet, quam habere debebat, nec tu minus habes, quam habere debebas. Sola igitur reſtitutione rei inventæ ſatisfit obligationi, qua efficere prohibemur, ut quis minus habeat, quam habere debeat (§. 579.). Nulla igitur ratio eſt, cur dominus inventori quid dare debeat, quod ipſi rem ſuam reſtituit (§. 56.), adeoque nec habet jus præmium inventionis petendi a domino (§. 70. *Ontol.* & §. 639.). *An præmium inventionis petere liceat.*

Digitized by Google

Vulgi opinio eſt, quaſi dominus debeat inventori præmium inventionis dare, dum rem amiſſam recipit. Exiſtimant enim, cum rem recipit, præmium vero inventionis dat, eum damnum minus pati, quam ſi jacturam totius rei feciſſet: damnum autem minus præferendum eſſe majori, ſiquidem illo hoc evitatur. Quamvis vero in eo non ſit, quod reprehendas, non tamen hinc ſequitur, præmium inventionis eſſe debitum. Qui hoc ſibi perſuadent, non perpendunt, quanta ſit obligatio rem amiſſam domino reſtituendi (§. 472.), ita ut in ea furtum committatur, ſi doloſe non reſtituatur (§. 526.) Eccur enim alter tibi obligatus eſſe debet ad dandum præmium, quod tu furtum committere nolueris in re ipſius. Nullum tibi jus eſt rem amiſſam tollendi, niſi animo eam domino reſtituendi. Reſtitutio non eſt voluntatis tuæ, ſed neceſſitatis. Ex facto igitur tuo alter tibi non obligatur: nec obligatur ex re, quippe res ipſius manet, etiamſi ab ipſo fuerit amiſſa (§. 420.), nec tu eius efficeris dominus, dum eam inveniſti (§. 421.), Quamobrem ſi quis ſponte ſua inventori dat præmium, non facit, quod debet, ſed quod lubet.

§. 641.

Quandonam ad impenſas teneatur dominus inventori.

Impenſæ in rem amiſſam adipiſcendam & conſervandam factæ a domino ſunt reſtituendæ inventori. Etenim ſi ſine impenſis iſtis rem adipiſci non potuiſſes, ac ideo dominus eandem vel prorſus non recuperaſſet, vel recuperatio difficilior facta fuiſſet; impenſæ iſtæ una cum impenſis in rei conſervationem factis neceſſariæ ſunt (§. 604.). Eodem igitur modo oſtenditur porro, impenſas haſce inventori a domino reſtituendas eſſe, quo ſupra evicimus, poſſeſſori tam bonæ, quam malæ fidei impenſas neceſſarias eſſe reſtituendas (§. 623.).

Quo-

Digitized by Google

Quoniam operæ noſtræ æquipollent rebus, quæ ſunt in dominio noſtro (§. 437.), & ſuo loco patebit, eas æſtimationem perinde ac res recipere, quemadmodum jam ſupra annotavimus (*not.* §. 436.); impenſis in rem adipiſcendam factis etiam annumerandas eſſe operas facile intelligitur per ipſam impenſarum definitionem (§. 603.).

§. 642.

Quoniam res naufragæ & navis levandæ cauſa in mare ejectæ æquiparantur rebus amiſſis (*not.* §. 427.), impenſæ autem in rem amiſſam adipiſcendum factæ inventori a domino reſtituendæ ſunt (§. 641.); *impenſa etiam, quas inter quoque operarum æſtimatio eſt (not.* §. 641.), *in res naufragas & ejectas adipiſcendas facta a domino reſtituenda ſunt, qui eas nactus eſt.* *Quando in reſtitutione rerum naufragarum & ejectarum.*

In rebus naufragis & ejectis multo clarius apparet, quod dominus ſine iſtis impenſis eas recuperare non potuiſſet. Quamobrem cum impenſæ factæ præſumantur voluntate domini; idem etiam alio adhuc modo demonſtrari poterat ex quaſi pacto inter dominum & eum, qui illas adipiſci ſtuduit, intercedente, prouti ſuo loco conſtabit.

§. 643.

Quoniam pabulum in conſervationem animalium impenditur, quod vero in rem amiſſam conſervandam impenditur, a domino reſtituendum (§. 641.); *ſi animalia manſueta & manſuefacta, quæ in poteſtatem tuam venerunt, domino reſtituuntur* (§. 479. 480.), *hic viciſſim æſtimationem pabuli reſtituere tenetur.* Cumque eadem ſit ratio aliarum impenſarum in eorum conſervationem factarum, veluti medicamentorum, ſi forte morbo quodam laborent; *reſtituenda quoque ſunt impenſæ quæcunque aliæ, ſi quas forſan in eorum conſervationem fieri neceſſe erat.* *Quænam reſtituere debeat dominus, dum animalia ſua recipit.*

Animalia ſunt in numero rerum: quæ in eorum conſervationem impenduntur, impenſæ neceſſariæ ſunt (§. 604.), a domino reſtituendæ, cum ea recipit (§. 623.). Immo in genere patet, quæ de impenſarum in rem alienam factarum demonſtrata ſunt, (§. 623. *& ſeqq.*), ea quoque ad animalia tam manſueta, quam manſuetacta applicanda eſſe. Ita ſi canis alienus, qui in poteſtatem tuam venit, collari fuerit ornatus, cum collare ſit in numero impenſarum voluptuariarum (§. 606.), certo caſu utilium numero (§. 605.), tolli autem poſſit ſalvo cane; collare tollere licet, ubi reſtituitur canis (§. 624.).

§. 644.

Jus deducendi æſtimationem fructuum & uſus ex impenſis in animal reſtituendum.

Domino competit jus deducendi æſtimationem fructuum & uſus ex impenſis in conſervationem animalis ab eo factis, in cujus poteſtatem venerat. Oſtenditur eodem modo, quo ſupra (§. 637.) demonſtravimus poſſeſſori rem cum fructibus reſtituenti competere jus deducendi impenſas, ſumto ſcilicet ex antecedentibus, quod domino reſtituendi ſunt fructus percepti & viciſſim reſtituenti fructus reſtituendæ ſint impenſæ in conſervationem animalis factæ.

Cum animalia ſint in numero rerum, quomodo fructus reſtituendi computentur, ex ſuperioribus abunde liquet, quæ de fructibus ex re aliena perceptis in genere demonſtrata ſunt. Et quia uſus, quem animalia præbent, fructibus accenſentur; ejus quoque æſtimatio ex iisdem principiis definitur.

§. 645.

Alimenta animalium quando non reſtituenda.

Si animalia quædam aluntur propter ſolum uſum, quicunque tandem is fuerit; dominus ſine pabuli reſtitutione animal ſuum recipere debet. Etenim ſi animalia aluntur propter ſolum uſum, pabulum, quod impenditur, eidem æquipollet. Quam-

Quamobrem cum uſum habeat is, in cujus poteſtate eſt, domino autem competit jus deducendi æſtimationem uſus ex impenſis in conſervationem animalis factis, quæ hic ſunt pabulum (§. 644.); nihil relinquitur, quod animal reſtituenti viciſſim reſtitui debeat. Quamobrem ſi animalia quædam aluntur propter ſolum uſum, quicunque tandem is fuerit; dominus ſine pabuli reſtitutione animal ſuum recipere debet.

Si qui canes aluntur ſolius animi gratia, vel cuſtodiæ domus cauſa; eos reſtituenti nulla debetur alimenti reſtitutio. Eadem eſt ratio in oſcinibus, pavonibus, ciconiis. Qui enim avibus hiſce alimenta præbet, hoc non facit, niſi quod vel cantu oſcinum, vel pavonum & ciconiarum adſpectu delectetur.

§. 646.

Natura competit jus belli in eum, qui fructus vel impenſas reſtituendas reſtituere non vult. Fructus & impenſæ ſunt in numero rerum, quod nemo non concedit, & æſtimatio in locum fructuum & impenſarum ſuccedens, pro re non minus habenda. Quoniam vero ex lege naturæ patet, quid fructuum & impenſarum reſtituendum ſit, quemadmodum ex ſuperioribus abunde conſtat; lex quoque probat, quinam fructus ſint res tua, quænam impenſæ res tua ſint, ut adeo fructus haberi debeant pro re domino ſuo reſtituenda, & eodem modo ſpectentur impenſæ, quæ reſtitui debent. Enimvero natura domino competit jus belli in eum, qui rem, quam ſuam eſſe probavit, ipſi reſtituere non vult (§. 547.). Ergo etiam natura competit jus belli in eum, qui fructus vel impenſas reſtituendas reſtituere non vult.

Jus belli in eum, qui fructus vel impenſas reſtituere non vult.

Propoſitio præſens probe notanda eſt, ut ſuo loco demoſtrari poſſit, quid in civitate juris eſſe debeat circa rerum, fructuum ex iis perceptorum & impenſarum reſtitutionem.

§. 647.

Res aliena non corrumpenda, nec deterioranda.

Nemo rem alterius corrumpere ſeu deſtruere aut deteriorare debet. Etenim ſi res corrumpitur vel deſtruitur, dominus ejus jacturam facit (§. 457.). Quamobrem ſi tu eandem corrumpis, vel deſtruis in cauſa es, ut jacturam rei ſuæ faciat (§. 881. *Ontol.*), conſequenter tu eidem damnum das (§. 488.). Similiter ſi res deterioratur, pretium ejus imminuitur, adeoque dominus, qui jacturam facit partis, qua pretium deminuitur (§. 487.), jacturam partis rei ſuæ feciſſe dicendus eſt. Et quoniam tu, qui rem deteriorem effeciſti, in cauſa es, ut hanc jacturam ſui faciat dominus (§. 881. *Ontol.*), denuo eidem damnus das (§. 488.). Enimvero nemo alteri damnum dare debet (§. 495.). Ergo etiam nemo rem alterius corrumpere vel deſtruere aut deteriorem reddere debet.

Perinde autem eſt ſive dolo, ſive culpa rem alterius corrumpas, aut deteriorem reddas, cum damnum culpoſum non minus lege naturali prohibitum ſit, quam doloſum (§. 496.). Ceterum hanc propoſitionem addere libuit, quod ea ad alia demonſtranda ſuo loco utemur.

§. 648.

An id liceat domino.

Dominus rem ſuam nulla urgente naturali obligatione deſtruere, corrumpere vel deteriorem reddere non debet. Etenim dominus re ſua non aliter uti debet, quam ut obligationi cuidam naturali ſatisfaciat (§. 167.), conſequenter ipſi permiſſum non eſt, ut nulla obligatione naturali urgente rem ſuam

deſtruat,

Digitized by Google

deſtruat, corrumpat vel deteriorem reddat, adeoque hoc facere minime debet (§. 722. *part. I. Jur. nat.*).

Quod hoc minime repugnet liberæ de re ſua diſpoſitioni, in qua dominium conſiſtit (§. 118.) in ſuperioribus jam annotavimus (*not.* §. 167.). Hinc ſuo loco oſtendemus, etſi aliis ferendum ſit, ut dominus re ſua male utatur (§. 169.), hoc ipſo tamen violari jus imperfectum aliorum: quod etſi injuria non ſit (§. 859. *part. I. Jur. nat.*), adeoque impune fiat inter homines (§. 549.), peccatum tamen eſt (§. 446. *part. I. Phil. pract. univ.*).

§. 649.

Exercitium dominii ſunt actus vi dominii domino liciti aut eidem ſaltem permittendi. *Exercitium dominii quid ſit.*

Actus quinam liciti ſint, ex iis patet, quæ ſuperius de uſu rei ſuæ licito demonſtrata ſunt (§. 167.); quinam ſaltem permittendi, etſi in ſe illiciti, ex iis dijudicandum, quæ de abuſu rei ſuæ (§. 168.) jure naturali prohibito (§. 170.), ſed a non domino permittendo (§. 169.) demonſtrata ſunt. Utrumque vero actuum genus fluit ex ipſa dominii notione.

§. 650.

Nemo alterum in exercitio dominii ſui ullo modo impedire debet. Quoniam enim exercitium dominii abſolvitur actibus vi dominii domino licitis, aut eidem ſaltem permittendis (§. 649.); actus omnes, quibus dominus in exercitio dominii ſui ullo modo impeditur, ſunt actus dominio contrarii. Quamobrem cum actus omnes dominio alterius contrarii illiciti ſint (§. 123.); actus quoque omnes, quibus dominus in exercitio dominii ſui ullo modo impeditur, illiciti ſunt, conſequenter nemo alterum in exercitio dominii ſui ullo modo impedire debet (§. 170. *part. I. Phil. pract. un.*). *Exercitium dominii nullo modo impediendum.*

Equi-

Digitized by Google

Equidem per ea, quæ de actibus dominio alterius contrariis illicitis annotavimus (*not.* §. 123.), jam conſtare poterat, neminem alterum in exercitio dominii ſui ullo modo impedire debere: placuit tamen ob frequentem hujus principii uſum idem diſertius inculcare. Immo hujus principii etiam ſuus erit uſus, quando de dominio eminente in civitate obtinente acturi ſumus.

§. 651.

Idem ſpecialius expenditur.

Quoniam nemo alterum in exercitio dominii ſui ullo modo impedire debet (§. 650.), dominium vero continet facultatem de rei ſubſtantia & quolibet ejus uſu atque fructu pro arbitrio diſponendi (§. 135. 136.); *nemo hominum ullo modo impedire debet, quo minus de rei ſuæ ſubſtantia, uſu ac fructu pro arbitrio diſponat.*

Tot ſunt actus, quos impedire illicitum, quot domino vi dominii liciti aut ſaltem permittendi ſunt. Ad tria tamen genera revocari poſſunt, prouti nimirum conſiſtunt vel in exercitio proprietatis, vel juris utendi, vel juris fruendi. Prolixum vero nimis foret omnes iſtos actus recenſere & in modos, quibus impediri poſſunt, inquirere. Ita contra jus proprietatis eſt, ſi quis impedire velit, ne dominus rem ſuam alienare poſſit: contra jus utendi eſt, ſi impedire velit, ne ædes ſuas incolat: contra jus fruendi eſt, ſi impedire velit, ne ligna in ſylva ſua cædat, aut in piſcina ſua piſces capiat, vel alat, item ne fundum ſuum fructuoſiorem efficiat.

§. 652.

Abſtinentia ab omni actu domino licito aut permittendo.

Nemo ſibi actum ullum vi dominii domino licitum aut ſaltem permittendum arrogare debet. Etenim domino competit jus interdicendi cuivis non domino omni actu vi dominii licito, nec patiendi, ut quis alius faciat quicquam ſe invito, quod

Digitized by Google

quod ſibi vi dominii facere licet (§. 121.). Ac idem etiam intelligitur de quovis actu domino ſaltem permittendo (§. 169.). Hi igitur actus, quando ſibi eos, arrogat alius dominio contrarii ſunt. Omnes vero actus dominio alterius contrarii illiciti ſunt (§. 123.). Ergo etiam illicitus fit actus quicunque, quando ſibi eum arrogat non dominus, qui domino licitus erat, aut ſaltem permitti debebat. Quamobrem nemo ſibi actum ullum vi dominii domino licitum aut ſaltem permittendum arrogare debet.

Hinc multa demonſtrari poterant, quæ ſuperius alio modo demonſtrata fuerunt. Ceterum propoſitio præſens adeo evidens eſt, ut in dubium revocari non poſſit niſi ab eo, qui omni dominii notione diſtincta deſtituitur. Cum enim dominium involvat jus excludendi omni actu domino licito & vi dominii permittendo (§. 121. 169.); nullum omnino foret hoc jus abſque obligatione iisdem abſtinendi. Pone enim non dominum non obligari ad hanc abſtinentiam: ergo ipſi ſunt liciti actus ex jure dominii fluentes, conſequenter dominus non habet jus iisdem alteri interdicendi: quod utique abſurdum (§. 121.). Propoſitionem adeo præſentem admittere tenetur, niſi qui contradictoria aſſerere velit.

§. 653.

Exercitium juris in genere conſiſtit in actibus vi juris ei licitis, cui idem competit. *Exercitium juris in genere.*

Nimirum cum jus non ſit niſi facultas moralis agendi (§. 156. *Phil. pract. univ.*); qui jus aliquod habet, ei certi actus liciti ſunt, ſeu ipſa lege naturali eidem permittuntur. Quando igitur facit, quod jure ſuo facere poteſt, jus ſuum exercet. Ita jus venandi exercet, qui id habet, quando actu venatur: exercet jus aucupii, quando actu aves capit. Om-

Digitized by Google

nes omnium actus, qui ferarum vel avium capiendarum cauſa fiunt, ad exercitium juris venandi vel aucupii pertinent. Quodſi ergo jus fuerit proprium, nemini niſi ei, cui jus proprium competit, actus iſti liciti ſunt, ſeu ipſa lege permittuntur.

§. 654.

Jure ſuo quinam utatur.

Jure ſuo utitur, qui facit, quod vi juris ſui facere poteſt, adeoque eos edit actus, qui ad exercitium juris ſui pertinent (§. 653.).

Ita jure ſuo utitur qui feras capit in eo diſtrictu, in quo venandi jus habet; qui piſcatur in ea fluvii parte, ubi jus piſcandi habet; qui aves capit eas, quas capiendi in aliquo diſtrictu jus habet. Et dominus utitur ſuo jure, dum ſylvam arboribus excisis in arvum convertit.

§. 655.

Obligatio non impediendi exercitium juris.

Nemo alterum in exercitio ſui juris ullo modo impedire debet. Etenim nemo quicquam facere debet, quod eſt contra jus alterius (§. 910. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum contra jus alterius ſit, ſi quis uſum ejus quocunque modo impedit (§. 239. *part. I. Phil. pract. un.*), conſequenter ſi impedit, quo minus facere poſſit, quod vi juris ſui facere poterat (§. 654.); nemo alterum in exercitio ſui juris ullo modo impedire debet (§. 653.).

Oſtenditur etiam hoc modo. Nemo alterum impedire debet, quo minus jure ſuo utatur (§. 180. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque jure ſuo utitur qui facit quod vi juris ſui facere poteſt (§. 654.), & in his actibus exercitium juris conſiſtit, (§. 653.); nemo alterum quocunque modo in exercitio juris ſui impedire debet.

Lubet

Lubet hic in genere demonſtrare, quæ de dominio in ſpecie demonſtranda erunt hoc loco propterea quod principiis generalibus etiam haud raro ſit locus.

§. 656.

Nemo ſibi actum ullum vi juris proprii alteri licitum arrogare Abſtinentia debet. Etenim jure proprio excludimus ceteros omnes *ab omni actu* eodem jure (§. 119.), conſequenter nemo facere poteſt *vi juris pro-* (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*), quod vi juris proprii nobis *prii alteri li-* facere licet (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quilibet adeo *cito.* obligatur ad non faciendum, quod vi juris proprii nobis facere licet (§. 118. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque hoc facere audet, qui actum quendam vi juris proprii alteri licitum ſibi arrogat, quod per ſe patet; nemo quoque ſibi actum ullum vi juris proprii alteri licitum arrogare debet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui quendam actum ſibi arrogat vi juris proprii alteri licitum, is quoad hunc actum jus alterius tollit, aut, ſi mavis, jus alterius diminuit, cum is vi juris proprii iſto actu ceteros omnes excludat (§. 119.). Enimvero nemo quicquam facere debet contra jus alterius (§. 910. *part. I. Jur. nat.*). Ergo nemo ſibi actum ullum vi juris proprii alteri licitum arrogare debet.

Cum dominium ſit jus proprium (§. 118.); quod paulo ante de dominio demonſtravimus (§. 652.), per modum corollarii ſubſumere poteramus. Non tamen piget in genere demonſtrare, quæ pro inſtituti ratione in ſpecie demonſtrata fuerunt, cum in omnibus operibus noſtris methodi non modo ſyntheticæ, verum etiam analyticæ rationem habeamus. Oſtendendum itaque, quomodo ſpecialium

Digitized by Google

cognitio nos deducat ad cognitionem generalium, ita ut generalia ex ſpecialibus antea cognitis deriventur, etſi deinde qui brevitati ſtuduerit ac evidentiæ adſuetus fuerit, ſpecialia ex univerſalibus per modum corollarii inferre poſſit, quamvis minore claritate, cujus initio major habenda ratio eſt, cum animum ad ſcientiam appellimus.

§. 657.

Fundi immutatio quid ſit.

Fundum immutare dicitur, qui certo cuidam uſui deſtinatum alii deſtinat.

Ita fundum immutat, qui arboribus excifis ſylvam in agrum fertilem convertit: fundum etiam immutat, qui ex pomario facit viretum, nec non qui ædes extruit in eo ſolo, in quo erat hortus, vel ex adverſo ex horreo facit equile ac bovile, aut ovile, vel etiam ex agro piſcinam & contra.

§. 658.

Fundi immutatio qualis ſit actus.

Qui fundum immutat, de ipſa rei ſubſtantia diſponit. Etenim qui fundum immutat, eundem alii uſui deſtinat, quam antea deſtinabatur (§. 657.). Enimvero cum res in Jure non ſpectentur niſi quoad uſum, quem habent (§. 495. *part. I. Jur. nat.*); fundi quoque in ſuas ſpecis diſtinguuntur per uſum, quem nobis præbent. Quamobrem qui fundum immutat, rem alterius ſpeciei facit, quam cujus antea erat, adeoque de ipſa rei ſubſtantia diſponit.

Non eſt, quod excipias, quia fundi immutatione intenditur aliquis uſus (§. 657.), qui fundum immutat, eum de uſu fundi diſponere: quando enim dicimus diſponere de uſu rei, tum ſupponitur uſus, qualem res habere poteſt, qualis nunc eſt, v. gr. qualem habere poteſt pomarium, quamdiu manet pomarium, vel qualem habere poteſt piſcina, quamdiu piſcina manet. De re igitur ipſa, conſequenter recepto loquendi uſu de ſubſtantia rei diſponit, qui rem

Digitized by Google

rem immutat, ut non amplius eum uſum habere poſſit, quem ante habuerat, ſed alium prorſus ab eo diverſum habet, quem ante habere non poterat. Sane nemo negabit de ſubſtantia auri diſponere eum, qui ex eo annulum fieri curat, aut monetam cudi jubet. Quæ autem hic accedit auri immutatio non differt ab immutatione fundi (§. 657.).

§. 659.

Quoniam de ſubſtantia rei diſponit, qui fundum immutat (§. 658.), de rei autem ſubſtantia diſponere nequit, niſi qui jus proprietatis habet (§. 131.); *Fundum quoque immutare non licet ei, qui jus proprietatis non habet* (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). *Cuinam immutatio fundi non licita.*

§. 660.

Dominus, ſeu qui dominium plenum habet, jus habet fundum immutandi pro arbitrio ſuo. Quoniam enim dominium plenum etiam proprietatem habet (§. 137.), proprietas vero jus eſt pro arbitrio ſuo diſponendi de ipſa ſubſtantia rei (§. 131.); qui dominium plenum habet, ſeu dominus de ipſa rei ſubſtantia quomodocunque pro arbitrio ſuo diſponendi jus habet. Enimvero qui fundum immutat de ſubſtantia rei diſponit (§. 658.). Ergo domino ſeu ei, qui dominium plenum habet, competit jus fundum pro arbitrio ſuo immutandi. *Jus immutandi.*

Nemo ſimpliciter dominus dicitur, niſi qui dominium plenum habet. Quando enim dominium ſimpliciter dicitur, non intelligitur niſi plenum prouti ſuo loco clarius eluceſcet. Immo qui nihil proprietatis in re habet, nec ſine reſtrictione dominus dici ſuevit, quemadmodum ſuo loco patebit, quando de jure in re aliena conſtituto acturi ſumus.

§. 661.

Translatio juris in alium quid ſit. *Jus ſuum in alium transferre* dicitur, qui verbis vel factis ſufficienter declarat, ſe velle ut jus, quod ſibi competebat, ſit alterius.

E. gr. Ponamus mihi competere jus proprium piſcandi in certa fluvii parte. Quodſi tibi dicam jus, quod mihi proprium erat, tibi proprium eſſe debere, jus meum piſcandi in te transfero. Quod vero etiam facto & non facto meo voluntatem meam alteri declarare poſſim ſuo videbimus loco.

§. 662.

Alienatio rei quid ſit. Translatio dominii, quod quis in re quadam habet, in alium *Alienatio rei* appellatur.

Transfero dominium meum in te, ſi verbis vel factis declaro, velle me, ut res, quæ mea eſt, ſit tua. Quando itaque res a me alienatur, quod meum erat ut ſit alterius volo. Ita ſi librum meum volo eſſe tuum & hanc voluntatem meam ſufficienter indico, librum alienavi. Et idem eodem modo intelligitur de re alia quacunque.

§. 663.

Quomodo diſponatur, in alienatione rei. *Qui rem alienat, de ipſa ſubſtantia rei diſponit.* Etenim qui rem alienat, dominium, quod in ea habet, in alterum transfert (§. 662.), adeoque ſufficienter indicat ſe velle ut dominium, quod in ea habet, alteri competat (§. 661.), conſequenter ut res, quæ ſua erat, ſit alterius (§. 124.), de ipſa igitur re, aut, ſi mavis, ſubſtantia rei, non de ejus uſu aut fructu diſponit.

Liber a me alienatur, ſi, qui meus erat, eum volo eſſe tuum tibique ſufficienter indico voluntatem meam (*not.* §. 662.). De ipſo igitur libro, ſeu ſubſtantia libri diſpono, quando eum alienare lubet.

§. 664.

§. 664.

Qui proprietatem habet, rem alienandi jus habet. Etenim qui rem alienat, de ſubſtantia rei diſponit (§. 663.). Quamobrem cum de ſubſtantia rei pro arbirio ſuo diſponere poſſit, qui proprietatem habet (§. 131.), qui proprietatem habet, rem quoque alienare poteſt, ſeu eidem competit jus rem alienandi. *Quinam rem alienare poſſit.*

Domino tanquam proprietariò competit jus de ſubſtantia ſua quocunque modo pro arbitrio ſuo diſponendi (§. 131.). Inter hoſce modos, quibus de ſubſtantia rei diſponitur, eſt etiam alienatio. Quodſi ergo hæc domino non competere debet, poteſtas ejus de ſubſtantia rei diſponendi reſtricta eſſe deberet: quod a natura dominii abhorret. Quare jus alienandi continetur in proprietate tanquam pars in toto.

§. 665.

Dominus ſeu qui plenum dominium habet, rem alienare poteſt, ſeu domino competit jus rem ſuam pro arbitrio ſuo alienandi. Etenim qui proprietatem habet, is rem alienare poteſt (§. 664.). Sed dominus, cum dominium plenum proprietatem contineat (§. 137.), proprietatem rei habet. Ergo etiam rem alienare poteſt, ſeu ipſi competit jus rem ſuam pro arbitrio ſuo alienandi (§. 156. *part. I. Jur. nat.*). *Jus alienandi domino competens.*

Si liber fuerit tuus, ſola voluntate tua fieri poteſt alterius: jure enim proprietatis de ipſa rei ſubſtantia pro arbitrio tuo diſponis, dum librum tuum poſthac eſſe non vis, vis autem ut ſit alterius.

§. 666.

Qui proprietatem non habet, rem alienare non poteſt. Qui enim proprietatem non habet, is nec ullo modo de ſubſtantia rei pro arbitrio ſuo diſponere poteſt (§. 131.). Quoniam *Qui rem alienare non poſſit.*

Digitized by Google

niam itaque de ſubſtantia rei diſponit, qui eam alienat (§. 663.); rem quoque alienare nequit, qui proprietatem non habet.

§. 667.

An non dominus rem alienare poſſit.

Quoniam itaque dominus non eſt, qui dominium (§. 121.), conſequenter proprietatem non habet (§. 131.), qui vero proprietatem non habet, rem alienare non poteſt (§. 664.); *non dominus rem alienare non poteſt.* Quamobrem cum porro alienatio in translatione dominii in alium conſiſtat, quod in re quadam habet (§. 662.); *non dominus dominium rei alienæ in alium transferre nequit.*

Nemo a non domino efficitur rei dominus. Si liber hic tuus eſt, non meus, nec ego non dominus dominium ejus in alium transferre poſſum. Mea voluntate efficere non poſſum, ut liber, qui tuus eſt, tuus eſſe deſinat & alterius fiat.

§. 668.

Cuinam ſoli jus alienandi competat.

Nemo præter dominum rem alienare poteſt, ſeu domino ſoli competit jus rem alienandi. Etenim domino competit jus rem ſuam pro arbitrio ſuo alienandi (§. 665.), nec quisquam alius non dominus rem alienare poteſt (§. 667.). Præter dominum adeo nemo rem alienare poteſt, ac ipſi ſoli jus rem alienandi competit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Domino competit jus rem alienandi (§. 665.). Sed dominus omni jure ſuo excludit ceteros omnes (§. 120.): ergo etiam jure rem ſuam alienandi quemvis alium excludit. Ipſi igitur ſoli competit jus rem alienandi.

Aliter. Dominus rem ſuam alienare poteſt (§. 665.) vi proprietatis (§. 664. 665.), conſequenter dominii (§. 136.). Eſt

Eſt adeo alienatio actus vi dominii domino licitus (§. 170. *part. I. Jur. nat.*). Enimvero dominus habet jus interdicendi cuivis non domino omni actu vi dominii licito, nec patiendi, ut quis alius quicquam faciat ſe invito, quod ſibi vi dominii facere licet (§. 121.). Ergo jus quoque habet interdicendi cuivis non domino alienatione rei ſuæ, nec patiendi, ut quis alius eandem ſe invito alienet. Nemo igitur præter dominum rem alienare poteſt, conſequenter domino ſoli jus rem ſuam alienandi competit (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*).

Aut dominus es, aut non dominus. Si dominus es, jus quoque rem alienandi habes (§. 665.); ſi non dominus, nec tibi jus alienandi competit (§. 667.). Ecquis hinc non concludat, neminem eſſe præter dominum, qui rem alienare poſſit. Quamprimum enim admittis, præter dominum alium quoque hoc facere poſſe, non domino tribuendum erit jus, quod ei competere minime poſſe oſtendimus. Jus adeo alienandi cum dominio non modo indivulſo nexu cohæret; verum etiam ſine eo ſubſiſtere nequit.

§. 669.

Rei a non domino acceptæ num ſis dominus.

Qui rem quocunque modo a non domino accipit, dominus ejus non fit. Etenim non dominus nullum habet jus rem alterius alienandi (§. 667.), conſequenter cum alienatio in translatione dominii conſiſtat (§. 662.), dominium rei alienæ in alium ſua voluntate transferre nequit. Quamobrem qui rem quocunque modo a non domino accipit, in eum dominium non transfertur. Sed dominus non eſt, in cujus domino res non eſt (§. 121.). Ergo qui rem quocunque modo a non domino accipit, dominus ejus non fit.

Non attenditur hic differentia, utrum ſcias, nec ne, te rem a non domino accipere. Nihil enim ad dominii alterius in te translationem facit ſcientia, vel ignorantia tua: voluntas enim domini unicum translationis hujus principium eſt. Non vero ideo dominus velle dicendus eſt, ut res tua fiat, quæ ipſius erat, quod tu per errorem exiſtimes, qui tibi rem dat, eſſe dominum ejus, quemadmodum nec prodeſt ignorantia, quod a non domino dominum rei transferri non poſſit.

§. 670.

An res incorporales alienari poſſint.

Res incorporales etiam alienari poſſunt, quæ ſunt in dominio noſtro. Etenim alienatio eſt translatio dominii, quod quis in re quadam habet, in alium (§. 662.). Quamobrem dominium transfertur, ſi quis verbis vel factis declarat velle ſeſe, ut res, quæ in dominio ſuo erat, ſit in dominio alterius (§. 661.), per ſe autem patet, quod idem velle poſſit, qui rem quandam incorporalem in dominio habet; evidens omnino eſt, res etiam incorporales, quæ ſunt in dominio noſtro, alienari poſſe.

Res etiam incorporales dominio ſubjici poſſe, ſupra demonſtravimus (§. 216.). Neque abſurdum videri debet, nos habere dominium, conſequenter jus proprium (§. 118.), in jure quodam, veluti jure piſcandi aut venandi in aliquo diſtrictu. Vidimus enim in ſuperioribus (*not.* §. *cit.*), definitionem dominii non minus convenire rebus incorporalibus, quam corporalibus. Et quamvis demonſtraverimus (§. 663.), qui rem ſuam alienat, de ipſa ſubſtantia rei diſponere; nec hinc emergit difficultas, quæ inſuperabilis videri poteſt. Etenim de ipſa re, non de uſu aut fructu ejus diſponit, qui de ſubſtantia ejus diſponit. Quamobrem cum non minus de ipſo jure, quod tibi proprium eſt, diſponere poſſis, quam de ejus uſu vel inde percipiendo

do fructu; abſurdum cenſeri minime debet, ſi ad conſervandam universalitatem notionum de ipſa ſubſtantia rei corporalis, veluti juris piſcandi vel venandi, diſpoſuiſſe dicaris, ubi de ipſo jure diſponis, etſi aliquid ſubſit fictionis, qua res incorporales, quæ mera accidentia, ſpectantur inſtar rerum corporalium, quæ in numero ſubſtantiarum habentur. Iſtiusmodi fictiones non ſolum frequentes ſunt in jure, verum etiam in ipſa Matheſi, quemadmodum oculatiores facile perſpiciunt. Quid quod vocabulum ſubſtantiæ non eo præciſe ſenſu hic ſumatur, qui Philoſophis proprius eſt. Unde & de ſubſtantialibus fundi & contractuum loquuntur Juris periti, quas eſſe res incorporales nemo non novit. Sed de his apertius dicemus ſuo loco.

§. 671.

Jura quædam in ſpecie alienabilia.

Quoniam jus occupandi in genere (§. 319.), jus piſcandi (§. 218), jus aucupii (§. 228.), jus venandi in certo diſtrictu (§. 276.), vel feras certæ ſpeciei (§. 277.) in ſpecie, res utique incorporales (§. 497. *part. I. Jur. nat.*), dominio ſubjici poſſunt; *jus* etiam *occupandi in genere, ac in ſpecie jus piſcandi, jus aucupii, jus venandi in certo diſtrictu vel feras certæ ſpeciei alienari poſſunt.*

Jura etiam eſſe alienabilia & quænam ea ſint, quæ alienari poſſunt, cognitu admodum neceſſarium eſt. Hinc enim pendet ſolutio quæſtionum maxime arduarum, quemadmodum ſuo loco conſtabit, quando de imperio & ſervitute tam perſonali, quam ſervitutibus realibus, aliisque juribus acturi ſumus.

§. 672.

Alienatio conditionata & pura.

Alienatio conditionata eſt, quæ fit ſub certa conditione: *Alienatio pura* eſt, quæ fit absque ulla conditione, ſeu quæ conditionata non eſt.

Ita conditionata alienatio eſt, quæ fit ad certum tempus quo elapſo domino priſtino reſtituenda: aſt pura eſt, ſi v. gr. jus piſcandi, quod mihi erat, in perpetuum fit tuum, ut idem mihi nunquam reſtituere tenearis.

§. 673.

Quot modis dominus rem alienare licite poſſit.

Dominus rem ſuam non minus conditionate, quam pure alienare licite poteſt, & ſub licita quidem quacunque conditione. Etenim dominus vi proprietatis (§. 664.), quam dominium continet (§. 136.), rem ſuam pro arbitrio ſuo alienare poteſt (§. 665.), adeoque a voluntate ipſius unice pendet, utrum ſub certa conditione, an absque illa conditione eandem alienare velit. Quoniam itaque conditionata alienatio eſt, quæ fit ſub certa conditione (§. 672.); dominus quoque rem ſuam non minus conditionate, quam pure alienare licite poteſt. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam illicitum quod eſt, nemo facere debet, ſed ab omni potius homine omittendum (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*); conditio, ſub qua dominus rem ſuam alienat, licita eſſe debet. *Quod erat ſecundum.*

Et quia a domini voluntate unice pendet, in quantum rem ſuam alienare velit, *per demonſtrata n. 1.* evidens omnino eſt, quod ſub licita quacunque conditione rem ſuam alienare poſſit. *Quod erat tertium.*

* Loquimur hic de ea alienatione, quæ jure fit: unde addidimus, quod licite fieri poſſit (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*), non vero hic quæritur, quænam alienatio ſit valida: qua de re ſuo loco.

§. 674.

Quando alienatio ſub conditione

Nemo dominum impedire debet, quo minus ſub conditione etiam illicita rem ſuam alienet, quando ea conditione nulla ipſi fit injuria.

injuria. Quodſi dominus rem ſuam ſub conditione illicita alienat, omnino facit, quod obligationi cuidam naturali repugnat (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque re abutitur (§. 168.). Enimvero etſi abuſus rerum ſuarum lege naturali ſit prohibitus (§. 170.) nemini tamen jus eſt abuſum iſtum impediendi, quamdiu is, quis abutitur rebus ſuis, contra jus illius quid facit (§. 169.), conſequenter quando conditione iſta, ſub qua fit alienatio, nulla ipſi fit injuria (§. 859. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem nemo dominum impedire debet, quo minus ſub conditione etiam illicita rem ſuam alienat, quando ea conditione nulla ipſi fit injuria. *illicita naturaliter permittenda.*

In propoſitione præcedente oſtendimus, quid jure facere poſſit dominus; in præſenti autem, quid ſalvo jure ipſius eidem permitti debeat ab aliis, ſalva nimirum libertate naturali. Neque enim ex dominio in ſe ſpectato alienatio ſub conditione illicita fluit, ſed quatenus exercitium fit vi libertatis naturalis, quemadmodum ex iis intelligitur, quod ſupra annotavimus (*not.* §. 169.).

§. 675.

Dare idem ſignificat, ac dominium rei ſuæ transferre in alterum. Unde *Datio* eſt translatio dominii, quod quis in re habet, in alterum. *Dare quid ſit.*

Quando igitur dico: do tibi hunc librum; hoc idem ſignificat, ac libri hujus dominium in te transfero.

§. 676.

Nemo niſi dominus rem alteri dare poteſt. Etenim nemo præter dominum rem alienare (§. 668.), adeoque dominium ejus in alium transferre poteſt (§. 662.). Quamobrem cum datio rei ſit translatio dominii, quod quis in ea *Quinam alteri rem dare poſſit.*

habet alterum (§. 675.); nemo niſi dominus rem quandam alteri dare poteſt.

Hinc etiam patet, quo ſenſu verum ſit, quod vulgo dicitur: *Quod quis non habet, alteri dare non poteſt.* Nimirum ſi hoc ipſo negatur, qui dominium in re quadam non habet, ipſum in alium id transferre poſſe. Convenit adeo cum propoſitione paulo ante demonſtrata (§. 667.), quod non dominus dominium rei in alium transferre minime poſſit (§. 662.). Facile autem intelligitur, verum non eſſe: Quod quis habet, id alteri dare poteſt. Si enim vel maxime habere idem ſignificare hic debeat, ac tibi eſſe jus quodnium in re aliqua, aut, quod idem eſt, te in re aliqua domidam habere, nondum tamen hinc inferre licet, te etiam id alteri dare, hoc eſt, jus, quod tu in ea habes, te in alterum transferre poſſe. Poſſunt enim eſſe rationes, cur id non liceat, veluti ſi dominium habes dependens a voluntate alterius, qua tibi ademtum eſt jus alienandi, quod ineſt dominio pleno per ſe, quemadmodum antea ſuppoſuimus (§. 665.). Sed de eo apertius dicemus ſuo loco.

§. 677.

Quoniam nemo alteri rem dare poteſt niſi dominus (§. 676.); qui dominus rei non eſt, nec eam alteri dare poteſt. Quoniam itaque nemo rei alienæ dominus eſt (§. 146.); *nemo etiam alteri rem alienam dare poteſt.*

Ita ego tibi dare nequeo librum, qui meus non eſt: nec dare poſſum nummos, qui ſunt alterius. Quoniam vulgo *rem habere* dicitur is, in cujus poteſtate ea eſt; patet omnino, ambigui ſenſus eſſe, quod vulgo dicitur, te alteri dare non poſſe, quod non habes, & hoc ſenſu ex terminis manifeſtum eſt, univerſaliter verum non eſſe, quod alteri dare poſſis, quod habes, niſi dare ita explices, quod idem ſit ac efficere, ut in alterius veniat poteſtatem: id quod ſignifi-

gnificatui dationis minime convenit, quem ante ſumſimus (§. 675.). Ne igitur terminorum æquivocatione deludamur, a brocardico illo, quod quis non habet, alteri dare non poteſt, abſtinere præſtat.

§. 678.

Jus domini transferendi in alterum jus ad actus quoſdam.

Domino competit jus, ſive pure, ſive conditionate jus quoddam ad actum quemcunque vi dominii ſibi licitum in alium transferendi. Etenim domino competit jus rem ſuam pro arbitrio alienandi (§. 665.), tam pure, quam ſub conditione quacunque licita (§. 673.): immo etiam ipſi permittendum eſt, ut rem alienet ſub conditione illicita, quando eadem nulla fit injuria alteri (§. 674.). Quamobrem cum alienatio rei conſiſtat in translatione dominii, quod quis in ea habet, in alium (§. 662.) & exercitium dominii abſolvatur actibus domino vi ejuſdem licitis aut ſaltem permittendis (§. 649.): dominus rem alienans jus ad omnes actus vi dominii ſibi licitos aut ſaltem permittendos in eum transfert, in quem dominium transfert. Enimvero in ſe non repugnat, ut quis habeat jus ad certos quoſdam actus, non vero ad omnes. Domino igitur competere debet etiam jus in alium jus quoddam ad certum quendam actum vi dominii ſibi licitum ſive pure, ſive conditionate transferendi.

Continet dominium jus multiplex pro diverſitate objecti, de quo eſt domino libera diſponendi facultas (§. 136. 118.), quatenus ſcilicet vel de ſubſtantia rei ſeu re ipſa (§. 131.), vel de uſu, vel de fructu denique rei diſponi poteſt (§. 135.), & ex hiſce juribus reſultant jura alia, veluti jus alienandi (§. 665.), jus poſſidendi (§. 157.), jus fundum immutandi (§. 657.), jus vindicandi (§. 584.). Cum jus omne ſit facultas moralis quædam agendi (§. 156. *part. I Phil. pract. un.*), vi cujuslibet juris multi domino liciti ſunt actus (§. 170. *part. I. Phil.*

I. Phil. pract. univ.), in quibus exercitium juris conſiſtit (§. 653.). Libera domini de re ſua diſponendi poteſtas, cum etiam de rebus incorporalibus, qualia ſunt jura (§. 497. *part. I. Jur. nat.*) perinde ac de corporalibus, diſponi poſſit, quemadmodum quoad jus alienandi paulo ante vidimus (§. 670.), involvit etiam poteſtatem liberam de jure quocunque in dominio contento vel ex eodem reſultante diſponendi. Atque adeo jura hæc ſingula ſive tota, ſive partem aut particulam quandam alicujus juris alienare ſeu pro lubitu ſuo in alium transferre poteſt (§ 670.). Hæc qui perpendit, clare admodum perſpicit, quid ſibi velint jura ad actus vi dominii domino licitos aut ſaltem permittendos, nec minus perſpiciet non modo fieri poſſe, ut dominus jure ad quosdam actus ſe abdicet ac idem alteri cuicunque ſive pure, ſive ſub conditione quacunque concedat, verum etiam hoc ipſi licere, ut, quod facit, jure ſuo facere poſſit (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ*). Ceterum propoſitio præſens principium fœcundiſſimum eſt, unde multa pendent, quæ in parte tertia demonſtraturi ſumus, in qua de translatione dominii ex inſtituto agemus.

§. 679.

Translatio juris ad actum in certum tempus.

Quoniam domino competit jus in alterum transferendi jus quoddam ad actum quendam vi dominii ſibi licitum (§. 678.), jus autem hoc confertur ſub certa conditione, ſi tantummodo conceditur in certum tempus, ut conceſſio fiat ſub hac conditione, ne ultra hoc tempus jure ſibi conceſſo utatur, ſeu tempore hoc elapſo ab eodem abſtineat; *Domino competit jus in alium quemcunque jus ad actum quendam vi dominii ſibi licitum transferendi non modo in perpetuum, verum etiam in certum tantummodo tempus, prouti ipſi viſum fuerit, adeoque ſuo arbitratu determinandum, & quidem vel cum excluſione ſui, vel ſervato etiam ſibi ejus exercitio.*

Si jus

Si jus conceditur in perpetuum & quidem cnm excluſione domini, jus totum in alterum transfertur: quodſi jus conceditur in perpetuum, ut dominus eodem quoque uti poſſit, jus proprium evadit commune: ſi vero jus conceditur nonniſi ad certum tempus, tum pars quædam juris transfertur in alterum, ſi fiat ſub ea conditione, ut dominus quoque eodem uti poſſit, alias integrum transfertur in certum tempus: ſi denique jus non confertur niſi ad unum vel alterum tantummodo actum, particula quædam juris in alterum transfertur. Hæc ideo monemus, ut conſtet quot modis dominus jus quoddam in alium transferre poſſit. Quando autem jus alienari dicitur, tum intelligimus translationem juris cum excluſione domini, ita ut, quod ipſi proprium erat, jam fiat proprium alterius, conſequenter res, quæ fuerat tua, reſpectu tui jam fit aliena.

§. 680.

Defraudare alterum dicitur, qui verbis vel factis doloſis ipſum privat eo, quod ſuum eſt, vel quod eidem debetur. *Defraudatio quid ſit.*

E. gr. Si quis falſo pondere vel menſura uſus minus dat, quam dare debebat, alterum facto doloſo privat eo, quod ipſi debitum, adeoque defraudat. Similiter qui verbis doloſis uſus alterum pecunia emungit, eum verbis doloſis privat ſuo, adeoque defraudat. Defraudationes innumeris modis contingere poſſunt, ut ſingulas recenſere non detur. Immo pendent a natura negotiorum humanorum, adeoque pro horum diverſitate diverſæ ſunt. Sufficit autem dediſſe definitionem, vi cujus in quolibet negotiorum genere occurrentes facile dignoſcuntur ſingulæ, atque in genere oſtendiſſe eas lege naturali prohibitas, conſequenter illicitas eſſe (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*).

Digitized by Google

§. 681.

Effectus defraudationis.

In omni defraudatione damnum alteri dolo datur. Qui enim alterum defraudat verbis vel factis doloſis eundem privat eo, quod ſuum eſt, vel quod eidem debitum (§. 680.), conſequenter quod ſuum fieri debebat (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). In cauſa igitur eſt, ut jacturam ſui faciat (§. 487.), conſequenter damnum dat (§. 488.) & quidem dolo *per demonſtrata.* Patet adeo in omni defraudatione damnum dolo dari alteri.

Jacturam mei facio non minus, ſi quod meum fieri debebat, absque mala voluntate poteſtati meæ ita ſubducitur, ut idem recuperare non poſſim, quam ſi eidem hoc modo ſubducitur, quod actu meum eſt. Quamobrem damnum dat non minus, qui alterum privat eo, quod actu ſuum eſt, quam qui eo privat, quod debebatur, adeoque ſuum fieri debebat. Nimirum etſi debitum nondum actu noſtrum ſit, per fictionem tamen, recte conſideratur inſtar noſtri, quod eſt in alterius poteſtate.

§. 682.

Defraudatio illicita.

Nemo alterum defraudare debet. Etenim qui alterum defraudat, ipſi damnum dat (§. 681.). Sed nemo alteri damnum dare debet (§. 533.). Ergo etiam nemo alterum defraudare debet.

Oſtenditur etiam hoc modo. Qui alterum defraudat, verbis vel factis doloſis ipſum privat eo, quod ſuum eſt, vel quod eidem debetur (§. 680.), conſequenter dolo efficit, ut minus habeat, quam habere debet. Sed nemo dolo efficere debet, ut alter minus habeat, quam habere debet (§. 579.). Ergo etiam nemo alterum defraudare debet.

Patet adeo defraudationem omnem lege naturali prohibitam eſſe. Quam parum autem interſit inter furtum & defrau-

Digitized by Google

fraudationem, tum clarius eluceſcet, ubi de pactis egerimus.

§. 683.

An damnum omne defraudatione datum ſit reſarciendum.

Qui alterum defraudavit, damnum ipſi datum reſarcire tenetur. Etenim qui alterum defraudat, damnum ipſi dolo dat (§. 681.). Sed qui alteri damnum dolo dedit, id eidem reſarcire tenetur (§. 580.). Ergo qui alterum defraudavit, damnum ipſi datum reſarcire tenetur.

Naturaliter defraudatio omnis illicita (§. 682.), atque ideo ad omne quoque damnum, quod defraudatione datur, reſarciendum tendit obligatio naturalis, nec ulla quantitatis hic habetur ratio.

§. 684.

Jus puniendi defraudatorem.

Natura homini competit jus puniendi eum, qui ipſum defraudavit. Qui enim alterum defraudat, dolo ipſi damnum dat (§. 681.), conſequenter eum lædit (§. 532.). Enimvero natura homini competit jus puniendi eum, qui ipſum læſit (§. 1061. *part. I. Jur. nat.*). Ergo etiam eidem competit jus puniendi eum, qui ipſum defraudavit.

Non adeo ſufficit damnum defraudatione datum reſarciri, ſed etiam pœna exigenda naturaliter a defraudatore, niſi pœnam remitti convenientius ſit (§. 1092. *& ſeqq. part. I. Jur. nat.*). Hinc recte Zachæus duplum offert ei, quem defraudavit, conſcientiam ſuam ſalvaturus. Duplo enim ineſt præter id, quod reſarciendum, etiam pœna.

§. 685.

Jus belli in defraudatorem.

Natura homini competit jus belli in defraudatorem, ſi damnum ipſi datum reſarcire non vult. Defraudator enim damnum defraudatione datum reſarcire debet (§. 683.), adeoque homini competit jus a defraudatore hoc exigendi

Sss 2 per-

fectum (§. 23. 908. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter jus perfectum non tribuit defraudator ei, cui damnum datum reſarcire non vult (§. 921. *part. I. Jur. nat.*). Enimvero natura homini competit jus belli in eum, qui jus perfectum ſuum ipſi tribuere non vult (§. 1104. *part. I. Jur. nat.*). Ergo etiam natura eidem, competit jus belli in defraudatorem, ſi damnum ipſi datum reſarcire non vult.

§. 686.

Idem jus in caſu quolibet damni reſarciendi.

Immo in genere: *Natura homini competit jus belli in eum, qui damnum datum ipſi reſarcire non vult.* Oſtenditur eodem modo, quo in caſu particulari idem oſtendimus in propoſitione præcedente.

Videbimus ſuo loco, probe notandum eſſe, quando jus belli homini natura competat in ſtatu naturali. Nimirum in ſtatu naturali, atque adeo vi originis ſuæ, jus cogendi, quod juri omni perfecto ineſt (§. 235. *part. I. Phil. pract. univ.*), non eſt niſi jus belli: quod ut clarius appareat, in propoſitione ſequente idem demonſttare lubet.

§. 687.

Jus cogendi quale ſit jus.

Jus cogendi alterum, ſi obligationi ſuæ ſatisfacere noluerit, quod per ſe ineſt omni juri perfecto, eſt jus belli in eum, qui obligationi ſuæ ſatisfacere recuſat. Qui enim alterum cogit ad faciendum, quod ſua ſponte facere non vult, eum vi adigit ad faciendum: id quod per ſe manifeſtum ſumitur. Jus igitur cogendi alterum, qui obligationi ſuæ ſatisfacere non vult, eſt jus eum vi adigendi, ut ſatisfaciat, conſequenter ut jus ſuum alteri tribuat (§. 921. *part. I. Jur. nat.*). Eſt igitur jus vi perſequendi jus ſuum adverſus alterum, qui idem nobis tribuere non vult. Enimvero jus perſequendi jus ſuum adverſus alterum, qui idem nobis tribuere non

vult, adeoque obligationi ſuæ ſatisfacere renuit (§. *cit.*), eſt jus belli (§. 1103. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem Jus cogendi alterum, qui obligationi ſuæ ſatisfacere non vult, quod per ſe ineſt omni juri perfecto (§. 235. *part. I. Phil. pract. univ.*), eſt jus belli in eum, qui obligationi ſuæ ſatisfacere recuſat.

Poſtquam introducta ſunt dominia, frequentiſſime contingit, ut homines ſibi mutuo obligentur ad aliquid dandum, quod tamen dare recuſant. Quamobrem cum dominium jus perfectum ſit (§. 118.), cui jus cogendi per ſe in eſt; frequentiſſima quoque in ſtatu naturali oriuntur bella. Haud difficulter hoc aſſequitur, qui perpendit multiplices obligationes non dominorum, quæ reſpondent tot juribus in dominio contentis ac inde oriundis, & tot obligationibus, quibus alii tenentur aliis, ex dominio tanquam fonte ſuo emanantibus, prouti conſtabit, quando de translatione dominii acturi ſumus. Multa iſtiusmodi bella jam vidimus in antecedentibus, cumque rigor juris naturalis nihil alieni alteri concedat, quantumcunque tandem id fuerit, ſed omnis reſtitutionem & damni vel minimi reparationem urgeat, jus belli in ſtatu naturali latiſſime diffunditur: id quod hic notaſſe ſuo loco proderit.

§. 688.

Quoniam jus rem ſuam vindicandi, quod domino competit adverſus quemlibet poſſeſſorem, aut quemcunque alium, qui eandem in poteſtate ſua habet (§. 544.), eſt jus rem ſuam vi perſequendi adverſus eum, qui eam reſtituere recuſat (§. 543.), conſequenter jus cogendi eum, qui obligationi ſuæ ſatisfacere non vult (§. 467.): *ipſa rei vindicatio, aut* ſi mavis, *jus rem ſuam vindicandi eſt jus belli in poſſeſſorem quemlibet, aut quemcunque alium, qui eandem in poteſtate* *Rei vindicatio bellum.*

ſtate ſua habet, ubi dominio probato (§. 545.) *eam reſtituere recuſat.*

Hinc patet, quod ſupra demonſtravimus, natura domino competere jus belli in eum, qui rem, quam ſuam eſſe probavit, reſtituere non vult, cum vindicatio rei eidem competat (§. 544.), dominio probato (§. 545.).

§. 689.

Jus puniendi num ſit jus belli.

Jus omne puniendi jus belli eſt. Etenim qui pœnam ab eo ſumit, qui ipſum læſit, bellum gerit (§. 1114. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem quoties tibi competit jus alterum puniendi, toties etiam tibi competit jus belli adverſus eum, conſequenter jus puniendi jus belli eſt.

In anterioribus ſæpiſſe demonſtratum fuit, natura nobis jus puniendi quoddam competere. Unde denuo patet, introductis rerum dominiis in ſtatu naturali multiplices dari belli cauſas, adeoque bella frequentiſſime oriri. Cumque ſæpiſſime & reſtitui aliquid debeat, & præterea non obſtante reſtitutione facta pœna tamen adhuc exigi jure poſſit; bellorum frequentia clarius adhuc hinc eluceſcit. Etſi enim ob duplicem cauſam nonniſi unum geratur bellum; cum tamen bello conſequi conemur, quod nobis debetur, utut bellum una de cauſa ſit finiendum, alteram tamen ob cauſam adhuc continuandum: duplex adeo bellum recte reputatur, quod ob continuitatem nonniſi unum videtur.

§. 690.

Defenſio rerum quid ſit.

Rem defendere dicitur, qui eam rapere vel deſtruere conanti reſiſtit, ne rapere vel deſtruere poſſit. Unde *Defenſio rei* eſt actio, qua reſiſtitur vi ad eam rapiendam vel deſtruendam adhibitæ.

Defenſio rerum a defenſione ſui non differt niſi objecto. Etenim

Etenim eodem modo, quo perſonam noſtram defendimus, rem quoque noſtram defendimus. Utrobique reſiſtitur vi, quæ adhibetur vel adverſus corpus noſtrum, vel res noſtras. Vis igitur vi repellitur non minus in defenſione rerum, quam in defenſione ſui, de qua alias egimus (§. 972. *& ſeqq. part. I. Jur. nat.*).

§. 691.

Domino competit jus res ſuas defendendi. Cum enim dominus jure ſuo excludat ceteros omnes (§. 120.), nec pati teneatur, ut quis alius quicquam faciat ſe invito, quod ſibi vi dominii facere licet (§. 121.); idem nec ferre cogitur, ut quis vi rem ipſius auferat, vel deſtruat. Neceſſe igitur eſt, ut ipſi ſit jus vi iſti reſiſtendi, quæ ad res ſuas vel rapiendas, vel deſtruendas adhibetur (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque rem ſuam defendit, qui reſiſtit vi ad eam rapiendam vel deſtruendam adhibitæ (§. 690.); domino utique competit jus res ſuas defendendi. *Jus defendendi res ſuas aſſertum.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Cum homini omni competat jus a quocunque exigendi, ne ipſum lædat, &, ubi lædere conatur, eundem cogendi, ne faciat (§. 914. *part. I. Jur. nat.*), qui vero vi res alterius aufert ſeu rapit, adeque etiam qui deſtruit, dominum lædat (§. 534.); domino quoque competit jus reſiſtendi vi, quæ adhibetur vel ad rem ipſius rapiendam, vel deſtruendam. Enimvero qui vi reſiſtit, quæ adhibetur ad rem rapiendam vel deſtruendam adhibitæ, rem defendit (§. 690.). Domino igitur competit jus rem ſuam defendendi.

Dominia rerum ſine hoc jure defenſionis conſiſtere nequeunt. Si enim res ſuas defendere non licet, permittendæ ſunt rapinæ (§. 505.), adeoque multo magis furta permiſſa eſſe debent (§. 498.): id quod abſurdum (§. 536.) & ipſi dominii notioni contradicit (§. 120. 121.).

§. 692.

§. 692.

Defenſio rerum licita.

Defenſio rerum ſuarum licita. Cum enim domino competat jus rem ſuam defendendi (§. 691.), quando eam defendit, hoc jure ſuo facit. Sed licitum eſt, quod jure noſtro facimus (§. 170. *part. I. Phil. Pract. univ.*). Ergo defenſio rerum ſuarum licita.

§. 693.

Expers injuria.

Si res tuas defendis, ei, adverſus quem defendis, injuriam non facis. Etenim tibi domino competit jus res tuas defendendi (§. 691.), atque adeo jure tuo uteris, quando eas actu defendis. Enimvero qui jure ſuo uſus quid facit, nemini injuriam facit (§. 975. *part. I. Jur. nat.*). Ergo dum res tuas defendis, nec ei injuriam facis, adverſus quem defendis.

Videri equidem poterat propoſitio hæc ſuperflua, cum nemo facile ſibi perſuadeat, raptori injuriam fieri, ſi eidem reſiſtatur, ſeu vis ejus vi repellatur; videbimus tamen ſuo loco, quod ea aliis lucem affundat in Jure Gentium. Præterea manifeſtum eſt, qui defenſionem rerum ſuarum vel ſimpliciter illicitam pronunciant, vel ſaltem nimis arctis limitibus conſtringunt, eam vel in totum, vel maxima ſaltem parte ad injuriam referre debere, modo injuriæ diſtinctam ac ſatis adæquatam habeant notionem.

§. 694.

Jus res defendendi infinitum.

Jus res ſuas defendendi infinitum eſt. Etenim qui res ſuas defendit, eas rapere vel deſtruere conanti reſiſtit ne rapere aut deſtruere poſſit (§. 690.), conſequenter conſervationem rei ſuæ & poſſeſſionis ejusdem tanquam finem intendit (§. 616. 617. *part. I. Phil. pract. un.*). Quoniam itaque domino competit jus res ſuas defendendi

di (§. 691.); ea omnia ipſi facere licet, quæ ad vim raptoris vel deſtructoris rei ſuæ repellendam neceſſaria ſunt (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). Hunc vero finem non ſemper eadem facilitate obtinere licet, cum vis, quæ adhibetur a raptore vel deſtructore, non ſemper eadem ſit, adeoque neceſſe eſt, ut tantundem liceat, quantum ad repellendam vim fieri opus eſt. Quoniam itaque juri defenſionis in genere nulli præfigi poſſunt limites, ſed hi demum ex circumſtantiis præſentibus determinandi ſunt, iſtiusmodi autem jus infinitum eſt (§. 977. *part. I. Jur. nat.*); jus res ſuas defendendi infinitum eſt.

Ex demonſtratione liquet, Jus res ſuas defendendi metiendum eſſe non ex pretio rerum, ſed ex vi repellenda. Qui enim huc animum non advertunt, circa limites hujus juris inanes difficultatas movent. Lubet tamen propoſitionem ſequentem addere, ne quid deeſſe videatur, quod in defenſione rerum ad alia cognoſcenda conducit.

§. 695.

In raptorem vel eum, qui vi rem tuam deſtruere conatur, tantundem tibi licet, quantum vi repellendæ ſufficit. Etenim qui rem ſuam defendit, vi reſiſtit ad eam rapiendam vel deſtruendam adhibitæ (§. 690.), adeoque vim vi repellere conatur, ne res ſua rapiatur vel deſtruatur (§. 727. *Ontol.*). Quamobrem cum jus defendendi res ſuas, quod ipſi competit (§. 691.), infinitum ſit (§. 694.), adeoque limites eidem ex circumſtantiis præſentibus præfigendi (§. 977. *part. I Jur. nat.*); tantundem omnino defenſori licere debet in raptorem, vel eum, qui vi rem tuam deſtruere conatur, quantum vi repellendæ ſufficit. *Quomodo definiantur termini defenſionis.*

Clariſſime adeo patet, quomodo vim determinare debeamus, qua ad vim raptoris vel deſtructoris repellendam opus eſt.

§. 696.

Quænam media defenſionis licita.

Quoniam adeo non plus licet in raptorem vel deſtructorem rei tuæ, quam quantum vi repellendæ ſufficit (§. 695.); *Si leniora media, immo leniſſima ſufficiunt, non utendum durioribus.*

Relegenda hic ſunt, quæ annotavimus (*not.* §. 982. *part. I. Jur. nat.*), cum idem de defenſione ſui demonſtraremus. Immo etiam repetenda hic ſunt, quæ de ordine in uſu mediorum obſervando ibidem tradidimus (*not.* §. 983. 984. *part. I. Jur. nat.*). Defenſio enim ſui & rerum ſuarum iisdem principiis nititur, cum corpus, quod reſpicit defenſio ſui, ſit in numero rerum noſtrarum.

§. 697.

An defenſori rerum ſuarum ſe opponere liceat.

Quicquid is facit, qui defenſioni licitæ rerum ſuarum ſe opponit, id licitum non eſt, ſed injuſtum. Eodem modo demonſtratur, quo idem de defenſione ſui oſtendimus (§. 985. 986. *part. I. Jur. nat.*).

Propoſitio præſens non modo intelligenda eſt de raptore & deſtructore, verum etiam iis, qui una cum ipſis rerum ſuarum defenſori ſeſe opponunt. Additur autem in propoſitione, defenſionem licitam eſſe debere, cui alii ſeſe opponunt. Fieri enim poteſt, ut defenſor in defenſione excedat: quod licitum non eſſe ex propoſitione ſequente apparet.

§. 698.

Exceſſus in defenſione qualis ſit.

Omnis exceſſus in defenſione rerum ſuarum illicitus eſt, & quatenus defenſor modum excedit, raptorem vel deſtructorem lædit. Etenim in raptorem vel deſtructorem rei tuæ tantundem

dem licet, quantum vi repellendæ ſufficit (§. 695.), adeoque non plus licet, quam ſufficit. Qui ergo vi majore utitur ad vim raptoris vel deſtructoris repellendam, quam qua opus eſt, is facit, quod minime licet. Quamobrem cum hoc faciat, qui modum in defenſione excedit (§. 1001. *part. I. Jur. nat.*); exceſſus omnis in defenſione rerum ſuarum illicitus eſt. *Quod erat unum.*

Quoniam autem porro nullo jure fit, quod illicitum eſt (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*); malum, quod raptori vel deſtructori rei tuæ exceſſu infertur, nullo jure infertur. Quamobrem cum malo illato raptor vel deſtructor aut ſtatus ejus reddatur imperfectior (§. 565. *Pſych. empir.*); exceſſus in defenſione læſio eſt (§. 669. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter quatenus in defenſione modum excedis, raptorem vel deſtructorem rei tuæ lædis. *Quod erat alterum.*

Relegenda hic ſunt, quæ de exceſſu in defenſione ſui annotavimus (*not.* §. 1002. *part. I. Jur. nat.*). Nemo ibi jus majus in alterum arrogare poteſt, quam quod lege naturali ipſi tribuitur (§. 695.).

§. 699.

Naturaliter raptorem vel deſtructorem interficere licet, ſi res aliter conſervari nequeat. Etenim tantundem licet in raptorem, quantum vi repellendæ ſufficit, ut res conſervetur (§. 695.). Quodſi ergo res aliter conſervari nequeat, ſeu vis ejus vi repelli minime poſſit, quo res conſervetur, quam raptorem interficiendo, eum interficere licet. *An raptor interfici poſſit.*

Non negat *Grotius* lib. 2. c. 1. §. 11. ſalva juſtitia commutativa hoc fieri poſſe: ratio tamen, quam reddit, genuina non eſt. Exiſtimat enim inæqualitatem, quæ inter rem

Digitized by Google

vitam eſt, favore innocentis & odio raptoris compenſari. Jus enim defenſionis non metiendum eſſe ex rei quantitate, ſed ex vi, quam infert raptor (*not.* §. 695.). Abſit autem ut propoſitionem præſentem damnes. Hac enim non admiſſa, damnanda erunt omnia bella, quæ rerum ſuarum conſervandarum gratia fiunt. Neque enim jus belli, quod inter ſummas poteſtates extra controverſiam poſitum eſt, alio fundamento innititur, quemadmodum ſuo loco videbimus. Alia vero quæſtio eſt, num quæ natura permittit, idem lex civilis permittere debeat: de qua itidem ſuo loco.

§. 700.

Vulneratio & mutilatio raptoris quando licita.

Quoniam *raptorem naturaliter* interficere licet, *ſi res aliter conſervari nequeat* (§. 699.), eum etiam *vulnerare, aut membro quodam truncare licet.*

Oſtendi poterat eodem prorſus modo, quo jus interficiendi evicimus (§. 699.), ſi argumentatio a majori ad minus in præſenti caſu admodum manifeſta non arrideat.

§. 701.

An furem cum re fugientem interficere liceat.

Similiter quoniam naturaliter raptorem rei conſervandæ gratia interficere licet (§. 699.); *furem* quoque & *raptorem fugientem cum re jaculo, aut,* ſi mavis, *globo exploſo proſternere licet, ſi res aliter recuperari non poſſit.* Etenim fuga cum re tua fugientis æquipollet vi, qua rapitur res tua, ſiquidem fuga non impedita rei tuæ perinde jacturam facis, ac vi minime repulſa.

Quæ paulo ante (*not.* §. 699.) monuimus, ea hic quoque repetenda veniunt. Propoſitio nimirum præſens etiam facit ad definiendum jus inter ſummas poteſtates vigens, prouti ſuo loco docebimus.

§. 702.

§. 702.

Si fur in actu furandi deprehenſus vi rem tuam eripere tentat, ex fure prædo fit ſive raptor, conſequenter *idem tibi in eum abeat in jus eſt, quod in raptorem.* Etenim furtum committitur, quando domino inſcio res aufertur (§. 498.), rapina vero, quando vi eripitur (§. 505.). Quando igitur fur in actu furandi deprehenditur, &, cum jam amplius te inſcio rem auferre non poſſit, vi eandem eripere tentat, actus furandi omnino degenerat in rapinam. Quamobrem cum ex etymologia pateat raptorem dici, qui res alienas animo ſibi habendi rapit, in ſuperioribus autem prædonem dixerimus, qui rapinam committit (§. 506.); ſi fur in actu furandi deprehenſus vi rem tuam eripere tentet, ex fure prædo fit, ſive raptor. *Quod erat primum.* *Quando fur raptorem.*

Hinc vero porro ſua ſponte ſequitur, quamprimum fur in actu furandi deprehenſus vi utitur ad rem tuam auferendam, idem in eundem tibi licere, quod in raptorem licet. *Quod erat alterum.*

Ex propoſitione præſente liquet, non attendendam hic eſſe differentiam inter furem diurnum & nocturnum, ita ut amplius jus concedatur in nocturnum, quam in diurnum. Ea enim tota civilis eſt, non naturalis, ad quam autores provocant, ut licitam eſſe defendant interfectionem furis nocturni, illicitam vero diurni.

§. 703.

Si raptor vel prædo, aut etiam fur in furandi actu deprehenſus, vi impetit corpus tuum aggreſſor quoque fit, conſequenter idem in ipſum tibi jus eſt, quod in aggreſſorem. Etenim qui corpus tuum vi impetit, utique te lædere conatur quoad corpus tuum (§. 670. *part. I. Jur. nat.*). Quoniam itaque aggreſſor *Quando jus defenſionis ſui cum defenſione rei concurrat.*

 eſt,

eſt, qui te lædere conatur (§. 979. *part. I. Jur. nat.*); raptor vel prædo, aut etiam fur in furandi actu deprehenſus, ſi vi impetit corpus tuum, aggreſſor quoque fit. *Quod erat unum.*

Hinc vero porro ſuo ſponte ſequitur, quamprimum raptor vel prædo aut fur in actu furandi deprehenſus corpus tuum impetit, idem in ipſum tibi jus eſſe, quod in aggreſſorem. *Quod erat alterum.*

Tunc adeo defenſio ſui concurrit cum defenſione rerum, conſequenter ea, quæ de defenſione ſui (§. 980. *& ſeqq part. I. Jur. nat.*) demonſtrata ſunt, etiam hic locum habent. Ad hunc concurſum reſpexere nonnulli in decidenda quæſtione, num furem nocturnum interficere liceat, qui interfici poſſe ſtatuerunt tanquam ſicarium, non vero tanquam furem, perperam ſcilicet rem, quæ defenditur, cum vita comparantes (*not.* §. 694.).

§. 704.

Defenſio rei alienæ quando licita.

Qui rem alienam nomine domini tenet, ei competit jus eam defendendi adverſus raptorem & deſtructorem. Unusquisque, quantum in ſe eſt, damnum omne ab altero avertere debet (§. 495.), conſequenter impedire, quo minus ejus jacturam faciat dominus (§. 486.). Ad idem igitur etiam tenetur, qui rem alienam nomine domini tenet. Jam vero dubium non eſt, quin dominus rei ſuæ jacturam faciat (§. 487.), ſi quis eam vi ei eripit qui eam nomine domini tenet, aut prorſus deſtruit. Quamobrem ei, qui rem alienam nomine domini tenet, competit jus vi raptoris vel deſtructoris reſiſtendi, quo minus rapere vel deſtruere eandem poſſit (§. 159. *part. I. Phil. pract. univ.*), adeoque jus eam defendendi (§. 690.).

E. gr. Qui rem alienam juſſu domini vendere debet, eam quin

quin adverſus raptorem vel deſtructorem defendere queat, dubitandum non eſt.

§. 705.

Homini non modo competit jus defendendi rem alienam, quantum poteſt; verum is etiam obligatur ad defendendam eandem, quantum in poteſtate ſua poſitum eſt, ſi dominus ipſe, vel qui eam ejus nomine tenet, eidem defendendæ non ſufficit. *Quando non modo licita, ſed & debita.* Homini enim cuilibet competit jus ad eos actus, quibus impedire poteſt, ne quis lædatur ab alio (§. 989. *part. I. Jur. nat.*), adeoque etiam ne deſtruat. Enimvero quo hoc facit, rem alienam adverſus raptorem defendit (§. 690.). Ergo homini competit jus defendendi rem alienam, quantum poteſt. *Quod erat unum.*

Porro quilibet homo obligatur ad impediendum, ne quis lædatur ab alio, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 988. *part. I. Jur. nat.*), conſequenter etiam ne quis rem ſuam alteri eripiat, vel eam deſtruat *per demonſtrata*, ſi nimirum dominus, vel qui eam ejus nomine tenet, eidem defendendæ ipſe non ſufficit (§. 608. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum rem alterius defendat, qui impedit, ne quis rem domino, aut ei, qui eandem domini nomine tenet, vi eripiat, vel deſtruat (§. 690.); quilibet omnino homo obligatur ad defendendam rem alienam, quantum in poteſtate ſua poſitum eſt, ſi dominus ipſe, vel qui eam ejus nomine tenet, eidem defendendæ non ſufficit. *Quod erat alterum.*

Idem de ſui defenſione oſtendimus (§. 990. *part. I. Jur. nat.*).

§. 706.

Qui in defenſione rei ſuæ modum excedit, fit aggreſſor ejus, *Quando de-*

qui

Digitized by Google

ſenſor rei fiat aggreſſor raptoris vel deſtructoris.

qui rem rapere vel deſtruere intendebat. Qui enim in defenſione rei ſuæ modum excedit, rapere vel deſtruere eam intendentem lædit (§. 698.). Qui vero alterum lædere conatur, aggreſſor eſt (§. 979. *part. I. Jur. nat.*). Ergo qui in defenſione rei ſuæ modum excedit, fit aggreſſor ejus, qui rem rapere vel deſtruere intendebat.

Idem de defenſore ſui modum excedente oſtendimus (§. 1003. *part. I. Jur. nat.*).

§. 707.

Jus raptoris vel deſtructoris in defenſorem rei, qui modum excedit.

Si defenſor rei ſuæ modum excedit, quoad exceſſum ei competit jus ſe defendendi, qui rem rapere vel deſtruere intendebat, & tantundem huic in illum licet, quantum læſioni, quæ exceſſui ineſt, arcendæ ſufficit. Quoniam in defenſione rei ſuæ modum excedens fit aggreſſor ejus, qui rem rapere vel deſtruere intendebat (§. 706.); propoſitio præſens eodem modo demonſtratur, quo jus aggreſſoris in defenſorum ſui quoad exceſſum defenſionis evicimus (§. 1004. *part. I. Jur. nat.*).

Abſit ut tibi perſuadeas, non opus eſſe, ut, quæ de exceſſu in defenſione ſui demonſtrata fuerunt, ea ad exceſſum defenſionis rerum ſuarum applicentur, adeoque inutilem accuſes prolixitatem. Suo enim videbimus loco, ſine his principiis definiri non poſſe jus belli, quod viget inter Gentes. Immo nec ſatis intelligi poteſt, quænam in civitate Judicis poreſtati ſubjicenda veniant.

§. 708.

Quando raptorem & deſtructorem adjuvare li-

Quamobrem *in hypotheſi propoſitionis præcedentis raptorem & deſtructorem in defenſione ſui adverſus exceſſum defenſionis defendendi jus unusquisque habet, immo ſi ipſe defendere ſeſe*

poſitum

Digitized by Google

nequit, ad eum defendendum obligatur, quantum in poteſtate ſua poſitum eſt (§. 1007. *part. I. Jur. nat.*).

citum & debitum in defenſione ſui.

Nimirum auxilium fertur raptori vel deſtructori rei alienæ non qua raptori vel deſtructori, ſed qua defenſori adverſus vim illicitam. Quoniam tamen contra raptorem vel deſtructorem rei ſuæ duplici jure agitur, nimirum jure defenſionis rei ſuæ (§. 691.), & jure puniendi (§. 551.): in æſtimando exceſſu ratio habenda eſt juris utriusque, adeoque cavendum, ne quod pœnæ exigendæ cauſa ſit, pro exceſſu defenſionis habeatur.

§. 709.

Quid proprie defendatur in defenſione rei.

Qui rem ſuam adverſus raptorem defendit, poſſeſſionem ſuam defendit. Etenim qui rem ſuam adverſus raptorem defendit, vi reſiſtit, quam ad eam eripiendam adhibet (§. 690.). Quamobrem cum dominus in re rapta dominium (§. 521.), adeoque & jus poſſidendi retineat (§. 157.); id tantummodo agit, ne detentione rei ſuæ, ſine qua tanquam dominus de ea pro arbitrio diſponere nequit (§. 118.), excidat. Quamobrem cum in hac detentione poſſeſſio conſiſtat (§. 150.); qui rem ſuam adverſus raptorem defendit, poſſeſſionem ſuam defendit.

Qui rem, quam nomine domini tenet defendit, poſſeſſionem domini defendit, ut, quam habet, non amittat, vel amiſſam recuperare poſſit, vel ſibi debitam acquirat, pro circumſtantiarum diverſitate.

§. 710.

Jus defenſionis rerum quale ſit.

Quoniam poſſeſſionem ſuam defendit, qui rem ſuam adverſus raptorem defendit (§. 709.); *jus rem ſuam defendendi eſt jus defendendi poſſeſſionem, conſequenter impediendi, ne eadem excidas.*

Dum res eripitur, dominium non aufertur (§. 521.), nec eidem cohærens jus poſſidendi (§. 157.), ſed poſſeſſione actuali excidis ac ideo dominii exercitium tibi adimitur (§. 150. 649.). Quodſi poſſeſſionem amiſſam recuperare non poſſis, jacturam rei facis: quam evitaturus poſſeſſionem tueris vim raptoris vi repellendo.

§. 711.

An dominus pati debeat ut poſſeſſione dejiciatur.

Domino ferendum non eſt, ut quis ipſum de poſſeſſione rei ſuæ dejiciat. Etenim domino ſoli cum competat jus poſſidendi (§. 157.); eodem jure ceteros omnes excludit, conſequenter ipſi ferendum non eſt, ut quis alius eum de poſſeſſione rei ſuæ dejiciat.

Pone nimirum te ferre debere, ſi quis alius te de poſſeſſione fundi tui dejiciat, juris poſſidendi nullus erit effectus. Immo nec ulla apparet ratio, cur tibi permiſſum eſſe debeat, ut poſſeſſionem amiſſam recuperes, conſequenter & jus vindicandi rem nullum erit (§. 543.). Dominium retines in re rapta & furtiva (§. 521.), adeoque dum de re recuperanda ſollicitus es, de recuperanda poſſeſſione cogitas, & quicquid rei recuperandæ gratia facis, non alio fine fit, quam ut eam iterum detineas tanquam tuam, ut de ea actu tanquam dominus pro arbitrio tuo diſponere poſſis.

§. 712.

An l. n. prohibitum dominum de poſſeſſione dejicere.

Quoniam domino ferendum non eſt, ut quis ipſum poſſeſſione rei ſuæ dejiciat (§. 711.); *nemo* quoque *dominum de poſſeſſione rei ſuæ dejicere debet,* ſeu *lege naturali prohibitum eſt, ne quis alterum de poſſeſſione rei ſuæ dejiciat.*

Hac lege dominia tuetur natura rerum. Quid enim juvat dominium, niſi rem poſſideas, ut ex ea utilitatem percipere actu poſſis, quam vi dominii tibi percipere licet? Jus, cujus exercitium in poteſtate noſtra non eſt, parum prodeſt. Quid juvat, ædes eſſe tuas, ſi cum velis eas incolere

colere

colere non poſſis, quin potius permittere debeas, ut alius te invito easdem incolat. Cum nemo impedire debeat, quo minus de rei tuæ ſubſtantia, uſu ac fructu pro arbitrio diſponere poſſis (§. 651.), nec de poſſeſſione rei ſuæ dejicere licet dominum, quo omnis illa diſponendi facultas phyſica ipſi adimitur, alius ſibi arrogat actus domino tantummodo & licitos cum excluſione ipſius, contra manifeſtam naturæ legem, iſtiusmodi auſum ne quidem quoad unicum actum permittentem (§. 692.).

§. 713.

Qui de poſſeſſione dejicitur, ei adimitur liberum dominii exercitium. Etenim de poſſeſſione dejectus rem ſuam non amplius detinet tanquam ſuam (§. 150.), conſequenter de re ſua non amplius pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, etſi velit, ſeu phyſice impoſſibile eſt, ut non impeditus edat actus vi dominii ſibi licitos. Quamobrem cum his actibus exercitium dominii abſolvatur (§. 649.); qui poſſeſſione dejicitur, ei adimitur liberum dominii exercitium.

Quid inde ſequatur, ſi quis de poſſesſione dejicitur.

§. 714.

Quoniam nemo alterum in exercitio dominii ſui, ullo modo impedire debet (§. 650.), omnium vero maxime hoc faciat, qui alterum poſſeſſione dejicit (§. 713.); *nemo dominum poſſeſſione dejicere debet.*

Turbatio poſſeſſionis prohibita.

Alio adhuc modo patet, quod modo aliter ex antecedentibus intulimus (§. 712.).

§. 715.

Poſſeſſionem defendere dicitur, qui vi invaſoris reſiſtit, qua eum de poſſeſſione dejicere conatur.

Defenſio poſſeſſionis quid ſit.

Qui novit, quod poſſeſſio ſit in numero rerum incorporalium (§. 497. *part. I Jur. nat*); nec dubitabit definitionem

 defen-

defenſionis rerum ad poſſeſſionem transferre, ut adeo rem quandam incorporalem domino eripiat, qui poſſeſſione eum dejicit. Ne tamen quis inanes hic fingat difficultates, defenſionem poſſeſſionis definire lubuit, cum definitionem nominalem tanquam arbitrariam quivis admittere teneatur. Perſpicaciores autem hinc vident, cur defenſionem poſſeſſionis hoc modo definiamus.

§. 716.

Intentio poſſeſſionem defendentis.

Quoniam poſſeſſionem defendens vi invaſoris reſiſtit, qua eum de poſſeſſione dejicere conatur (§. 715.), qui vero de poſſeſſione dejicitur ei liberum dominii exercitium adimitur (§. 713.); *qui poſſeſſionem ſuam defendit, non aliud intendit, quam ut liberum dominii exercitium retineat.*

E. gr. Ponamus te dejici de poſſeſſione horti tui; poſtquam dejectus es, tibi non amplius hortum colere ac fructus percipere licet, immo non conceditur ullus ejus, quem antea cum poſſideres facere poteras, uſus. Non alio igitur fine poſſeſſionem defendis, quam ut dominus pro arbitrio de horto tuo actu non impeditus diſponere valeas.

§. 717.

Jus defendendi poſſeſſionem domino competens.

Domino competit jus poſſeſſionem ſuam defendendi adverſus invaſorem. Cum enim domino ferendum non ſit, ut de poſſeſſione rei ſuæ immobilis dejiciatur (§. 711.); neceſſe eſt ut ipſi competat jus vim, quæ adhibetur ad eum dejiciendum, vi repellendi, ne dejiciatur (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque poſſeſſionem ſuam defendit, qui vi invaſoris reſiſtit, qua eum de poſſeſſione dejicere conatur (§. 715.), invaſor vero eſt, qui alterum, cum jus poſſidendi non habeat, vi de poſſeſſione ſua rei immobilis dejicit (§. 507.); quin domino competat jus poſſeſſionem ſuam defendendi adverſus invaſorem, dubitandum non eſt.

Oſten-

Oſtenditur etiam hoc modo. Domino competit jus rem ſuam defendendi (§. 691.). Enimvero jus rem ſuam defendendi eſt jus defendendi poſſeſſionem (§. 710.) eo ſenſu, quem ſtabilivimus (§. 715.). Quamobrem cum invaſor ſit, qui dominum de poſſeſſione rei ſuæ dejicere conatur (§. 507.); domino utique competit jus poſſeſſionem ſuam defendendi.

Unum omnino idemque eſt, ſive vi raptoris reſiſtas, ne rem mobilem eripere poſſit, ſive vim invaſoris repellas, ne te de poſſeſſione dejicere queat: utroque nimirum caſu idem obtinetur, nimirum quod intenditur, ut liberum tibi maneat dominii exercitium (§. 716.). Quamobrem qui domino concedit jus res mobiles defendendi adverſus raptorem, is eidem denegare nequit jus defendendi poſſeſſionem rei immobilis.

§. 718.

Quoniam domino competit jus poſſeſſionem ſuam defendendi (§. 717.), jus vero defendendi poſſeſſionem ſuam non differt a jure rem defendendi (§. 710.); *quæ de jure defenſionis rerum ſuarum demonſtrata ſunt, ea etiam tenenda de jure defendendæ poſſeſſionis.* *De jure defendendi poſſeſſionem tenenda.*

Non igitur opus eſt, ut de jure defendendi poſſeſſionem denuo demonſtrentur, quæ de jure defendendi res ſuas demonſtrata fuerunt.

§. 719.

Natura domino ſoli competit jus poſſeſſorem rei ſuæ de poſſeſſione vi dejiciendi, ſi eam reſtituere non vult. Etenim ſi poſſeſſor domino rem ſuam reſtituere non vult, ei competit jus ipſum vi adigendi ut hoc faciat (§. 541.). Quamobrem ſi qui eam poſſidet poſſeſſione cedere non vult, domino utique *Jus poſſeſſorem vi dejiciendi de poſſeſſione domino competens.*

que natura competit jus poſſeſſorem rei ſuæ de poſſeſſione vi dejiciendi. *Quod erat unum.*

Enimvero ſoli domino competit jus poſſidendi (§. 157.), non dominus vero rem alienam nullo jure poſſidere poteſt (§. 158.). Quamobrem jus poſſeſſorem poſſeſſione vi dejiciendi nonniſi domino natura competere poteſt. *Quod erat alterum.*

Si alius fundum tuum poſſidet, dominium quidem in eo habes, ſed poſſeſſione excidiſti, ut dominii exercitium tibi nullum ſit. Quamobrem ſi fundus tibi reſtituitur, reſtituenda eſt poſſeſſio, ut liberum tibi ſit dominii exercitium. Vi igitur alterum ad reſtitutionem rei immobilis adigis, ſi eum vi de poſſeſſione, qua cedere non vult, dejicis.

§. 720.

Cur non dominus neminem poſſeſſione rei alienæ dejicere poſſit.

Quoniam domino ſoli competit jus poſſeſſorem rei ſuæ de poſſeſſione vi dejiciendi, ſi eam reſtituere non vult (§. 719.); *non dominus poſſeſſorem rei alienæ, etiamſi fur vel prædo fuerit, de poſſeſſione ſua vi dejicere nequit.*

Nimirum qui nullum habet jus poſſidendi, nec alterum poſſeſſione ſua dejicere poteſt, etiamſi injuſte poſſideat, cum & ipſe injuſte eam poſſideret, nec res mutata poſſeſſione perveniret ad dominum ſuum, in cujus ut perveniat poteſtatem opera tantummodo danda (§. 466.), hac circumſpectione adhibita, ne res domino ſoli reſtituenda in non domini veniat poteſtatem (§. 467.).

§. 721.

Quando dominus de poſſeſſione actu dejicere nequeat.

Dominus poſſeſſorem rei ſuæ poſſeſſione vi dejicere nequit, antequam alium dominium probavit. Etenim antequam dominus probavit dominium, vi adigere nequit eum, qui rem in poteſtate ſua habet, ut reſtituat (§. 546.). Quamobrem cum hoc

Digitized by Google

hoc fiat, ſi de poſſeſſor rei immobilis poſſeſſione vi dejiciatur; nec dominus, cui natura jus poſſeſſorem rei ſuæ, poſſeſſione vi dejiciendi competit (§. 719.), idem facere poteſt, antequam dominium fuerit probatum.

Nimirum antequam dominus dominium ſuum probavit, non agnoſcitur dominus conſequenter adhuc dubitatur, num eidem conveniat jus ſoli domino competens (§. 718.). In dubio igitur non mutanda poſſeſſio. Huc reſpiciunt leges civiles, quando de poſſeſſione vi dejectum reſtitui jubent, etiamſi dominus fecerit §. 4. l. de interdict.

§. 722.

Jus defendendi poſſeſſionem rei alienæ.

Si non dominus, vel qui dominium ſuum nondum probavit, poſſeſſorem rei alienæ de poſſeſſione vi dejicere vult; eidem competit jus poſſeſſionem defendendi. Etenim non dominus poſſeſſorem rei alienæ poſſeſſione vi dejicere nequit (§. 720.), nec dominus poſſeſſorem rei ſuæ de poſſeſſione vi dejicere poteſt, antequam dominium probavit (§. 721.). A vi igitur iſta abſtinere obligatur tam non dominus, quam dominus dominio nondum probato. Poſſeſſori adeo competit jus vi ejus, qui de poſſeſſione ipſum dejicere molitur, reſiſtendi, ne hoc facere poſſit. Quamobrem cum poſſeſſionem defendat, qui vi invaſoris reſiſtit, qua eum poſſeſſione dejicere conatur (§. 715.); ſi non dominus, vel qui dominium ſuum nondum probavit, poſſeſſorem rei alienæ de poſſeſſione vi dejicere vult, eidem competit jus poſſeſſionem defendendi.

Non diſſentit jus Romanum l. 1. ff. de vi & vi arm.

§. 723.

Spolium quid ſit.

Vis illa, qua quis de poſſeſſione dejicitur, vocatur *Spolium* in Jure Canonico. Et hinc *Spoliatus* dicitur, qui poſ-

ſeſſione

Digitized by Google

ſeſſione rei dejectus. Poſſeſſio hic intelligitur tum de re immobili, tum mobili.

Cum hodie apud nos nomen ſpolii frequens ſit in Jure, non inconſultum duximus idem quoque hic definire, ut tanto facilius doctrina juris naturæ cum Jure poſitivo conferri poſſit.

§. 724.

Jus poſſeſſionis quid ſit.

Jus poſſeſſionis vocatur jus poſſeſſori vi poſſeſſionis competens.

Hinc differt a jure poſſidendi, quod domino competit vi dominii (§. 157.). Iſtiusmodi jus poſſeſſionis eſt, quod nemo poſſeſſorem vi dejicere & poſſeſſor ſe adverſus vim invaſoris defendere poſſit (§. 720. & ſqq.).

§. 725.

Poſſeſſio quando reſtituenda.

Qui de poſſeſſione vi dejectus eſt ſive a non domino, ſive a domino, qui dominium nondum probavit; ei poſſeſſio reſtituenda. Etenim non dominus (§. 720.) & dominus, antequam dominium probavit, poſſeſſorem de poſſeſſione vi dejicere nequit (§. 721.), adeoque eidem relinquenda poſſeſſio eſt, quamdiu nemo jus quoddam in re probavit, vi cujus ipſi poſſeſſio potius competat, quam poſſeſſori præſenti. Quamobrem ſi quis eum vi de poſſeſſione dejicit, perinde eſt ac ſi rem ſuam ipſi vi eriperet, cum poſſeſſio utique ſpectetur tanquam res incorporalis ſua. Enimvero res rapta domino reſtituenda eſt (§. 523.). Ergo etiam ei reſtituenda poſſeſſio eſt, qui vi de eadem dejectus eſt ſive a non domino, ſive a domino, antequam dominium probavit.

Cui res reſtituitur mobilis, eidem reſtituitur poſſeſſio, cum dominium in eadem retineat, etiamſi poſſeſſione excidat (§. 257.). Quando itaque poſſeſſio rei immobilis reſtituitur, res

res quoque immobilis reſtituitur. Res vero poſſeſſori erepta tamdiu reſtituenda, quamdiu de domino nondum certo conſtat.

§. 726.

Jus dejicientem de poſſeſſione dejiciendo quando competat.

Quoniam *ei, qui de poſſeſſione vi dejectus eſt ſive a non domino, ſive a domino, qui dominium nondum probavit*, poſſeſſio reſtituenda; *ſi quis* eidem *poſſeſſionem reſtituere non vult, dejecto competit jus alterum vi de eadem iterum dejiciendi* (§. 23 *part. I. Jur. nat.*).

Nimirum poſſeſſio tamdiu ſpectatur tanquam res ſua poſſeſſoris, donec de domino certo conſtiterit. Unde in hoc caſu violenta dejectio convenit cum rei vindicatione (§. 543.). Ideo præſens propoſitio ex jure rem ſuam vindicandi etiam inferri poterat (§. 544.) Prodeſt talia notaſſe ad formandos conceptus univerſales, quos haud exigui uſus eſſe in ſcientiis nemo ignorat, cui eas intimius inſpicere datum eſt. Quamvis vero hoc artificio multa brevius demonſtrare poteramus, conſultius tamen viſum fuit eodem non uti, ne tyronibus, quibus conceptus iſtiusmodi generales familiares non ſunt, obſcuriora & minus evidentia viderentur, quæ perſpicacioribus plana & expedita ſunt. Conceptus iſti univerſales magis conducunt ad inveniendam veritatem, quam ad inventam diſcentibus demonſtrandam.

§. 727.

Vi poſſidere quinam dicatur.

Vi poſſidere dicitur, qui poſſeſſorem veterem de poſſeſſione vi dejiciendo poſſeſſionem acquiſit, ſive is jure, ſive mala fide poſſideret.

Hic ſignificatus receptus eſt in Interdictis prætoriis adeoque idem a nobis retineri debuit (§. 142. *Diſc. prælim.*).

§. 728.

Quinam vi non poſſideat.

Quoniam de poſſeſſione vi dejectus ſi eum, qui ipſum deje-

Digitized by Google

dejecerat, de poſſeſſione vi acquiſita iterum dejicit, eandem recuperat, non vero demum acquirit, quam nondum habuerat, vi autem non poſſideat, niſi qui poſſeſſorem veterem vi dejiciendo de poſſeſſione eam acquiſivit (§. 727.); *Qui de poſſeſſione vi dejectus eum, qui ipſum dejecerat, iterum dejicit, vi non poſſidet.*

Conſentit Jus Romanum l. 1. ff. de vi & vi arm.

§. 729.

Alius caſus. Eodem modo patet, *qui vim vi repellit, ne de poſſeſſione ſua dejiciatur, conſequenter per vim eam retinet, eum vi non poſſidere* (§. 727.).

Convenit etiam hoc cum Jure Romano l. c.

§. 730.

Vi dejecto quando poſſeſſio non reſtituenda. *Quando vi poſſidens ab adverſario de poſſeſſione vi dejicitur, poſſeſſio ipſi non reſtituenda.* Etenim vi poſſidens poſſeſſionem ei reſtituere tenetur, qui de eadem dejectus eſt (§. 725.), & ſi id facere nolit, dejecto natura competit jus eum iterum dejiciendi (§. 726.). Quamobrem evidens eſt, poſſeſſionem reſtituendam non eſſe ei, qui cum vi poſſideat ab adverſario de poſſeſſione vi dejicitur.

Raptor vel prædo rem raptam reſtituere tenetur ei, cui rem vi eripit. Enimvero ſi hic eam iterum eripuit, nemo non intelligit, quod nulla locum habere poſſit reſtitutio. Cum poſſeſſio vi acquiſita æquipolleat rei raptæ, ecquis non videt poſſeſſionem ſibi ereptam, quando vi recuperatur, invaſori non eſſe reſtituendam. Civile adeo eſt, non naturale, quod interdicto unde vi reſtitutio etiam dejecto fieri jubeatur, qui vi ab eo poſſidet, a quo dejectus eſt, niſi vis præſens fuerit repulſa §. 6. I. de Interd. Cur vero jus civile a naturali recedat, alio loco explicandum. Naturalis ratio nulla

nulla eſt, cur quod tibi competit jus eum, qui te dejecit, in continenti iterum dejiciendi, competere non debeat quocunque tempore alio.

§. 731.

Nemo domino ignorante poſſesſionem ipſius occupare debet.

An occupatio poſſeſſionis alienæ non violenta licita.

Etenim domino ſoli competit jus rem ſuam poſſidendi (§. 157.), conſequenter qui ipſo ignorante poſſeſſionem ejus occupat, is facit quod contra jus domini eſt. Enimvero nemo quicquam contra jus alterius facere debet (§. 910. *part. I. Jur. nat.*). Ergo nemo quoque domino ignorante poſſeſſionem ipſius occupare debet.

E. gr. Si tu ad nundinas profectus (quod eſt exemplum *Labeonis* l. 6. ff. de acq. & amit. poſſ.) neminem reliqueris; nemini licet poſſeſſionem fundi tui occupare, etiamſi non ſit, qui reſiſtat. Convenit iſtiusmodi occupatio poſſeſſionis cum furto (§. 498.), adeoque lege naturali non minus quam furtum (§. 519.), prohibita eſſe debet.

§. 732.

Clandeſtina poſſeſſio quænam ſit.

Qui ignorante poſſeſſore poſſeſſionem ſine vi occupat, *furtive eam ingredi* & rem *clam poſſidere* dicitur: ipſa vero *poſſeſſio* hoc modo acquiſita *clandeſtina* appellatur.

Caſum clandeſtinæ poſſeſſionis modo dedimus (*not.* §. 731.). Clam igitur a te hortum poſſidet, qui furtive eum ingreſſus eſt, veluti te abſente ac nemine in eodem relicto occupata poſſeſſione ejus. Facile autem apparet, cur clandeſtina etiam detur poſſeſſio. Nimirum ſi quis jus quoddam in re immobili ſibi competere exiſtimat, ſibi tamen metuit, ne a poſſeſſore vi reſiſtatur; poſſeſſionem clam potius occupare, quam hunc vi dejicere mavult. Occurrit iſtiusmodi poſſeſſio etiam inter Gentes, prouti ſuo loco in Jure Gentium videbimus.

Digitized by Google

§. 733.

Recuperatio poſſeſſionis clandeſtina quando licita.

Domino, probato adverſus poſſeſſorem rei ſuæ dominio, competit jus etiam poſſeſſore ignorante poſſeſſionem occupandi, ſi eam reſtituere non vult. Competit enim ipſi in hoc caſu jus vi poſſeſſorem de poſſeſſione dejiciendi, ſi rem ſuam reſtituere non vult (§. 719.). Quamobrem ſi ſine vi ignorante poſſeſſore poſſeſſionem recuperare vel etiam primum acquirere poſſit, ecquis dubitabit, quin medium recuperandi vel acquirendi poſſeſſionem lenius præferre poſſit duriori, conſequenter quod etiam ipſi competat jus poſſeſſore rei ſuæ ignorante poſſeſſionem occupandi, ſi eam reſtituere non vult.

Si quis de poſſeſſione ædium tuarum te dejicit, & tu ſine vi, abſente poſſeſſore, ædes vacuas ingredi & poſſeſſionem hoc pacto recuperare poſſis, nullum profecto dubium eſt, quin hoc facere liceat: immo fatebuntur omnes, hoc potius faciendum eſſe, quam ut ædes incolentem vi expellas. Per ſe autem patet, probatione dominii opus non eſſe, ubi per ſe ſatis manifeſtum eſt, te dominum rei eſſe.

§. 734.

Quando illicita acquiſitio.

Nemo non dominus poſſeſſore rei alienæ ignorante poſſeſſionem occupare debet. Etenim non domino nullum jus poſſidendi competit (§. 157.). Quamobrem ſi quis vel maxime rem alienam poſſidet, non tamen ideo non dominus jus ullum occupandi poſſeſſionem nanciſcitur, ut eam ſibi habeat. Igitur nec poſſeſſore rei alienæ ignorante poſſeſſionem occupare debet.

Valet hoc etiam in eo caſu, ſi poſſeſſor fur vel prædo fuerit; neque enim in demonſtratione attenditur, quomodo poſſeſſionem acquiſiverit, ſed tantummodo ſupponitur, quod jam habeat, cui ea clam aufertur.

§. 735.

Digitized by Google

§. 735.

Clandeſtina poſſeſſio illicita, ſive a domino, ſive ab alio poſſeſſore quocunque clam poſſideas. Etenim ſi dominus non fueris, nec poſſeſſionem ignorante domino vel poſſeſſore alio quocunque occupare licet (§. 731. 733. 734.). Quamobrem cum clandeſtina poſſeſſio ſit, quæ ignorante poſſeſſore occupatur ſine vi (§. 732.); clandeſtina poſſeſſio illicita eſt, ſive a domino, ſive ab alio poſſeſſore quocunque clam poſſideas. *Clandeſtina poſſeſſio quando illicita.*

Illicitam non minus clandeſtinam, quam violentam poſſeſſionem pronunciat Prætor in Interdictis ipſam rationem naturalem ſecutus, ut adeo perſpicaciores vi principiorum a nobis hic perſpectorum facile judicaturi ſint, quomodo interdicta ex jure naturali effecta fuerint, modo adhuc jus civitatis a nobis fuerit explanatum.

§. 736.

Si quis a te clam poſſidet, nec poſſeſſionem reſtituere vult, tibi jus eſt ipſum de clandeſtina poſſeſſione vi dejiciendi. Etenim ſi quis a te clam poſſidet, te ſive domino, ſive poſſeſſore ignorante poſſeſſionem occupavit (§. 732.), conſequenter cum hoc facere illicitum ſit (§. 731. 734.), poſſeſſionem tibi ablatam utique reſtituere tenetur, quemadmodum vi dejecto ea reſtituenda (§. 725.). Quodſi ergo hoc facere nolit, eodem modo patet, quod tibi competat jus eum de clandeſtina poſſeſſione dejiciendi, quo paulo ante oſtendimus dejecto competere jus iterum dejiciendi dejicientem (§. 726.). *Vis in clandeſtinum poſſeſſorem licita.*

Qui cogitat, quoad effectum juris perinde eſſe, ſive vi de poſſeſſione dejiciaris, ſive ea tibi clam auferatur, quæ de violento poſſeſſore demonſtrata ſunt, ea facile transferet ad clandeſtinum.

§. 737.

Quando poſſesſionem ignorante poſſeſſore occupare liceat.

Quoniam clam a te poſſidentem vi dejicere licet (§. 736.); multo magis, ut *poſſesſionem* amiſſam recuperes, eam *ignorante eo, qui clam a te poſſidet, occupare licet.*

Notanda hic eadem ſunt, quæ paulo ante in caſu ſimili annotavimus (*not.* §. 726.).

§. 738.

Quando poſſeſſione ignorante poſſeſſore occupata clandeſtina non ſit.

Si tu eo, qui te vi dejecit de poſſesſione, vel qui clam a te posſidet, ignorante poſſeſſionem occupas, clam ab eo non poſſides. Etenim poſſeſſionem amiſſam licito modo recuperas (§. 737.), non vero poſſeſſionem alienam illicito modo acquiris (§. 731. 734.). Quamobrem cum nonniſi de poſteriori caſu intelligatur clandeſtina poſſeſſio (§. 732.); ſi tu eo, qui te vi dejecit de poſſeſſione, vel qui clam a te poſſidet, ignorante poſſeſſionem occupas, clam ab eo non poſſides.

Ne in materia de poſſeſſione, quæ ſatis intricata videtur non ſufficiente acumine utentibus, confuſio oriatur, recuperatio poſſeſſionis amiſſæ probe diſtinguenda ab acquiſitione ejus, cum antea eam non habuiſſemus.

§. 739.

Jus poſſeſſoris.

Quamdiu poſſeſſori poſſesſionem auferre non licet, liberum ipſi permittendum eſt dominii exercitium. Etenim poſſeſſor detinet rem tanquam ſuam (§. 150.), adeoque eo animo, ut de eadem inſtar domini diſponat (§. 124.). Quamdiu itaque poſſeſſionem eidem auferre non licet, permittendum utique eſt, ut inſtar dominii de re diſponat. Quamobrem cum exercitium dominii conſiſtat in actibus, quibus de re diſponitur (§. 649. 118.); permittendum utique eidem

Digitized by Google

dem eſt liberum dominii exercitium, quamdiu ei poſſeſſionem auferre non licet.

Jus hoc poſſeſſori vi poſſeſſionis competens eſt libertas de re, quam poſſidet, inſtar domini diſponendi, quamdiu nemo adeſt, qui jus habet eum poſſeſſione privandi ſive dominus fuerit, ſive non fuerit, libertas vero illa inſtar domini de re diſponendi non confundenda eſt cum jure, in quo dominium conſiſtit (§. 118.). Si poſſeſſor non fuerit dominus, ſive bona, ſive mala fide poſſideat, de re, quam poſſidet, nullo jure diſponit (§. 161.): Permittendum tamen ipſi eſt, ut inſtar domini diſponat, quamdiu dominus ignoratur aut de eo certo nondum conſtet. Atque adeo aliud eſt jus de re quadam pro arbitrio diſponendi, in quo dominium conſiſtit, aliud libertas de re, quam quis poſſidet, inſtar domini diſponendi, quamdiu nemo licite poſſeſſionem ei auferre licet. Eſt enim jus poſſeſſori competens particula quædam libertatis naturalis, vi cujus etiam alteri permittendum ut faciat, quod illicitum eſt, quamdiu nil fit contra jus permittentis (§. 158. *part. I. Jur. nat.*), adeoque quod quis nullo jure facit (§. 170. *part. I Phil. pract. univ.*). Neque conceſſa hac libertate poſſeſſori non domino in caſu dubio damnum datur domino, vel injuria ipſi fieri permittitur, cum ex ſuperioribus jam conſtet, quid juri conveniat, ſi is dominium ſuum ad liquidum perduxit, tam contra poſſeſſorem bonæ fidei, quam malæ fidei.

§. 740.

Tamdiu rem poſſides quamdiu hac in eo permanet ſtatu, ut dominium ſive per te, ſive per alios exercere poſſis, aut, quod perinde eſt, ſive ipſe, ſive alius tuo nomine dominium exercere queat. *Quamdiu duret poſſeſſio.* Etenim ſi res in eo permanet ſtatu, ut tanquam dominus de ea diſponere poſſis pro arbitrio tuo, cum dominium in hoc jure conſiſtat (§. 118.), eam utique detines tanquam tuam

tuam (§. 124.). Conſiſtit autem in hisce actibus dominii exercitium (§. 649.), & dominium exercetur, ſive ipſe, ſive alius tuo nomine actus iſtos edat. Detines adeo tamdiu rem tanquam tuam, quamdiu dominium ſive ipſe, ſive alius tuo nomine exercere valet. Enimvero rem poſſides, quamdiu eam detines tanquam tuam (§. 157.). Ergo tamdiu rem poſſides, quamdiu in eo permanet ſtatu, ut dominium ſive ipſe, ſive alius tuo nomine exercere queat.

Ad poſſeſſionem non requiritur actuale exercitium dominii, ſed ſufficit nuda ejus poſſibilitas, ſeu potentia phyſica dominii exercendi. Neque neceſſe eſt, ut ipſe dominium exercere poſſis; ſed ſufficit, ut alius hoc facere queat tuo nomine, cum quod alius tuo nomine facit ipſe feciſſe putandus ſis. Sane detentio rei tanquam ſuæ non aliud ſignificat, quam rem in eo eſſe ſtatu, ut, quoties tibi viſum fuerit, de ea inſtar domini diſponere valeas, tibique eſſe hunc animum, quando viſum fuerit, actu diſponendi. Solus animus de re diſponendi pro arbitrio tuo non ſufficit ad poſſeſſionem, niſi etiam res in eo fuerit ſtatu, ut, quod vis, a te etiam, ſive tuo nomine ab aliis fieri poſſit. Rei igitur in iſto ſtatu exiſtentia detentionem loquitur, nec ſine ea intelligitur.

§. 741.

Res mobilis cuſtodia quomodo poſſideatur.

Quoniam res mobilis tamdiu manet in eo ſtatu, ut de ea inſtar domini diſponere poſſis, quamdiu a te cuſtoditur, quod per ſe patet, tamdiu vero eandem poſſides, quamdiu in ſtatu iſto permanet (§. 740.); *rem mobilem tamdiu poſſides, quamdiu eam tanquam tuam cuſtodis.*

Facile adeo apparet, rem mobilem te poſſidere poſſe, etiamſi ignores eam eſſe in numero rerum tuarum, modo a te cuſtodiatur tanquam tua. Immo non ideo excidis poſſeſſione, etiamſi ignores ubinam ea ſit, nec quæſitam reperire poſſis

poſſis, de ea inſtar domini diſpoſiturus. Sed ſufficit eam adhuc eſſe in cuſtodia tua.

§. 742.

Quomodo poſſeſſio retineatur.

Similiter quoniam tamdiu rem poſſides, quamdiu in eo remanet ſtatu, ut dominium ſive ipſe exercere queas, ſive alius tuo nomine exercere poſſit (§. 740.); *poſſeſſio retinetur non ſolo animo poſſidendi, ſed potentia inſuper proxima ad eos actus, in quibus dominii exercitium conſiſtit.*

Atque hæc ratio eſt, cur ſupra contra communem JCtorum doctrinam aſſeruerimus, poſſeſſionem ſolo animo non retineri, quemadmodum dominium retinetur (§. 258. 259.). Relegenda hic ſunt, quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 260.). Ex iis enim, quæ ibidem annotavimus, intelligi poteſt, non in re, ſed verbis eſſe diſſenſum. Nobis tamen viſum eſt non modo recte cogitare, verum etiam recte eloqui, quæ cogitamus. Sane nemo JCtorum negabit ad animum poſſidendi requiri etiam potentiam proximam ad eos actus, in quibus dominii exercitium conſiſtit, cum alias adhuc poſſideres, ſi quis vi vel clam a te poſſidet: quod utique abſurdum.

§. 743.

An abſens rem poſſidere poſſit.

Et quoniam abſentia tua minime obſtat, ut quis tuo nomine dominium exerceat, res autem tamdiu a te poſſidetur, quamdiu in eo permanet ſtatu, ut alius tuo nomine dominium exercere queat (§. 740.); *rem etiam abſens poſſides, quamdiu ea in eo permanet ſtatu, ut alius tuo nomine dominium exercere poſſit.*

Nimirum a te abſente res adhuc detinetur tanquam tua, quod permanet in eo ſtatu, ut de ea tuo nomine tanquam de re tua diſponi poſſit. Nulla ſane hic differentia eſt, ſive præſens fueris, ſive abſens, ut abſentis non alia ſit poſ-

ſidendi ratio, quam præſentis. Atque hac de cauſa non opus eſt, ut dicamus ab abſente ſolo animo retineri poſſeſſionem.

§. 744.

Poſſeſſio rerum incorporalium ſeu Jurium.

Res incorporales, aut, ſi mavis, *Jura nobis competentia poſſidentur uſu & facultate phyſica utendi.* Etenim cum res incorporales in ſenſus minime incurrant, adeoque nec tangi poſſint (§. 497. *part. I. Jur. nat.*); alio modo a nobis detineri nequeunt tanquam noſtræ, niſi quatenus iisdem utimur, quotiescunque nobis viſum fuerit. Quoniam vero non continuus eſſe poteſt earum uſus, ideo ſufficit tibi eſſe facultatem utendi, quotiescunque volueris, conſequenter ut res eo permaneant in ſtatu, quo facultas utendi tibi ſalva eſt. Quamobrem cum rem poſſideat, qui eam detinet tanquam ſuam (§. 150.); res incorporales, aut, ſi mavis jura nobis competentia poſſidentur uſu & facultate utendi phyſica.

E. gr. Res incorporalis eſt jus venandi. Jus adeo venationis poſſides, quatenus non modo actu venaris, quotiescunque tibi viſum fuerit, & de actu venandi ac ipſo jure pro arbitrio tuo diſponis, verum etiam cum actus iſte non ſit continuus, quatenus fieri poteſt, ut veneris, quando tibi viſum fuerit, & aliis concedere potes, ut in eo diſtrictu, in quo jus venandi habes, nunc venentur, aut ut quis feram quandam tuo permiſſu capiat. In Jure vix conſideramus res incorporales alias præter Jura, quando de poſſeſſione ſermo eſt. Atque tum propoſitionis præſentis veritas ex ipſa notione juris clarius eluceſcit. Cum enim jus non ſit niſi facultas moralis agendi (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*), poſſeſſio autem, prouti ex antecedentibus abunde liquet, magis in facto, quam in jure conſiſtat, quamvis ex hoc facto jus quoddam ſequatur, quod jus poſſeſſionis appellatur (§. 724.)

724.) & in anterioribus a nobis demonſtratum fuit; facultas moralis agendi a nobis detineri nequit tanquam noſtra, niſi quatenus phyſicam quoque agendi facultatem habemus, ut, quod facere licet, etiam facere poſſimus. Quodſi vero facere quid equidem tibi licet, nullo tamen modo fieri poteſt, ut facias, etiamſi velis; perinde omnino eſt, ac ſi res fuerit in dominio tuo, in eo tamen fuerit ſtatu, ut facere non poſſis, quod vi dominii tibi facere licet. Quemadmodum itaque in hoc caſu poſſeſſionem amiſiſſe videris, quando liberum dominii exercitium tibi permiſſum non eſt, ſed ab omni actu vi dominii licito abſtinere cogeris, conſequenter nullus tibi eſt dominii uſus; ita ſimiliter jus, quod tibi competit, non poſſides, quando excluderis uſu ejusdem, nec phyſica utendi facultas in tua poteſtate eſt. Ceterum quæ de Juribus dicta ſunt, ad res quoque alias incorporales applicari poſſunt, etſi in Jure vix ſit aliqua poſſeſſionis earundem utilitas. E. gr. Virtus omnino ad res incorporales referri debet (§. 497. *part I. Jur nat.*), quæ tanquam accidens inhæret ſubſtantiæ animæ. Poſſidetur adeo a nobis virtus, quatenus phyſice poſſibile eſt, ut edamus actus ex habitu virtutis procedentes, atque adeo liberum virtutis exercitium in poteſtate noſtra eſt. Neque vero exiſtimandum eſt, poſſeſſionem hoc modo latiſſime extenſam nullius eſſe uſus. Qui enim novit, conceptus univerſales, etiamſi aliquid fictitii contineant, uſui eſſe in inveniendo; is quoque pervidebit, poſſeſſionis conceptum univerſalem, cui tribuitur, omnis amplitudo, quam habere poteſt, hoc uſu in moralibus minime deſtitui. Sed de talibus plura dicenda erunt in Arte inveniendi, ſiquidem Deo viſum fuerit, ut telam cœptam eo usque pertexamus. Quæ vero de poſſeſſione rerum incorporalium a nobis dicta ſunt, conveniunt menti Jctorum Romanorum l. fin. ff. de Servit. vid. *Struvius* in Jurisprud. Romano German. forenſi lib. 2. tit. 36. §. 4.

§. 745.

Violenta poſſeſſio rei incorporalis. Quoniam res incorporales ſolo uſu & facultate phyſica utendi poſſidentur (§. 744.), *qui te vi uſu rei incorporalis excludit vel facultatem phyſicam utendi tibi adimit, & uſum iſtum ſibi arrogat, is de poſſeſſione rei incorporalis te vi dejicit & eam a te vi poſſidet* (§. 727.).

In poſſeſſione diſtinguenda eſt potentia agendi phyſica a potentia agendi morali. In hac jus conſiſtit, illa vero ad poſſeſſionem requiritur cum affectatione potentiæ agendi moralis. Potentia moralis nemini adimi poteſt invito, adimi tamen poteſt phyſica, quatenus res ita ſubducitur poteſtati tuæ, ut de ea non amplius diſponere poſſis, quemadmodum lubet ac licet, vel quatenus jure, in quo res incorporalis conſiſtit, ab altero uti prohiberis, qui eundem uſum ſibi arrogat. Ademta igitur potentia agendi phyſica adimitur poſſeſſio, etſi permaneat licitum, ut, quod facere prohiberis, jure a te fieri poſſet, nec niſi injuria fieri prohibeatur, ſeu quod minus fieri poſſit impediaris. E. gr. Si jus venandi tibi fuerit proprium in aliquo diſtrictu, hoc jus conſiſtit in potentia morali venandi, ut ſcilicet tibi venari liceat citra ullius injuriam, nemo vero præter te in eo diſtrictu abſque tuo conſenſu licite venetur. Quodſi ergo fuerit qui vi a venatione in illo diſtrictu te abſtinere cogit, ipſe venaturus in eodem quoties libuerit: is ademta potentia venandi phyſica de poſſeſſione te dejicit. Actum tuum venandi ut illicitum reddat fieri nullo modo poteſt, quamdiu tibi fuerit in iſto diſtrictu venandi voluntas; aſt totus impediri poteſt, quo minus detur, ſeu alterius voluntate ceſſare poteſt contra voluntatem tuam, obſtaculo phyſico objecto. Et hoc modo intelligitur, quomodo dominium, in quo eſt res ſive corporalis, ſive incorporalis, animo conſervetur, poſſeſſio vero adimatur. Immo clariſſime quoque conſpicitur, quomodo poſſeſſio retineatur etiam ab abſente, vel præſente,

Digitized by Google

qui jure ſuo non utitur, veluti agrum, quem colere poterat, non colit; ædes, quas incolere poterat, vacuas relinquit; non venatur, cum venari poſſet. Ac evidentiſſime patet, retentionem poſſeſſionis non pendere a ſolo voluntatis actu, quo dominium ſeu jus retineri poteſt, ſed præterea requiri potentiam agendi phyſicam, quæ morali reſpondet minime impeditam. Ne autem potentia phyſica agendi ex parte tua impediatur & præter voluntatem tuam tu pati debeas, ut alius faciat, quod tibi tantummodo facere licebat, id a tua minime pendet voluntate, quemadmodum nemo non perſpicit, qui vel levi attentione utitur. Ceterum obiter monemus ex modo dictis manifeſtum eſſe, ſine ſubtilitatibus metaphyſicis, quas ignorantes oderunt, ſcioli rident, jura intime perſpici minime poſſe, ut pleniſſima luce radient.

§. 746.

Quoniam res incorporales perinde ac corporales dominio ſubjici poſſunt (§. 216.) & rerum corporalium ac incorporalium poſſeſſio non intelligitur, niſi per potentiam phyſicam faciendi, quod vi dominii facere licet (§. 740. 744.); *quæ de poſſeſſione rerum corporalium demonſtrata fuerunt, ea etiam de poſſeſſione rerum incorporalium intelligenda.* Unde ſequitur, *quod nemo te de poſſeſſione rei incorporalis vi dejicere debeat* (§. 714. 720.), *nec domino competat hoc jus, niſi dominio probato, ubi poſſeſſionem ipſi reſtituere non vis* (§. 721.). *De poſſeſſione rerum incorporalium tenenda.*

Superfluum foret cetera, quæ de poſſeſſione rerum demonſtrata ſunt, ad poſſeſſionem incorporalium applicare. Sufficit enim oſtendiſſe, quod ubi principiis iſtis opus habemus, iisdem locus ſit non minus in poſſeſſione rerum incorporalium, quam corporalium.

§. 747.

Res incorporales dicuntur *quaſi poſſideri*, quatenus earum poſſeſ- *Quaſi poſſeſſio quid ſit.*

Digitized by Google

poſſeſſio fingitur ad analogiam poſſeſſionis rerum corporalium, cujus fundamentum eſt potentia phyſica ad eos actus, quos edendi facultas moralis jus eſt domino competens (§. 742. 744.). Unde *quaſi poſſeſſio*, quæ etiam a nonnullis *analogica* appellatur in oppoſitione ad *poſſeſſionem proprie ſic dictam*, eſt poſſeſſio rerum incorporalium, quæ fingitur ad analogiam ſeu ſimilitudinem rerum corporalium, hoc eſt, quæ in ſolo uſu & facultate phyſica utendi conſiſtit.

In ipſo etiam Jure Romano hæc quaſi poſſeſſio ſimpliciter poſſeſſio appellari ſolet. Quamobrem nulla adeſt ratio, cur nos demum poſſeſſionem diſtinguamus in poſſeſſionem proprie ſic dictam & in quaſi poſſeſſionem, præſertim cum oſtenderimus, ſi accurate rem inſpicias poſſeſſionem rerum corporalium & incorporalium una eademque notione comprehendi poſſe: quæ etiam ratio eſt, ut quoad effectum juris, qui hic unice attenditur, nulla intercedat inter utramque poſſeſſionem differentia.

§. 748.

Turbatio poſſeſſionis quid ſit.

Poſſeſſio dicitur *turbari*, ſi poſſeſſor impeditur in exercitio dominii ipſi permittendo quoad unum alterumve actum quocunque modo, non tamen idem totum ipſi adimitur. *Turbatio* adeo *poſſeſſionis* eſt impeditio actuum quorumcunque vi poſſeſſionis poſſeſſori permittendum quocunque modo facta.

Nimirum actus vi poſſeſſionis poſſeſſori permittendi, minime vero impediendi ſunt hi ipſi, in quibus exercitium domini conſiſtit (§. 123.). Detinet enim poſſeſſor rem, quam poſſidet tanquam ſuam, eaque utitur & de ea diſponit inſtar domini. Et ſine exercitio dominii poſſeſſio foret inutilis. Immo res incorporales non poſſidentur niſi exercitio juris, in quo conſiſtunt (§. 747.). E. gr. Turbatur poſſeſ-

ſio,

Digitized by Google

ſio, ſi quis impedit, ne agrum colere, ne fructus percipere, perceptos vendere poſſis: item ſi quis impedit, ne ædes incolere, vel alii incolendas locare valeas.

§. 749.

Omnis turbatio poſſeſſionis illicita. Etenim poſſeſſori permittendum eſt liberum dominii exercitium, quamdiu poſſeſſionem ipſi auferre non licet (§. 739.), conſequenter nemo in exercitio dominii quoad actum ullum ullo modo impedire poſſeſſorem debet (§. 722. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem cum poſſeſſio turbetur, ſi poſſeſſor impeditur in exercitio dominii quoad unum alterumve actum quocunque modo (§. 748.); nemo poſſeſſionem alterius turbare debet, conſequenter omnis turbatio poſſeſſionis illicita (§. 170. *part. I. Phil. pract. univ.*). *Quod ſit illicita.*

Multis omnino modis poſſeſſio turbari poteſt, cum non modo plures ſint actus, qui ad dominii exercitium poſſeſſori permittendum ſpectant; verum etiam actus ſinguli pluribus modis impediri poſſint. Cum igitur hic in genere demonſtratum ſit, actus omnes, quibus actus quicunque poſſeſſori permittendus, ſeu ad exercitium dominii ſpectans impeditur quocunque modo, illicitos eſſe; non opus eſt, ut ſingulos actus ad exercitium dominii ſpectantes recenſeamus ac in modos, quibus iidem impediri poſſunt, ſollicite inquiramus. Ne tamen minus acutorum attentioni ſeſe ſubducant, quæ ad turbationem poſſeſſionis referenda ſunt, quædam ſaltem ſpecialia de modo turbandi poſſeſſionem in medium afferenda ſunt.

§. 750.

Turbatio verbalis eſt, quæ fit verbis: *realis* vero, quæ in facto quodam conſiſtit. *Turbationis diviſio in verbalem & realem.*

Diſſe-

Differentiam hanc admittunt Doctores Juris civilis, niſi quod utramque turbationem tam verbalem, quam realem in judicalem & extrajudicalem ſubdividant. Vid. *Struvius* in Syntagm. Jur. civ. Exercit. 42. Lib. 4. ff. tit. 2. §. 28. 29. Sed ſubdiviſio non eſt hujus loci, cum in ſtatu naturali, ultra quem jam non progredimur, judiciorum nullus ſit locus. Quæ igitur de turbatione ſive verbali, ſive reali hic traduntur, ea de extrajudicali accipienda ſunt.

§. 751.

Utraque illicita.

Quoniam turbatio omnis poſſeſſionis illicita (§. 749.), poſſeſſionem autem tam verbis, quam factis turbari poſſe ipſa experientia loquitur, ac in caſibus particularibus nullo negotio patet, eſtque verbalis turbatio, quæ verbis, realis quæ ipſo facto fit (§. 750.); *turbatio poſſesſionis verbalis non minus illicita, quam realis.*

Unum ſane idemque eſt, ſive verbis alterius impediatur aliquis dominii actus tibi tanquam poſſeſſori permittendus, ſive facto quodam, & qualecunque tandem fuerit hoc factum. Quamobrem qui agnoſcit, poſſeſſionem alterius non eſſe turbandam, is illicitam eſſe perſpicit non minus verbalem, quam realem poſſeſſionem.

§. 752.

Cur poſſeſſorem diffamare non liceat quaſi poſſeſſor non ſit.

Nemo alterum diffamare debet, quaſi is non ſit rei, quam detinet, poſſeſſor, ſed poſſesſionem ſibi, vel alii competere, eo animo, ne poſſeſſor de re, quam posſidet, diſponere aut ex ea utilitatem aliquam percipere queat. Qui enim poſſeſſorem impedit, quo minus de re, quam poſſidet, diſponere vel ex ea utilitatem, quam vult, percipere queat, is poſſeſſionem ipſius turbat (§. 748.), & quidem verbis, in hypotheſi propoſitionis præſentis conſequenter turbatio verbalis eſt (§. 750.). Quamobrem cum turbatio

batio poſſeſſionis verbalis illicita ſit (§. 751.); nemo alterum diffamare debet, quaſi is non ſit rei, quam detinet, poſſeſſor, ſed poſſeſſionem ſibi, vel alii competere, eo quidem animo, ne poſſeſſor de re, quam poſſidet, diſponere aut ex ea utilitatem aliquam percipere queat.

Exemplum iſtiusmodi turbationis verbalis eſt, ſi propter diffamationem nemo fundum emere aut conducere velit, item ſi non poterit poſſeſſor invenire operarios, qui agrum colere velit metu deterriti, ne a vero poſſeſſore vim patiantur.

§. 753.

Cur prohibita diffamatio, quaſi tibi jus competat in re ab alio poſſeſſa

Nemo falſo aſſerere debet, ſibi jus aliquod in re, quam quis poſſidet, competere, eo quidem animo, ne altere libere de eadem diſponere, vel utilitatem quandam ex eadem percipere poſſit. Eodem prorſus modo oſtenditur, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus (§. 752.).

Eſt nimirum hæc quoque diffamatio turbatio poſſeſſionis verbalis & quod dedimus exemplum ad propoſitionem præcedentem, ad præſentem quoque applicari poteſt. Plenius autem intelligetur propoſitio præſens, ubi explicata fuerint jura, quæ quis in re ab alio poſſeſſa habere poteſt.

§. 754.

Cur nemo ſe gerere debeat tanquam poſſeſſorem rei, cujus poſſeſſor non eſt.

Nemo ſibi arrogare debet actus poſſeſſori permittendos, cui poſſesſio minime competit, ſeu, circa rem ab alio poſſeſſam ſe gerere non debet tanquam a ſe poſſeſſam. Qui enim ſibi arrogat actus poſſeſſori permittendos, cum tamen poſſeſſio ipſi minime competat, is poſſeſſorem utique impedit, quo minus ipſe libere de eadem diſponere ac utilitatem omnem inde percipere poſſit. Enimvero qui hoc facit poſſeſſionem alterius turbat (§. 748.), cumque turbatio in facto conſiſtat,

Digitized by Google

realis eſt (§. 750.). Quoniam itaque realis turbatio illicita eſt (§. 751.); nemo ſibi arrogare debet actus poſſeſſori permittendos, cum ipſi poſſeſſio minime competat, conſequenter nemo ſe gerere debet circa rem ab alio poſſeſſam tanquam a ſe poſſeſſam.

Hæc realis turbatio reſpondet turbationi verbali, quæ conſiſtit in diffamatione, quaſi tu, non alter ſit poſſeſſor rei. Quod enim in turbatione verbali verbis dicitur, id in reali præſentis caſus re ipſa fit. In illa enim turbator ſe dicit poſſeſſorem, in hac ſe gerit tanquam poſſeſſorem, utrobique in detrimentum poſſeſſoris. Ita turbatio poſſeſſionis eſt, ſi quis agrum ab alio poſſeſſam colit, ſi fructus ex horto ab alio poſſeſſo percipere conatur, ſi rem ab alio poſſeſſam vendit vel oppignorat. Hi enim actus, domino ſoli competentes, poſſeſſori autem permittendi, quamdiu poſſeſſio ipſi auferri nequit, non poſſeſſori permitti nequeunt.

§. 755.

Cur nemo ſe gerere debeat circa rem ab alio poſſeſſam, ac ſi ea alii conveniret.

Nemo facto quodam ſuo declarare debet, quaſi res, quam tu poſſides, poſſeſſio alii competat. Quoniam enim ne verbis quidem declarare licet pro poſſeſſore, qui non eſt, in præjudicium ejus, qui rem poſſidet (§. 752.): multo minus ipſo facto declarari debet, quaſi poſſeſſio rei, quam tu poſſides, alii competat.

Nimirum poſſeſſionis turbatio realis caſus præſentis convenit cum turbatione verbali, quæ in diffamatione conſiſtit, quaſi alius ſit poſſeſſor rei, quam qui eam detinet. Exemplum vero caſus præſentis eſt, ſi quis rem a te poſſeſſam conducit ab alio tanquam poſſeſſore, quem non eſſe novit, aut, ſi quod præſtare debet poſſeſſori, id tibi præſtat, quaſi ad te ſpectaret poſſeſſio. Plenior lux affulgebit propoſitioni præſenti, ubi oſtenderimus, quinam occurrant actus

circa

Digitized by Google

circa rem ab alio poſſeſſam. De his enim conſtare ſatis nequit, antequam doctrina contractuum & modi conſtituendi alteri jus in re ſua fuerint explicati. Sunt autem iſtiusmodi actus juri poſſeſſionis contrarii (§. 724.), adeoque illiciti (§. 910. *part. I. Jur. nat.*).

§. 756.

Quibusnam actibus poſſeſſoris non ſit reſiſtendum.

Nemo reſiſtere debet ullo modo actui ulli poſſeſſoris, quo inſtar domini de re, quam posſidet, quomodocunque diſponit. Qui enim hoc facit, actum iſtum impedit, aut ſaltem impedire conatur (§. 727. *Ontol.*), conſequenter poſſeſſionem alterius turbat (§. 748.). Et quoniam turbatur facto, quo reſiſtitur, turbatio realis eſt (§. 750.). Eſt vero omnis turbatio poſſeſſionis realis prohibita (§. 751.). Ergo nemo reſiſtere debet ullo modo actui ulli poſſeſſoris, quo inſtar domini de re, quam poſſidet, quomodocunque diſponit.

E. gr. Poſſeſſor agri vult agrum colere, tu eidem reſiſtis, ac operarios vi arces. Realis hæc eſt poſſeſſionis turbatio, non permiſſa, ſed prohibita lege naturali. Similiter poſſeſſor vult intrare in hortum, quem poſſidet, tu te opponis, nec permittere vis, ut intret, aut quocunque modo efficis, ne intrare poſſit. Realis hæc denuo poſſeſſionis turbatio eſt.

§. 757.

Differentia vis, qua jus alterius violatur.

Vis, qua poſſeſſio turbatur, dici ſolet *Vis turbativa,* quemadmodum ea, qua rei mobilis poſſeſſio alteri eripitur, *Vis ablativa;* ea vero, qua quis de poſſeſſione dejicitur rei immobilis, *vis expulſiva* vocatur, & ea, qua quis adigitur ad rem tradendam, vel poſſeſſionem alteri cedendam, *vis compulſiva* appellatur.

Cum termini hi recepti ſint in Jure, noſtrum quoque fuit eos explicare, ut a nobis demonſtrata cum doctrinis aliorum conferri poſſint facilius.

§. 758.

Minis ab actibus poſſeſſoriis cur poſſeſſor non deterrendus.

Nemo minis poſſeſſorem deterrere debet ab ullo actu ad dominii exercitium ſpectante, ſeu vi poſſeſſionis ipſi permittendo. Qui enim hoc facit, utique poſſeſſorem in exercitio dominii impedit (§. 726. *Ontol.*), conſequenter ejusdem poſſeſſionem turbat (§. 748.). Quamobrem cum turbatio omnis poſſeſſionis illicita ſit (§. 749.); nemo quoque minis poſſeſſorem deterrere debet ab ullo actu ad dominii exercitium ſpectante, ſeu vi poſſeſſionis ipſi permittendo.

Exempli loco eſt, ſi quis minis deterret poſſeſſorem, ne agrum colat, ne arbores in ſylva, quam poſſidet, cædat, ne in fundo a ſe poſſeſſo ædificet.

§. 759.

Quomodo poſſeſſio rerum incorporalium turbetur.

Poſſeſſio rei incorporalis turbatur, ſi uſus juris, quod quis poſſidet, quomodocunque impeditur. Etenim res incorporales, ſive jura poſſidentur uſu & facultate phyſica utendi (§. 744.). Quamobrem ſi quis uſum juris, quod alter poſſidet, quomodocunque impedit; is poſſeſſorem impedit in exercitio juris ipſi permittendo (§. 653.). Enimvero qui alterum impedit in exercitio juris ipſi permittendo, is poſſeſſionem ipſius turbat (§. 748.). Poſſeſſionem itaque rei incorporalis turbat, qui uſum juris, quod quis poſſidet, quomodocunque impedit.

E. gr. Ponamus tibi competere jus piſcandi. Quodſi quis piſcari volenti reſiſtit, ne piſcari valeas; is poſſeſſionem tuam turbat. Eodem modo idem intelligitur, ſi tibi jus venandi, vel jus aucupii competit.

§. 760.

Quoniam quæ de poſſeſſione rerum corporalium demonſtrantur, de poſſeſſione etiam rerum incorporalium intelliguntur (§. 746.); *quæ de turbatione poſſeſſionis hactenus demonſtrata ſunt, ad quaſi poſſeſſionem,* ſeu *rerum incorporalium poſſeſſionem etiam applicanda veniunt.* *De turbatione quaſi poſſeſſionis tenenda.*

Poteſt & hæc dividi in verbalem & realem. Et ad verbabalem referri debet diffamatio, quaſi non tibi, ſed alii vel diffamanti competat jus aliquod proprium, veluti jus in eo diſtrictu venandi: ad realem refertur arrogatio juris tibi competentis, veluti ſi quis venetur in eo diſtrictu, ubi jus venandi tibi proprium, quaſi ſibi hoc liceat; reſiſtentia, quæ fit jure ſuo utenti, veluti ſi quis pati nolit, ut feras capias in eo fundo, ubi venandi jus habes; metus minis incuſſus, ſi tuo jure uti volueris, veluti ſi piſcari velis in ea fluvii parte, ubi piſcandi jus habes. Has turbationes eſſe illicitas novis demonſtrationibus non demum evincendum eſt.

§. 761.

Si quis poſſeſſionem acquirere vult, rem poſſidendam facto quodam redigere debet in eum ſtatum, quo phyſice poſſibile eſt, ut de ea pro arbitrio ſuo diſponat inſtar domini. Ut enim res poſſideatur, neceſſe eſt rem eſſe in eo ſtatu, quo dominium exercere (§. 740.), conſequenter pro arbitrio ſuo diſponere de re poteſt (§. 118.). Quamobrem ſi quis poſſeſſionem acquirere vult, rem poſſidendam facto quodam redigere debet in eum ſtatum, quo phyſice poſſibile eſt, ut de ea pro arbitrio ſuo diſponat tanquam dominus. *Poſſeſſio quomodo acquiratur.*

Factum hoc JCti actum corporalem vocant, quia actus omnes externi motu corporis & organorum ejus perficiuntur. Hinc poſſeſſionem animo & corpore ſimul acquiri affirmant.

firmant. Qui enim poſſeſſionem acquirere debet, is quoad actum internum rem poſſidere velit neceſſe eſt; quoniam vero ſola voluntate res nondum eſt in eo ſtatu, ut eam poſſidere queas, ideo requiritur etiam actus externus quo in ſtatum iſtum redigitur. Hic loci nobis tantummodo ſermo eſt, quomodo poſſeſſio originarie acquiratur, adeoque in actum iſtum corporalem acquirendum, quo poſſeſſio originaria obtinetur.

§. 762.

Modus originarius acquirendi poſſeſſionem.

Modus poſſeſſionem acquirendi originarius eſt, quo res, quam nemo poſſidet, in poſſeſſionem redigitur.

E. gr. Avis, quæ per aërem volitat, a nemine poſſidetur. Quodſi ergo eandem in poſſeſſionem tuam redigis, factum, quo hoc fit, ſeu, ut JCti loqui amant, actus corporalis, quo acquiritur poſſeſſio, eſt modus eum acquirendi originarius.

§. 763.

Modus derivativus.

Modus poſſeſſionem acquirendi derivativus eſt, quo poſſeſſionem acquirimus rei, quæ in alterius poſſeſſione eſt.

E. gr. Si ego poſſideo avem caveæ incluſam, & tu poſſeſſionem a me acquiris, actus ille corporalis, ſeu factum, quo poſſeſſio ad te venit, modus acquirendi derivativus eſt. de modis derivativis acquirendi poſſeſſionem hic non agitur: ſed tantummodo de modo acquirendi originario. Hic enim quæritur, quomodo res ab hominibus cœperint poſſideri.

§. 764.

Natura rem nullam poſſideri.

Natura res nulla poſſidetur. Etenim natura res ſunt nullius (§. 7.), adeoque nemini hominum in iis jus proprium competit (§. 6.), conſequenter nec eædem in ullius dominio ſunt (§. 118.). Quamobrem nec a quoquam res ulla detineri poteſt tanquam ſua (§. 124.). Quoniam itaque

que non poſſidetur, quod non detinetur tanquam ſuum (§. 150.); natura res nulla poſſidetur.

Poſſeſſio ſupponit dominium, quemadmodum ex ipſa definitione poſſeſſionis liquet (§. 150.). Quando itaque dominia nulla ſunt, nec poſſeſſio datur. Etſi enim vel maxime res detineatur uſus cujusdam gratia, qui promiſcuo omnibus patet, quatenus neceſſarius (§. 19.); non tamen hæc detentio poſſeſſio dici poteſt: res enim detinetur non tanquam ſua, ſed tanquam communis. Detentio vero rei tanquam communis, non tanquam ſuæ, uſus cujusdam gratia, quo nemo natura excluditur, poſſeſſio non eſt (§. 150.). Ita religioſi, qui nihil habent proprii, adeoque nec veſte utuntur tanquam ſua, veſtem non poſſident, ſed eam tantummodo uſus a ſuperiore conceſſi gratia detinent, quamdiu is voluerit, extemplo eandem alii tradituri in eundem uſum, ſi juſſerit ſuperior, cujus voluntas vi obedientiæ voti religioſorum voluntas cenſetur.

§. 765

Poſſeſſio naturalis vocatur, quæ natura poſſeſſori competit. *Naturalis*
Quoniam natura res nulla poſſidetur (§. 764.), *naturalis* quoque *poſſeſſio nulla datur*, *& notio poſſeſſionis natura-* *poſſeſſio nun.*
lis nonniſi deceptrix eſt (§. 38. *Log.*). *detur.*

Nimirum natura rem poſſidere contradictio eſt, cum ſupponatur, natura rem quandam eſſe in dominio alicujus, quod utique implicat vi demonſtrationis præcedentis (§. 764.). Ceterum me tacente intelligitur, ſermonem hic eſſe de rebus a nobis diverſis. Quamobrem nulla foret objectio, quod membra corporis noſtri noſtra ſint natura, & potentia phyſica proxima ad eos actus, in quibus eorum uſus conſiſtit, homini cuilibet natura competat, conſequenter quod unusquisque membra corporis ſui natura poſſideat (§. 742.). Hæc ſane objectio etiam valet contra rerum

omnium

Digitized by Google

omnium communionem primævam. Quodſi tamen velit etiam ea, quæ ad ſubſtantiam noſtram pertinent, veluti membra corporis, ſub iis rebus comprehendi, de quibus communio negativa primæva, dominium & poſſeſſio prædicatur; nec difficile nobis eſt oſtendere, quod nec originarie ſeu natura, hæc poſſideamus. Homo enim non eſt dominus, ſed tantummodo uſuarius membrorum corporis ſui (§. 378. *part. I. Jur. nat.*), adeoque nonniſi uſus eorundem ipſi competit (§. 377. *part. I. Jur. nat.*). Et quoniam in communione primæva res induſtriales ac artificiales non minus communes ſunt, quam naturales (§. 32.), hominibus in eadem ob communem utilitatem laborandum (§. 514. *part. I. Jur. nat.*), adeoque uſus organorum corporis tui non minus ad alios ſpectat, quam ad te ipſum. Idem ulterius patet ex eo, quod homini natura competat jus petendi ab aliis, ut ea conferant ad perfectionem ſuam ſtatusque ſui perfectionem, quæ ipſe facere nequit (§. 234. *part. I. Phil. pract. univ.*). Natura igitur uſu membrorum corporis tui non excluduntur alii, quin potius communionem quoad eundem natura quoque introduxit, dum homines obligat ad perfectionem ſuam ſtatusque ſui conjunctis viribus promovendam (§. 221. *part. I Phil. pract. univ.*). Nemo igitur dici poteſt membra corporis ſui detinere tanquam ſua natura, adeoque nec natura eadem poſſidere dicendus eſt. Eodem modo idem patet de aliis quibuscunque, quæ ad ſubſtantiam noſtram ullo modo pertinent, ac ideo noſtra dicuntur.

§. 766.

Quomodo poſſeſſio rerum communium acquiratur.

Rerum, quæ ſunt in communione primæva, poſſeſſio acquiritur una cum dominio. Rerum enim in communione primæva dominium acquiritur occupando (§. 175.). Enimvero quando res occupatur, a te redigenda eſt in eum ſtatum, ut tua eſſe poſſit (§. 174.), conſequenter ut tu de ea pro arbitrio tuo tanquam dominus diſponere poſſis (§. 118. 124.).

124.). Quoniam itaque iſtiusmodi facto acquiritur poſſeſſio, quo res in talem ſtatum redigitur (§. 761.), rerum quæ ſunt in communione primæva, poſſeſſio occupando, atque adeo cum ipſo dominio acquiritur.

Uno igitur actu cum rerum, quæ ſunt in communione primæva, dominium & poſſeſſio acquiratur: non opus eſt, ut hic de modo acquirendi poſſeſſionem prolixius agamus.

§. 767.

Poſſeſſio rerum nullius quomodo acquiratur.

Quoniam in communione primæva res ſunt nullius (§. 7.), rerum vero in communione primæva exiſtentium poſſeſſio una cum dominio acquiritur (§. 766.); *rerum nullius poſſeſſio una cum dominio uno eodemque actu acquiritur.*

Ita ſi poma ſint nullius, qui pomum decerpit, cum dominio etiam poſſeſſionem acquirit, ſi eo decerpit animo ut ſit ſuum.

§. 768.

Quænam de modo eam acquirendi tenenda.

Quoniam rerum nullius poſſeſſio una cum dominio uno eodemque actu acquiritur (§. 767.), *quæ de modo acquirendi rerum nullius dominium in ſuperioribus demonſtrata ſunt, ea etiam de modo acquirendi rerum nullius poſſeſſionem tenenda.*

Quomodo res tam mobiles, quam immobiles corporales, tum etiam incorporales dominio ſubjici cœperint, in ſuperioribus demonſtratum fuit (§. 171. & ſeqq. 181. & ſeqq. 219.). Ea igitur omnia ad modum quoque acquirendi rerum poſſeſſionem, quæ a nemine poſſidentur applicari debent. Præter neceſſitatem vero prolixi eſſemus, ſiquidem ipſimet ſingulas propoſitiones de dominio demonſtratas de poſſeſſione quoque acquirenda enumerare vellemus.

§. 769.

Modus originarius ac-

Occupatio eſt modus originarius acquirendi poſſeſſionem. Eſt

 enim

quirendi poſſeſſionem. enim occupatio modus acquirendi dominium originarius (§. 178.), conſequenter rerum nullius (§. 176.). Quoniam itaque rerum nullius poſſeſſio una cum dominio uno eodemque actu acquiritur (§. 767.), occupatio etiam eſt modus acquirendi poſſeſſionem rerum nullius, conſequenter quæ in nullius adhuc dominio (§. 618.), adeoque nec in nullius poſſeſſione ſunt (§. 150.). Quoniam itaque modus acquirendi poſſeſſionem originarius eſt, quo acquiritur poſſeſſio rerum, quas nemo adhuc poſſidet (§. 762.); occupatio eſt modus originarius acquirendi poſſeſſionem.

§. 770.

Poſſeſſio acquiſita quænam dicatur. *Poſſeſſio acquiſita* dicitur, cujus facto quodam noſtro participes reddimur.

Opponitur ea poſſeſſioni naturali in ſenſu philoſophico, paulo ante (§. 765.) explicato. In Jure enim Romano poſſeſſio naturalis alio ſenſu accipitur, eidemque opponitur civilis. Sed illa diſtinctio in ſyſtemate Juris naturæ nullum habet uſum, quemadmodum ſuo loco conſtabit.

§. 771.

Poſſeſſionem rerum omnem eſſe acquiſitam. Quoniam poſſeſſio rerum naturalis nulla datur (§. 765.), adeoque nulla ſine facto quodam ſuo homini competere poteſt (§. *cit.*); *omnis poſſeſſio rerum acquiſita eſt* (§. 770.).

Factum, quo poſſeſſionis reddimur participes, eſt modus acquirendi poſſeſſionem, quemadmodum de modo acquirendi Jus diximus (§. 112. *part. I. Jur. nat.*). Et hinc occupatio, qua poſſeſſionem rerum nullius acquirimus, eſt modus acquirendi poſſeſſionem, prouti ante ſuppoſuimus (§ 768. 769.). Quoniam enim poſſeſſio in facto quodam conſiſtit, jus tamen poſſeſſionis comitem habet; ideo quæ de jure dicuntur, ad poſſeſſionem quoque ſuo applicari poſſunt ac debent modo.

§. 772.

§. 772.

Si poſſeſſio acquiritur facto, quo vi legis dominium acquiri poteſt, titulum habet. Etenim ſi vi legis facto aliquo dominium acquiri poteſt, lex declarat, iſtiusmodi facto dominium acquiri poſſe. Quamobrem cum jus poſſidendi ſoli domino competat (§. 157.); lex quoque declarare debet eodem facto, quo dominium acquiritur, poſſeſſionem acquiri poſſe. Enimvero ratio legalis, per quam patet factum quoddam tale jus parere poſſe, titulus eſt (§. 113. *part. I. Jur. nat.*). Poſſeſſio itaque ſi acquiritur facto, quo vi legis dominium acquiri poteſt, titulum habet. *Quando poſſeſſio habeat titulum.*

Si quis excipiat poſſeſſionem non eſſe jus, ſed magis in facto conſiſtere, quam in Jure, dubium hoc jam removimus (*not.* §. *prac.*). Nimirum dominio cohæret jus poſſidendi (§. 157.), vi cujus domino ſoli poſſeſſio competit. Quoniam adeo nemo niſi dominus rem poſſidere deberet; factum legitime acquirendi dominium legitimum quoque eſſe debet factum, quo acquiritur poſſeſſio, cum poſſeſſor, ſi vel maxime non ſit, haberi tam debeat dominus, quamdiu de hoc nondum certo conſtat.

§. 773.

Quoniam occupando acquiritur dominium rerum nullius (§. 175.), occupando vero etiam poſſeſſio originarie acquiritur (§. 769.); *occupatio eſt titulus poſſeſſionis originariæ* (§. 772.). *Poſſeſſionis originariæ titulus.*

Occupatio titulus eſt non qua factum, hoc enim reſpectu modus acquirendi eſt (§. 112. *part. I Jur.. nat.*), ſed quatenus continet rationem legalem poſſeſſionis acquiſitæ vel acquirendæ (§. 113. *part. I. Jur. nat.*). Hinc titulum poſſeſſionis probaturus provocas equidem ad occupatio-

nem, non tamen absque reſpectu ad legem ſpectatam, quatenus nimirum vi legis apparet, iſtiusmodi facto poſſeſſionem acquiri potuiſſe.

§. 774.

Poſſeſſio titulata.

Poſſeſſio titulata dicitur, quæ titulum habet.

Datur nimirum etiam poſſeſſio, quæ titulo deſtituitur. Etenim fur & prædo rem furtivam & raptam etiam poſſident, poſſidet etiam invaſor rem immobilem, qua alterum vi dejicit. Sed furtum & rapina, itemque vis ab invaſore illata lege naturali prohibentur, adeoque titulo deſtituitur furis, prædonis ac invaſoris poſſeſſio.

§. 775.

Qualis ſit poſſeſſio occupatione quaſita.

Quoniam occupatio eſt titulus poſſeſſionis originariæ (§. 773.); *poſſeſſio occupatione acquiſita titulata eſt* (§. 774.).

De aliis titulis poſſeſſionis in præſenti non agimus, ubi de modo acquirendi dominium, conſequenter etiam poſſeſſionem nonniſi originario agimus. De ceteris dicendum in ſequentibus.

§. 776.

Quando cæperit poſſeſſio facultatum animæ & organorum motoriorum corporis.

Dominiis rerum introductis, homo etiam actiones ſuas tam internas, quam externas, ſeu facultates animæ ac organa corporis, quibus actiones externæ eduntur, poſſidere cæpit. Etenim actiones tam internæ, quam externæ liberæ æquiparantur rebus, quæ ſunt in dominio hominis (§. 436.), conſequenter etiam organa corporis quibus eduntur actiones externe, & facultates animæ a quibus pendent internæ, ſpectari debent tanquam res, quæ ſunt in dominio hominis, poſtquam dominia rerum introducta ſunt. Homo igitur facultates animæ, a quibus pendent actiones internæ, & organa corporis, quibus eduntur externæ illi reſpon-

reſpondentes detinet tanquam res ſuas (§. 124.), rerum dominiis introductis, cum antea tantummodo ſpectaretur tanquam uſuarius (§. 378. *part. I. Jur. nat.*). Enimvero qui rem quandam detinet tanquam ſuam, eam poſſidet (§. 150.). Quamobrem dominiis rerum introductis homo etiam poſſidere cœpit actiones ſuas liberas internas cum facultatibus, a quibus pendent, & externas cum organis corporis, quibus eduntur.

Quemadmodum natura res omnes ſunt communes, ita etiam communio eſt actionum humanarum, conſequenter facultatum animæ, quas quis habet, & organorum corporis motoriorum, quæ ipſi ſunt. Hinc vidimus in communione primæva etiam res induſtriales & artificiales fuiſſe communes (§. 29.), quod fieri non poterat, cum res non minus induſtriales, quam artificiales ſine actionibus humanis non exiſtant (§. 504. 505. *part. II. Jur. nat.*), adeoque ab uſu facultatum animæ & organorum corporis motoriorum pendeant (§. 851. *Ontol*), niſi uſus facultatum animæ & organorum corporis eſſet communis, qualem etiam natura hominis & in ea fundata lex naturæ exigit (§. 220. 221. *part. I Phil. pract. univ.*). Enimvero ubi dominia rerum introducta, uſus rerum non manſit communis, ſed proprius factus: abſurdum itaque foret, ſi uſus facultatum animæ & organorum motivorum corporis communis relinqui debuiſſet. Neceſſitas, cur hic quoque homini proprius fieri debuerit, ſuo loco clarius eluceſcet ubi de translatione domini acturi ſumus. Introductis itaque dominiis homo occupare cœpit ſe ipſum, adeoque facultates animæ & organa motoria corporis facta ſunt ſua reſpectu aliorum hominum. Dominium enim nonniſi reſpectivum eſt, quod concipitur cum reſpectu ad homines alios, qui jam eorum uſu excluduntur, cum is natura pateret, omnibus, quantum libertas naturalis permittebat (§. 156.

 part.

Digitized by Google

part. I. Jur. nat.). Subtilis equidem videtur hæc diſquiſitio, & valde vereor, ne hebetiores iſtiusmodi ſubtilitates contemnant; ſunt tamen eædem veritati congruæ & ad contractus penitus intelligendos ac quid in iis juſtum ſit demonſtrandum neceſſariæ, prouti ſuo loco patebit: ubi etiam plenior lux iisdem affundetur, ut facilius intelligantur etiam a minus acutis. Hic autem neceſſe erat originem poſſeſſionis facultatum animæ ac organorum motoriorum corporis demonſtrari, ne quis perperam eam habeat pro naturali (§. 765.), contra ea, quæ ſuperius demonſtravimus (§. *cit.*). Immo non difficile nobis foret oſtendere, has ipſas ſubtilitates non eſſe a mente JCtorum Romanorum alienas, etſi diſtincte nullibi explicatas. Sed noſtrum jam non eſt in tantas ambages deſcendere.

§. 777.

Poſſeſſio facultatum animæ & organorum motoriorum corporis quando turbetur.

Quoniam poſſeſſio turbatur, ſi poſſeſſor impeditur in exercitio dominii ipſi permittendo quoad unum alterumve actum quocunque modo, non tamen idem totum ipſi adimitur (§. 748.); *poſſeſſio actionum ſeu facultatum ac membrorum motoriorum corporis turbatur, ſi quis alterum impedit, quo minus faciat, quod in commodum ſuum quocunque modo facere poteſt* (§. 776.).

§. 778.

Cur illicitum ſit impedire alterum, ne quid faciat in commodum ſuum.

Quoniam turbatio omnis poſſeſſionis illicita (§. 749.). poſſeſſio autem facultatum animæ ac membrorum motoriorum corporis turbatur, ſi quis alterum impedit, quo minus faciat, quod in commodum ſuum quocunque modo facere poteſt (§. 777.); *nemo alterum impedire debet, quo minus faciat, quod in commodum ſuum quocunque modo facere poteſt.*

Nimirum

Digitized by Google

Nimirum quando actiones conſiderantur tanquam res noſtræ non alio modo ſpectantur, quam quo ex iis commodum quoddam, aut utilitatem quandam percipimus, vi notionis rerum (§. 495. *part. I. Jur. nat.*). E. gr. ponamus Titium impedire Mævium, quo minus operam ſuam pro certa mercede locare poſſit Cajo: turbat utique is poſſeſſionem facultatem animæ ac organorum motoriorum corporis, adeoque etiam hoc reſpectu illicitum eſt, quod facit. Similiter qui impedit artificem, quo minus rem quandam artificialem perficere poſſit, inter turbatores poſſeſſionis referendus. Notanda hæc ſunt ad formandos conceptus univerſales, quorum uſum jam ſupra indicavimus. Quo magis ſcientiæ fuerint excultæ, eo latius quoque patebit aditus ad iſtiusmodi conceptus univerſales, magno adjumento ad multam rerum ſcientiam animo comprehendendam futuros.

§. 779.

Poſſeſſio rei corporalis amittitur, ſi in eum pervenit ſtatum, quo nec ipſe, nec alius tuo nomine dominium exercere poteſt. *Poſſeſſio rei corporalis quando amittatur.*

Tamdiu enim rem poſſides, quamdiu ea in eo permanet ſtatu, quo ſive ipſe, ſive alius tuo nomine dominium exercere poteſt (§. 740.). Quamobrem ſi in eo ſtatu fuerit, quo nec ipſe, nec alius tuo nomine dominium amplius exercere poteſt, rem quoque corporalem non amplius poſſides, conſequenter poſſeſſionem amittis, dum in eum ſtatum pervenit.

E. gr. Ponamus agrum tuum te in captivitatem abducto ab hoſte occupari. Impoſſibile eſt, ut ipſe, vel alius tuo nomine agrum colat, aut ut eundem alteri vendas. Poſſeſſionem igitur agri amiſiſti. Similiter ſi agrum alteri vendis, tibi non amplius integrum eſt agrum colere, nec alius eundem tuo nomine colere poteſt. Poſſeſſionem igitur amittis

amittis, dum agrum vendis & alteri venditum tradis. Doctores Juris civilis multum ſe torquent, ubi modum amittendi poſſeſſionem explicare debent. Duæ autem ſunt potiſſimum rationes, quæ difficultatem faceſſunt, nimirum quod ſtatuant poſſeſſionem ſolo animo retineri & quod leges tueantur poſſeſſionem ejus, qui in eadem eſt, dum de dominio litigatur. Etenim ex eo, quod poſſeſſio ſolo animo retineri poſſit, omnino ſequitur, nec eam ſine animo amitti poſſe: id quod tamen non ita ſuccedit, quemadmodum in dominio, quia ſine potentia phyſica exercendi dominium ſeu, ut loqui amant, actus poſſeſſorios nulla concipitur poſſeſſio. Et quoniam leges tuentur poſſeſſionem ejus, qui in poſſeſſione eſt, nec eam amiſit, definiendum omnino erat, quinam in poſſeſſione eſt, aut cui ea debeatur, dum de dominio litigatur, ne cui fieret injuria, cum poſſeſſor dominus præſumatur, ſi juſto poſſideat titulo, nec poſſeſſio alicui concedi poſſit nulla de cauſa, quamdiu dominium ſuum nondum probavit. Per noſtra tamen principia difficultates evaneſcunt. Etenim dominium jus eſt, adeoque in facultate morali agendi conſiſtit (§. 156. *part. I. Phil. pract. univ.*). Facultas moralis effectum nullum habere poteſt, niſi accedat potentia ſeu facultas agendi phyſica. Neceſſe igitur erat, ut poſſeſſionem a dominio diſtingueres, ita ut res ſupponatur in eo ſtatu, quo non adimitur potentia phyſia exercendi dominium ſive per te ipſum, ſive per alium tuo nomine. Facultatem moralem agendi habere quis poteſt, deficiente potentia phyſica, unde dominium ſolo animo retinetur, cum a tua unice pendeat voluntate, utrum id habere velis, nec ne. Aſt phyſica potentia exercendi dominii. hoc eſt, ea faciendi, quæ vi dominii facere licet, non pendet a voluntate tua cum ſupponat rem in eo ſtatu, quo phyſice poſſibile eſt, ut inſtar domini de ea diſponas, ſeu actu facias, quod vi dominii facere licet. Ita palam eſt poſ-
ſeſſionem

Digitized by Google

ſeſſionem amitti, ſi tibi adimitur potentia phyſica exercendi dominium ſive per te ipſum, ſive per alium tuo nomine. Atque hoc modo ſublata eſt prima difficultatis cauſa. Deinde poſſeſſor tamdiu præſumitur dominus, donec contrarium probetur, & ubi conſtat eum dominum non eſſe, poſſeſſio tamen tamdiu relinquenda, quamdiu quinam ſit dominus certo non conſtat, cum res reſtituenda non ſit niſi domino. Ex eo autem, quod quis vi vel clam ab alio poſſidet, cum non præſumi poſſit, quod is ſit dominus; poſſeſſionem ejus cur tueri debeat lex adverſus eum, a quo vi vel clam poſſidet, ratio nulla eſt, etiamſi conſtet nec hunc juſtum eſſe poſſeſſorem. Atque hoc modo ſublata quoque eſt difficultatis cauſa altera. Principia hæc in anterioribus abunde enucleavimus, vt adeo ex iis facile dirimantur lites de poſſeſſione, quemadmodum ſuo loco vlterius docebimus.

§. 780.

Quomodo rei mobilis poſſeſſio amittatur.

Si res mobilis cuſtodiæ tuæ quocunque modo ſubducitur, vel res ſe movens e cuſtodia tua elabitur, ut vel ignores, vbinam ea ſit, vel is, qui eam in poteſtate ſua habet, non patitur, ut dominium in ea exerceas, poſſeſſionem amittis. Etenim per ſe patet, in omni hoc caſu tibi adimi potentiam phyſicam exercendi dominii, ſeu rem in eum perveniſſe ſtatum, quo nec ipſe, nec alius tuo nomine dominium exercere poſſit. Quamobrem cum poſſeſſio amittatur, ſi res in eum venit ſtatum, quo nec ipſe, nec alius tuo nomine dominium exercere poteſt (§ 779); poſſeſſionem rei mobilis utique amittis, ſi ea cuſtodiæ tuæ quomodocunque ſubducitur, vel res ſe movens e cuſtodia tua elabitur, ut vel ignores, ubinam ea ſit, vel is, qui eam in poteſtate ſua habet, non patiatur, ut dominium in ea exerceas.

Vi hujus principii non difficile erit definire, utrum poſſeſſionem rei mobilis amiſeris, nec ne, quemadmodum caſus particulares ſequentes palam loquuntur.

§. 781.

Rei amiſſæ amittitur poſſeſſio. Quoniam res, quam amittis, cuſtodiæ tuæ ſubducitur, ut ignores, ubinam ea ſit (§. 419); *quamprimum res amittitur, poſſeſſionem ejus amittis* (§. 780).

Non obſtat, quod redux in eum locum, ubi eam amiſeras, eandem invenias. Tamdiu enim poſſeſſionem amiſeras, quamdiu eam non inveneras. Poteſt enim poſſeſſio amiſſa recuperari, nec ideo dici poteſt, eam amiſſam non eſſe, quia ſtatim recuperatur: tempus enim nullam affert mutationem, quæ notionem amiſſæ poſſeſſionis minime ingreditur.

§. 782.

Item rerum naufragarum & ejectarum. Eodem modo patet, *rerum quoque naufragarum & navis levandæ cauſa in mare ejectarum amitti poſſeſſionem.*

Fluctibus enim maris abripiuntur, ut ignores ubinam eæ ſint, & num easdem recuperandi ſpes ulla ſuperſit.

§. 783.

Item rerum clam & vi ablatarum. Et quoniam res, quæ clam vel vi nobis aufertur, animo non reſtituendi, itidem cuſtodiæ noſtræ ſubducitur, ut vel ignoremus ubinam ea ſit, vel qui abſtulit non patiatur a nobis dominium exerceri; *ſi qua res mobilis, clam vel vi nobis aufertur, animo non reſtituendi, poſſeſſionem ejus amittimus.*

Accidit hoc non modo in furto (§. 498) & rapina (§. 505); verum alii etiam dantur caſus, quo animo non reſtituendi clam vel vi quicquam aufertur, veluti ſi rem, quam alteri invidemus, clam ablatam ſub terra defodimus, aut vi

vi ereptam in flumen abjicimus, aut in vtroque caſu eam deſtruimus. Etenim nemo non concedit, nos privari poſſeſſione rei in quolibet hoc caſu, nec rationem aliam reddere poteſt, quam quia nobis adimitur potentia phyſica de ea inſtar domini diſponendi. Sed nolumus plures adducere caſus particulares, cum nemo non ex iis, quos in medium attulimus, perſpiciat, nullo negotio intelligi, utrum poſſeſſio amittatur, nec ne, modo attendamus, num nobis adimatur phyſica dominii exercendi potentia.

§. 784.

An poſſeſſio amittatur, ſi ignores, ubinam eam repoſueris.

Qui rem mobilem, quam in cuſtodia ſua adhuc habet, reperire nequit neſcius, ubinam eam repoſuerit, poſſeſſionem non amiſit. Etenim ſi rem mobilem adhuc in cuſtodia tua habes, tibi non ademta eſt potentia phyſica exercendi dominii, ſed res adhuc permanet in eo ſtatu, ut dominium exercere poſſis. Quoniam tamen rem reperire nequis, eam repoſueris neſcius; exercitium dominii tantum ſuſpenditur quoad aliquem actum. Enimvero tamdiu rem mobilem poſſides, quamdiu in eo permanet ſtatu, ut dominium exercere poſſis (§. 740). Rei igitur mobilis poſſeſſionem adhuc retines, quam in cuſtodia tua adhuc habes, ſed neſcius ubi eam repoſueris reperire non potes.

E. gr. non amiſiſti poſſeſſionem libri, qui in bibliotheca tua aſſeruatur, etiamſi eum reperire non poſſis, quando eo habes opus.

§. 785.

Rei immobilis poſſeſſio quando amittatur.

Si quis dominium in re tua immobili exercet, nec patitur, ut tu idem ullo modo exerceas; poſſeſſionem ejus amiſiſti. Etenim per ſe patet, rem immobilem in eum perueniſſe ſtatum, quo nec ipſe, nec alius tuo nomine dominium exer-

exercere poteſt. Quamobrem cum poſſeſſio rei corporalis amittatur, ſi ea in eum pervenit ſtatum, quo nec ipſe, nec alius tuo nomine dominium exercere poteſt (§. 779); poſſeſſionem rei immobilis utique amittis, ſi quis dominium in re tua immobili exercet, nec patitur, ut tu idem ullo modo exerceas.

Non opus eſt, ut caſus particulares per modum corollarii inferamus, cum hæc illatio nihil habeat difficultatis. Etenim ſi quis domum tuam ingreditur te abſente, eamque incolit, nec patitur, ut redux tu eandem incolere poſſis; nemo non inde colligit, te poſſeſſionem ædium tuarum amiſiſſe. Similiter ſi quis agrum tuum exercet, nec patitur, ut tu eundem exercere poſſis; nemo non hinc inferet, te poſſeſſionem agri tui amiſiſſe. Perinde autem eſt, ſive alter te vi arceat ab exercitio dominii, ſive minis, ſive etiam tumetipſe metu deterrearis ab exercitio dominii tui.

§. 786.

Quando non amittatur.

Si tu ſponte tua dominium in re immobili exercere negligis, nec eſt qui ullo modo impediat, quo minus hoc facias; poſſeſſionem non amiſiſti. Etenim nemo eſt, qui non intelligat, in hypotheſi propoſitionis præſentis rem immobilem, quam poſſides, nondum in eum perveniſſe ſtatum, quo nec ipſe, nec alius tuo nomine in ea dominium exercere poteſt, cum tibi adhuc integra ſit potentia phyſica exercendi dominii, & a tua tantummodo pendeat voluntate, utrum id exercere velis, nec ne. Quoniam itaque tamdiu poſſeſſio retinetur, quamdiu permanet in eo ſtatu, ut ſive ipſe, ſive alius tuo nomine dominium exercere poſſit (§. 740); in hypotheſi propoſitionis præſentis poſſeſſionem utique retines, conſequenter eam non amiſiſti, ſi ſponte tua dominium in re immo-

immobili exercere negligis, nec eſt, qui ullo modo impediat, quo minus hoc facias.

Ita poſſeſſionem ædium non amittis, etiamſi nec ipſe, nec alius tuo nomine easdem incolit, neque quisquam eſt, qui prohibeat, quo minus eas vel ipſe incolas, vel alius tuo nomine easdem incolat. Similiter ſi agrum tuum incultum per plures annos jacere ſinis, nec eſt qui impediat, quo minus ipſe eundem colas, vel alius tuo nomine eundem colat, quin agrum adhuc poſſideas, nemo diffitebitur.

§. 787.

Quomodo poſſeſſio rei incorporalis amittatur.

Si quis jus tibi competens exercet, nec patitur, ut tu idem facias; poſſeſſionem ejus amittis. Etenim cum jura nobis competentia poſſideantur uſu & facultate, aut, ſi mavis potentia phyſica utendi (§. 744); tamdiu retines poſſeſſionem, quamdiu tu jus tuum libere exercere potes. Quodſi ergo alius tibi, quod competit, jus exercet, nec patitur, ut tu idem facias, tibi ademtus eſt uſus juris tui, ademta eſt potentia phyſica eodem utendi, conſequenter poſſeſſionem non retines, adeoque eam amittis.

E. gr. ponamus tibi competere jus venandi in certo diſtrictu: alium vero in eodem venari, nec pati, ut tu veneris vel feram ibi capias; poſſeſſionem Juris venandi utique amittis. Idem eodem modo patet, de jure piſcandi & jure aucupii, immo de alio quocunque jure particulari.

§. 788.

An ſolo non uſu amittatur jus.

Solo non uſu non amittitur juris poſſeſſio, modo non patiaris, ut alius eodem utatur, nec alius prohibeat, ut tu utaris. Etenim ſi tu non pateris, ut alius eodem utatur, nec adeſt, qui ipſe prohibet, ut tu utaris; animum utendi adhuc habes, & eodem uti potes, quandocunque volueris: quod vero non utaris, a voluntate tua unice pendet. Quamobrem poten-

Digitized by Google

tia phyſica utendi tibi non ademta, uſu quouis tempore patente. Quoniam itaque jura uſu & facultate phyſica utendi poſſidentur (§. 744); quamdiu non pateris, ut alius jure tuo utatur, nec alius prohibet, quo minus tu utaris, ſi vel maxime ipſe eodem non utaris, idem tamen adhuc poſſides, conſequenter ſolo non uſu non amittitur jus tuum, modo non patiaris, ut alius libere utatur, nec alius prohibeat, ut tu utaris, adeoque is te conſentiente, vel vi a te non poſſideat (§. 745).

E. gr. Si tibi convenit jus venandi in certo diſtrictu, tu autem non venaris, jure tuo uteris. Quodſi non patiaris, ut alius venetur in eo diſtrictu; animum alios eodem jure excludendi oſtendis, conſequenter ex ſolo non uſu præſumi nequit, te jus venandi poſſidere, vel habere amplius nolle. Quodſi nec alius fuerit, qui ſibi hoc jus arroget, ac te eodem uſurum ab uſu arcet; nihil ſane obſtat, quo minus in illo diſtrictu venari poſſis, quandocunque & quotiescunque volueris. Nemo igitur affirmare audebit, te jus venandi non poſſidere, cum ad poſſeſſionem non requiratur actualis uſus juris, ſed ſufficiat potentia phyſica ad actus exercitio juris convenientes, ſeu poſſeſſorios. Eodem modo idem liquet de jure piſcandi, de jure aucupii & alio jure quocunque.

FINIS PARTIS SECVNDÆ JURIS NATVRÆ.

CON-

CONSPECTUS

PARTIS II.

JURIS NATURÆ

DE DOMINIO ET INDE RESULTANTIBUS, CVMQUE IIS CONNEXIS OBLIGATIONIBVS.

CAPUT I.

De primæva rerum communione, 1

CAPUT II.

De Dominio & modo idem acquirendi originario, 111

CAPUT III.

De obligationibus & Juribus ex dominio oriundis, 371

FINIS CONSPECTUS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM ET VERBORUM, IN QUO NUMERI PARAGRAPHOS DENOTANT.

A.

Abſens num rem poſſidere poſſit, 743
Abſtinentia ab omni dominii actu non domino præcepta, 652
Abuſus rerum in quo conſiſtat, 99
Abuſus rerum ſuarum quinam ſit, 168. num impediendus, 169. num prohibitus, 170
Acceſſio. Definitio, 348. diviſio, 350. jus, 481
Acceſſio artificialis. Definitio, 350. jus, 386 & ſeqq.
induſtrialis. Definitio, 350
mixta. Definitio, ibid.
naturalis. Definitio, ibid.
Acceſſorium. Definitio, 348
Actiones liberæ hominum quatenus rebus æquiparantur, 436
Actus dominio contrarii cur illiciti, 123
Actus poſſeſſorios cur nemo ſibi arrogare debeat, 754
Ædes. Definitio, 398
Α'δέσποτα quænam ſint, 313. quales ſint res, 314. quando illorum dominium acquiratur, 315. cuinam acquiratur, 317. quando occupata reddenda, 482
Ædificatio. Definitio, 401. jus, 402
Adplumbatura. Definitio, 395. 396. Jus, 481
Ælium uſus qualis in communione primæva, 67
Aër qualis ſit res, dominio introducto, 209. num ſit uſus inexhauſti, 207. an dominio ſubjici poſſit, 208
Ager Definitio, 399. Diviſio, 362
Ager arcifinius. Definitio, 362
aſſignatus. Definitio, ibid.
limitatus. Definitio, ibid.
Agri reſtitutio a flumine ad alveum priſtinum revertente quali juri ſubjiciatur, 379
Alienandi jus cui competat, 664
Alienatio rei. Definitio, 662. diviſio, 672. quomodo in ea de re diſponatur, 663. qualis domino licita, 673. quando ſub conditione illicita naturaliter permittenda, 674
Alienatio conditionata. Definitio, 672
pura, ibid.
Alimenta animalium quando non reſtituenda, 645
Alluvio. Definitio, 351. jus, 358 & ſeqq.
Alluvionis jus num detur in lacubus &

& ſtagnis, 383. quale ſit, ſi alveum novum ſibi fecerit flumen ex agro tuo, 380
Alveus fluminis. Definitio, 373
Alvei redeuntis ad ſpeciem priſtinam jus 376
Alveus derelictus cujusnam ſit, 372
Alveus novus priori in univerſum relicto cujusnam ſit, 377. 378. quando pleno jure ejus, cujus flumen eſt, 381
Amplificatio patrimonii præcepta, 458
Animalia fera Definitio, 304
Animalia manſueta. Definitio, 304. num derelicta præſumantur, ſi conſpectui ſubducuntur, 305. an ſint nullius, quamdiu ignoratur, ubinam ſint, 306. an amiſſa poſſeſſione maneant tua, 307. an ab alio poſſideri poſſint, 308. quo animo detineri queant, 309
Animalia manſuefacta. Definitio, 310. quamdiu pro manſuetis habeantur, 311. quando reſtituenda, 479. 480
Animus derelinquendi. Definitio, 219
Animus revertendi animalium quid ſit, 312
Apes ſylveſtres cujusnam ſint, 294
Aqua profluens qualis ſit res, introducto dominio, 209. num ſit uſus inexhauſti, 307. an dominio ſubjici poſſit, 208
Arbor in confinio poſita cujusnam ſit, 416
Area. Definitio, 399
Artium cultura in vitæ ſimplicitate negligitur, 74
Aves in aere volitantes quales ſint res, 227. quales præſumantur, 269. quando captæ alteri reddendæ, 476. 477. cujusnam ſint in fundo alieno captæ, 240. aut ibidem, ubi jus aucupii proprium, 233. quando captas eripere liceat capienti, 561
Avis domino naturaliter diſcernibilis ſi capiatur, cujusnam ſit, 272
Avis avolans num ſtatim fiat nullius, 263. cujusnam ſit, ſi capta internoſci poſſit, 262. quando præſumatur derelicta, 268. quando avolantis dominium retineatur, 271. quando amittatur, 270
Avis ſclopeto trajecta vel vulnerata cujusnam ſit, 273
Avium dominium quomodo inſtrumentis acquiratur, 231
Aucupium. Definitio, 275
Avulſio. Definitio, 361. jus, 360
Auxilium in bello communionis primævæ quinam ferre debeat, 60

B.

Bella nulla quando in communione primæva, 75
Bellum injuſtum in communione primæva, 59
Bellum juſtum in communione primæva, 57. 58
Bona. Definitio, 488. quomodo determi-

terminentur, 449. & ſeqq.
Bona rapta. Definitio, 520
Boni & mali cognitio qualis in ſimplicitate vitæ, 85
Bonorum dilapidatio. Definitio, 459. quod ſit prohibita, 460

C.

Caſus quando a poſſeſſore malæ fidei præſtandus, 591. quando non, 592
Charitas quando non violetur in ſimplicitate vitæ, 88. quamdiu vigeat in communione primæva, ibid. quando praxis ejus reddatur difficilis, 89. 90
Charitatis neceſſitas in communione primæva, 75. ad conſeruandam communionem primævam, 77
Cognitio boni & mali qualis in ſimplicitate vitæ, 85
Colliſio damnorum quam pariat exceptionem, 629
Colliſio dominii cum jure occupandi communi quam pariat exceptionem, 324
Colliſio juris communis & proprii quam pariat exceptionem, 323
Commixtio. Definitio, 393. jus, 481
Communio rei. Definitio, 3. ejus imago in brutis, 7.
Communio rerum qualis fuerit inter Chriſtianos primos, 3. qualis ſit inter Religioſos, 3. cur apud Religioſos introducta, 75
Communio mixta Definitio, 129. quoſnam excludat, 130. num legi naturali repugnet, 142. inſtituto religioſorum convenientiſſima, 142
Communio negativa. Definitio, 104. cur ita dicatur, *ibid.*
Communio poſitiva. Definitio, 126. quinam in ea ſit dominus, 127. num legi naturali repugnet, 142. quoſnam excludat, 128
Communio primæva rerum. Definitio, 9. an ejus cognitio ſupervacanea, 9. qualis ſit, 105. quale ſit jus, 10. in quo ſtatu obtineat, 11. an legi naturæ conveniat, 106. an in ea perſiſtere liceat, 107. an eam imitari liceat, 107. quinam fuerint imitati, 31. an eam tollere licuerit, 120. nemine uſu rerum neceſſario excludit, 20. num abſque charitate conſervari poſſit, 77. cur ſtatui præſenti non conveniat, ibid. quando a bello libera, 70
Communio religioſorum qualis ſit, 129
Confuſio. Definitio, 392. jus, 394. 481
Conſervatio patrimonii præcepta, 458
Conſervatio rei præcepta, 608
Conſociatio. Definitio, 112
Continentia quando obtineat in communione primæva, 76
Culpa quando non præſtanda a poſſeſſore bonæ fidei, 593

Cultura

Cultura rerum cuinam rei æquiparetur, 437
Cura rerum cuinam rei æquiparetur, 437

D.

Damnum. Definitio, 486. effectus, 492. conſequens, 573. num detur læſo jure imperfecto, 575. quando dividendum in caſu colliſionis, 632. quando in eodem pro caſuali habendum, 630. & a quonam ferendum, 631
Damnum furto & rupina datum, 528.
Damnum deterioratione rei datum, 617. quomodo reſarciendum, 618
Damnum caſuale. Definitio, 491
culpoſum. Definitio, 490. num lege naturali prohibitum, 496
doloſum, ſive *voluntarium.* Definitio, 489
Damnum a ſe avertendi obligatio, 493. a patrimonio avertendi obligatio, 494. ab aliis avertendi obligatio, 495
Damnum dare quid ſignificet, 488. quinam dare poſſit, 676. qui non poſſit, 677
Damni datio num ſit læſio, 532. an prohibita, 533
Damnum num detur jus imperfectum denegando, 576
Damnum reſarcire quid ſit, 572. num ſit retributio ſui, 521
Damni reſarciendi obligatio, 677. effectus, 578
Dare quid ſignificet, 675
Defraudatio. Definitio, 680. effectus, 681. illicita, 682
Defraudator ad quid teneatur, 683. 684
Defenſio poſſeſſionis. Definitio, 715. an ſit licita, 717. quid ea intendatur, 716
Defenſio rerum quid ſit, 690. quod licita, 692. expers injuriæ, 693. in quo proprie conſiſtat, 709
Defenſionis rerum exceſſus qualis ſit, 698
Defenſionis termini adverſus raptorem vel deſtructorem rei quomodo definiantur, 695
Defenſio rei alienæ quando licita, 704. quando debita, 705
Defenſio ſui in communione primæva in quo conſiſtat, 51. quod ſit licita, 52
Defenſor rei quando fiat aggreſſor raptoris vel deſtructoris, 706
Defenſori rerum ſuarum num ſe opponere liceat, 697
Dejectio de poſſeſſione num naturaliter prohibita, 712. ejus effectus, 713
Deſtructoris jus in defenſorem rei, qui modum excedit, 707. quando ei auxilium ferre liceat, 708
Sine *Detrimento aut corruptione rei tollere,* quid ſit, 614

Digitized by Google

Diffamatio poſſeſſoris, quaſi poſſeſſor non ſit, cur prohibita, 752.753
Diviſio num ſit modus acquirendi dominium, 191. 193. quando ſit modus acquirendi originarius, 192. 194. quando derivativus, 195
Dominus. Definitio, 121. quale jus ei competat, 121. quando peccet uſu juris ſui, 164. num conſcientia erronea injuriam faciat alicui, 165. num habeat jus rem ſuam derelinquendi, 256. quodnam habeat jus quoad reſtitutionem rei ſuæ, 540. & ſeqq. quinam ſit in communione poſitiva, 127. quando rem poſſideat, 464. an pati debeat, ut de poſſeſſione vi dejiciatur, 711
Dominium Definitio, 118. quale ſit jus, 122. 337. an invito auferri poſſit, 338. excludit alios eodem jure, 120. cur res eidem ſubjiciantur, 211. quibusnam juribus conſtet, 136. quando introduci neceſſe ſit, 140. an ſalva lege naturæ introduci potuerit, 141. quomodo acquiratur in communione primæva, 173. 175. 191. 193. quomodo conjunctim occupando acquiratur, 189. qualia fuerint eius primodia, 171. qualis fuerit progreſſus, 172. an cum re intereat, 352. an cum re amittatur, 420. an cum poſſeſſione amittatur, 257. an ſolo animo retineatur, 258
Dominium in parte fundi fluvio adjacentis quando amittatur, 357
Dominium in re furtiva & rapta retinetur, 521. 522
Dominii exercitium. Definitio, 649
Dominium plenum. Definitio, 137
Dubitatio de dominio num efficiat malam fidem, 156

E.

Examen apium quando fiat nullius, 296. quando ab alio incluſum reſtituendum, 297. num in arbore tua confidens ſit tuum, 298. cujusnam ſit, 299. quando fiat occupantis, 300
Exceptio ex damnorum colliſione, 629
in colliſione dominii & juris occupandi communis, 324
in colliſione juris communis & proprii, 323
Exercitium dominii Definitio, 649. nullo modo impediendum, 650. 651. nec alieni ſibi arrogandum, 652
Exercitium juris. Definitio, 653. non impediendum, 655. nec alieni ſibi arrogandum, 656

F.

Facultates animæ quando poſſideri coeperint, 776

Favi

Favi in arbore tua facti cujusnam ſint, 301. quinam eos eximere poſſit, 302. quando fiant tui, 303
Fera domino naturaliter diſcernibilis ſi capiatur, cujusnam ſit, 292
Fera retibus noſtris irretita, vel *alio inſtrumento detenta* cujusnam ſit, 282
Fera vulnerata vel laſſata cujusnam ſit, 283. ſi eam perſequi definimus, cujusnam ſit, 293
Fera ex cuſtodia elapſa & ab alio capta cujusnam ſit, 286
Fera in fundo alieno capta cujusnam ſit, 279
— *capta, ubi jus proprium venandi*, cujusnam ſit, 280. 281
Feræ captæ quando alii reddendæ, 476. quando capienti vi eripi poſſint, 561
Feræ ex cuſtodia elapſæ num fiant nullius, 287. quando derelictæ præſumantur, 288. quando earum dominium amittatur, 289. quando retineatur, 290
Feræ in ſylvis & campis libere circumvagantes quales ſint, 274. quales præſumantur, 291
Feræ in vivario & ſylva circumſepta cujusnam ſint, 284
Feræ poſſeſſio quomodo amittatur ſine dominio, 285
Ferruminatio. Definitio, 395. jus, 396
Flumen. Definitio, 382
Featuræ jus, 333
Fœtus animalium cujusnam ſint, 333. quando tui eſſe incipiant, 334
Fœtus natus ex animali meo a tuo impræ̆gnato cujusnam ſit, 335
Fructus quomodo ſpectentur in communione primæva, 22. quales ſint in eadem, 25. cur ab eorum uſu in eadem nemo excludatur, 26
Fructus conſumti. Definitio, 434. quatenus a poſſeſſore bonæ fidei reſtituendi, 597. 598. quatenus a poſſeſſore malæ fidei, 599
Fructus extantes. Definitio, 434. quando domino reſtituendi, 485
Fructus induſtriales. Definitio, 432. cujusnam ſint, 442. cujusnam rei ſint fructus, 439. in quantum a poſſeſſore reſtituendi, 596
Fructus naturales. Definitio, 432. cujusnam ſint, 445
Fructus pendentes. Definitio, 433. cujusnam ſint, 440. quid juris in iis reſtituendis, 638
Fructus percepti. Definitio, 433
Fructus percipiendi. Definitio, 433. cujusnam ſint, 441. num a poſſeſſore b. f. reſtituendi, 600. num reſtituendi a poſſeſſore m. f. 602
Fructus ramorum fundo alieno imminentium cujusnam ſint, 415
Fructuum perceptio num ſit modus acquiren-

quirendi, 444. ex re aliena quando ſit injuria, 446

Frumenti excuſſio ex ſpicis num ſit ſpecificatio, 346. ejus jus, 347

Fundus. Definitio, 399

Fundi immutatio. Definitio, 657. qualis ſit actus, 658. cuinam licita, 680. cuinam illicita, 659

Fur quando fiat raptor, 702. num fugientem cum re interficere liceat, 701. quod obligetur ad rem reſtituendam, 524. 539 ad pœnam ſubeundam, 552. qualis ejus poſſeſſio, 537

Furtum. Definitio, 498. objectum, 499. diviſio, 500. & ſeqq. a quonam non committatur, 510. quando committatur in re nullius, 512. quando in piſcibus, avibus & feris capiendis, 513. quando in ἀδεσπότοις & theſauris, 574. in animalibus alienis ad ædes noſtras venientibus, 515. in re amiſſa, 516. in rebus naufragis & ejectis, 518. quod ſit prohibitum, 519. 536. num ſit læſio, 534. cui juri adverſetur, 535

Furtum diurnum. Definitio, 500
manifeſtum, 502
nec manifeſtum, ibid.
nocturnum, 500
poſſeſſionis, 504
uſus, 503

G.

Gemmæ in mari inventæ quales ſint res, 326. cuinam occupando acquirantur, 327

H.

Herbarum emiſſariarum jus, 408

I.

Jactura rei. Definitio, 487

Ignorantia quænam poſſeſſorem bonæ fidei & malæ fidei faciat, 159

Illicitum quid ſit in communione primæva, 97. 98

Illimitatum cur dominio ſubjici nequeat, 204

Impenſæ. Definitio, 603. quænam aliis præferendæ, 610. quando tollantur abſque damno domini, 615. quando ſine detrimento rei, 616. in quantum poſſeſſori reſtituendæ, 635

Impenſæ in animalia aliena quænam reſtituendæ, 643

Impenſæ in fructuum perceptionem quænam poſſeſſori reſtituendæ, 607

Impenſæ in rem amiſſam quænam inventori reſtituendæ, 641

Impenſæ in res naufragas & ejectas quænam reſtituendæ, 642

Impenſæ mixtæ. Definitio, 612

Impenſæ neceſſariæ. Definitio, 604. quod faciendæ, 609. quod poſſeſſori reſtituendæ, 623

Impenſæ voluptuariæ. Definitio, 606. quando licitæ, 611. quando in mixtis prædominentur, 612. quatenus poſſeſ-

Digitized by Google

poſſeſſori b. f. reſtituendæ, 628. quando poſſeſſori m. f. non reſtituendæ, 633. quando non, 634. quando tollendæ, 624
Impenſæ utiles. Definitio, 605. quando tollendæ, 624. quænam poſſeſſori omni reſtituendæ, 625. quæ differentia pro bona vel mala fide poſſeſſoris in reſtitutione attendenda, 626. quando earum reſtitutio attemperanda juri ædificationis, plantationis, adjunctionis, 627
Impenſarum deductio. Definitio, 636
Impenſas tollere quid ſit, 613
Imperfecti juris læſio num ſit damnum, 575
Incolas regionis num ſede ſua expellere liceat in communione primæva, 95
Incorporatio rerum quid ſit, 30
Injuria occupatione rerum nullius facta, 555
Injuria omnis num ſit læſio, 530. cuinam juri adverſetur, 531
Injuria furto & rapina facta num a damno diſtinguenda, 529
Injuria in aucupio facta, 556
Inſula. Definitio, 365. quot modis fiat, 366. cujusnam ſit in fluvio nata, 367 & ſeqq. cujusnam ſit in mari nata, 370. cujusnam ſit, quam flumen ab agro tuo facit, 371
Intexturæ jus, 389
Invaſor. Definitio, 507. qui non ſit, 511
Inventor rei amiſſæ ad quid obligetur, 472. quando ad nullam reſtitutionem teneatur, 588. 589
Inundatio. Definitio, 384. jus, 388
Jura quomodo poſſideantur, 744. quænam in dominio contineantur, 136
Jura alienabilia particularia, 671
Jus quale ſit in communione primæva, 21. 103. quousque in ea extendatur, 27. quale ſit in communione mixta, 144. 145. quodnam in dominium tranſeat eo introducto, 166. quodnam domino competat quoad reſtitutionem rei ſuæ, 540. quodnam nuda apprehenſione acquiratur, 183
Jure ſuo uti qui dicatur, 654
Jus acquiſitum num invito auferri poſſit, 136
Jus ad actus quale homini competat in communione primæva, 64. variæ ejus ſpecies, 65
Jus alienandi cui competat, 664. 665. 668. cui non competat, 666. 667
Jus alluvionis quando cum agro occupetur, 363. quando non occupetur, 364
Jus aucupii num dominio ſubjici poſſit, 228. quomodo ſubjiciatur, 230
Jus aves certas capiendi num dominio ſubjici poſſit, 229
Jus belli in detentorem rei ſuæ, 547. 548. in defraudatorem, 685. in eum

Digitized by Google

eum, qui damnum reſarcire non vult, 686. in eum, qui fructus vel impenſas reſtituere non vult, 646
Jus cogendi quod ſit jus belli, 687
Jus commorandi, habitandi & tranſitus in communione primæva, 66. imago hujus juris in brutis, 66
Jus deducendi impenſas poſſeſſori competens, 637
Jus deducendi æſtimationem fructuum & uſus ex impenſis in animal reſtituendum, 644
Jus dejiciendi de poſſeſſione dejicientem quando competat, 726
Jus defendendi res quale ſit, 710. quod domino competat, 691. quantum ſit, 694. quomodo ejus termini definiendi, 695. quænam media licita, 696. quando concurrat cum jure defenſionis ſui, 703
Jus defendendi poſſeſſionem cui competat, 717. quænam de eo tenenda, 718
Jus defendendi poſſeſſionem rei alienæ cui competat, 722
Jus defendendi ſe in communione primæva quosnam habeat limites, 53
Jus eripiendi alteri piſces, aves, feras captas, 561
Jus excludendi alios abuſu rerum unde naſcatur, 116
Jus excluſionis contentum in jure proprio, 119. in dominio, 120. in communione poſitiva, 143. in mixta, 145
Jus favos eximendi in ſylvis num dominio ſubjici poſſit, 295
Jus fruendi Definitio, 135. cur non detur in communione primæva, 23. num competat poſſeſſori fundi alieni, 443
Jus immutandi fundum cuinam competat, 660
Jus in res communes in communione primæva, quale ſit, 47
Jus interdicendi quale domino competat, 121
Jus libere de re aliqua diſponendi unde naſcatur, 117
Jus non patiendi impeditionem uſus rerum in communione primæva, 49. ad quodnam jus referatur, 50
Jus occupandi cuinam competat in communione primæva, 179. quousque extendatur, 180. quinam idem definire debeat, 180. num a fundo pendeat, 237
Jus occupandi ἀδέσποτα num dominio ſubjici poſſit, 316
Jus occupandi rem in fundo alieno num proprium fieri poſſit, 325
Jus piſcandi num dominio ſubjici poſſit, 215. quomodo ſubjiciatur, 220
Jus poſſidendi cuinam competat, 157. num animo ſolo retineatur, 260
Jus poſſeſſionis. Definitio, 724. quale ſit, 739

Digitized by Google

Jus proprium. Definitio, 2. quod jus alios excludendi involvat, 119
Jus proprium capiendi aves vel piſces certæ ſpeciei quando violetur, quando non, 241
Jus puniendi num ſit jus belli, 689
Jus puniendi defraudatorem, 684. furem & prædonem, 551. turbatorem communionis primævæ, 55. 56. poſſeſſorem malæ fidei ob fructus perceptos, 569. occupantem res contra jus proprium alterius, 558. 560. non reddentem res contra jus proprium occupatas, 570. piſces, aves, feras alienis inſtrumentis, 554. item contra jus proprium alterius capientem, 557. 559. animalia aliena, res amiſſas, naufragas & ejectas detinentem, 571. re domino invito utentem, 553. injuria alterum afficientem, 649. mala fide ſpecificantem, 565
Jus puniendi in adjunctione, 566. ob violatum dominium in genere, 567. in confuſione, commixtione, ferruminatione, adplumbatura, ædificatione, plantatione, ſatione, ſcriptura & pictura, 568
Jus rem derelinquendi num domino competat, 256
Jus rem deſtruendi, 18. imago ejus in brutis, 18
Jus rem in poteſtate habendi cui competat, 465
Jus reſiſtendi uſum neceſſarium impedienti in communione primæva, 45. 52. unde fluat, 45
Jus rerum. Definitio, 1
Jus transferendi in alterum jus ad quosdam dominii actus, 678. 679
Jus venandi num dominio ſubjici poſſit, 276. 277. quomodo ſubjiciatur, 278
Jus vi dejiciendi poſſeſſorem cuinam competat, 719. cuinam non, 720. 721
Jus vi eripiendi res occupatas, 562
Jus vindicandi rem ſuam. Definitio, 543. cuinam competat, 544
Jus utendi. Definitio, 135. ejus exercitium cur non turbandum in communione primæva, 36
Jus utendi fruendi. Definitio, 135

L.

Labor in communione primæva quo fine fiat, 41. quinam unicuique conveniat, 42
Lacus. Definitio 382. num in eo detur jus alluvionis, 383
Læſio juris imperfecti num ſit damnum, 575
Lapilli in mari quales ſint res, 326. cuinam occupando acquirantur, 327
Legis naturæ ſumma in ſimplicitate vitæ, 86
Licitum quomodo ab illicito ſeparetur in communione primæva, 97. 98
Limites omnes quidnam reſpuat, 206
Littora maris. Definitio, 373
Locupletior quinam fiat, 582. quinam fiat,

Digitized by Google

fiat re alterius, 583. quinam ex re alterius, 584. num quis fieri poſſit cum damno alterius, 584
Lumen ſolis qualis ſit res, dominio introducto, 209, num ſit uſus inexhauſti, 207. an dominio ſubjici poſſit, 208

M.

Mala fides num attendenda in ſpecificatione, 341. & ſeqq. quatenus ſpectetur in re ex re tua refecta, 391
in *Mari inventa* quales ſint res, 326. cuinam acquirantur occupando, 327
Melioratio rei. Definitio, 605. præcepta, 608
Metalla quales ſint res, 318. cujusnam ſint in viſceribus terræ latentia, 319
Meum cur tuum eſſe non poſſit, 125
Mineralia ſub terra latentia quales ſint res, 318. cujusnam ſint, 320
Minis deterrere poſſeſſorem ab actibus poſſeſſoriis cur illicitum, 758
Modus acquirendi dominium in communione primæua, 173
Modus derivativus aquirendi dominium. Definitio, 177
Modus derivativus aquirendi poſſeſſionem. Definitio, 763
Modus originarius acquirendi dominium. Definitio, 176. quinam ſit, 178
Modus originarius acquirendi poſſeſſionem, Definitio, 762. quinam ſit, 769

N.

Non dominus. Definitio, 121. num rem alienare poſſit, 667. quo jure excludatur, 138
Noluntas præſumta Definitio, 245
Nummi inſuti in veſte num ſint theſauri, 330

O.

Obligatio reddendi, quod quis ex alieno lucratur, 586
Occupatio. Definito, 174. quænam ad eam requirantur, ibid. diviſio, 196. qualis ſit modus acquirendi, 178
Occupatio conjunctim facta, 189. quodnam in ea ſingulis jus acquiratur, 190
Occupatio per fundos. Definitio, 196
Occupatio per univerſitatem, Definitio, 196
Occupatio rerum mobilium quomodo fiat, 181. 184. 188
Occupatio rerum immobilium quomodo fiat, 185. 186. 187
Occupatio rerum dominio vacuarum num a domino fundi impediri poſſit, 321
Occupatio rerum naufragarum & eiectarum in mare quemnam pariat juris effectum, 327
Occupatum per univerſitatem cujusnam ſit, 197
Opera cuinam rei æquiparetur, 437
Organa motoria corporis quando poſſideri cœperint, 776
Ova ex nido in fundo tuo petita cujusnam ſint, 242. 243

Patri-

P.

Patrimonium. Definitio, 452. quando cœperit, 454. uſus, 455. abuſus, ibid. jus in eodem, 456. obligatio quoad idem, 457
Patrimonium amplum. Definitio, 453. an diſpenſet a labore, 457
Patrimonium tenue. Definitio, 453
Patrimonii dilapidatio. Definitio, 459. prohibita, 463
Perceptio conſummata fructuum. Definitio, 435
Perceptio incboata fructuum. Definitio, 435
Pictura. Definitio, 418
Piſcatio. Definitio, 275. num ſit injuria, ubi jus piſcandi proprium, 226
Piſces cujusnam ſint in fluviis & mari 215. cujusnam in piſcina & ſtagnis, 214
Piſces capti, ubi jus piſcandi proprium, cujusnam ſint, 225. alienis inſtrumentis cujusnam ſint, 232. quando alii reddendi, 474. 477. quando alteri licite eripiantur, 561
Piſcinæ num dominii capaces, 213
Piſcium dominium quomodo inſtrumentis acquiratur, 221. quod alienis acquiratur, 223
Plantatio. Definitio, 403. jus, 405. 406
Pœna ereptioni rei accedens, 563. 564
Poſſeſſio. Definitio, 150. quomodo acquiratur, 761. num ſolo animo retineatur, 259. quamdiu retineatur, 740. quomodo retineatur, 742. quando reſtituenda, 725. quando vi-dejecto non reſtituenda, 730. occupando acquiſita qualis ſit, 775. quando habeat titulum, 772
Poſſeſſio facultatum animæ & organorum motoriorum corporis quando cœperit, 776. quando turbetur, 777
Poſſeſſio rerum amiſſarum quando amittatur, 781
clam vel vi ablatarum quando amittatur, 783
communium quomodo acquiratur, 766
corporalium quando amittatur, 779. & ſeqq.
immobilium quando amittatur, 785. quando non, 786
incorporalium in quo conſiſtat, 744. 746. quando turbetur, 759. quando amittatur, 787. quando non, 788
rerum mobilium quamdiu retineatur, 741. quando amittatur, 788. quando non, 784
rerum nullius quando acquiratur, 767. de ea tenenda, 768
rerum naufragarum & ejectarum quando amittatur, 782
Poſſeſſio furis qualis ſit, 531. *prædonis* qualis ſit, ibid.
Poſſeſſio acquiſita. Definitio, 770
clandeſtina, quænam ſit, 732. num licita, 731. 734. 735. quænam non ſit, 738
naturalis. Definitio, 765. num detur, ibid.

Digitized by Google

Poſſeſſionis originariæ titulus, 773
Poſſeſſio titulata. Definitio, 774
violenta rei incorporalis, 745
Poſſeſſionis defenſio. Definitio, 715
recuperatio clandeſtina quando licita, 733. 737
turbatio prohibita, 714
Poſſeſſor. Definitio, 150. ejus animus, 151. quinam non ſit, 152. quibusnam actibus ejus non ſit reſiſtendum, 754. cur hoc ſibi arrogare non liceat, 754
Poſſeſſor bonæ fidei. Definitio, 153. ejus opinio, 153. ignorantia, 154. quando fiat poſſeſſor malæ fidei, 155. an teneatur domino ex rei deterioratione, 619. num teneatur ex facto ſuo, 594. quando culpam præſtare non teneatur, 593. quando ad nullam reſtitutionem teneatur, 587. qualem rem debeat reſtituere, 620
Poſſeſſor malæ fidei. Definitio, 153. num teneatur ex facto ſuo, 595. quomodo rem reſtituere debeat, 621. 622. quando caſum præſtare teneatur, 591. quando non, 592
Poſſeſſor bonæ & malæ fidei num de re jure diſponat, 160. an jus utendi & fruendi habeat, 161. quales ſint utriusque actus, 162. 163. eorum differentia quoad fructuum perceptionem, 447
Poſſeſſori fundi alieni num competat jus fruendi, 443
Poſſeſſoris rei furtivæ & raptæ obligatio, 538
rei alienæ obligatio, 471
Prædo. Definitio, 506. qui non ſit, 509. obligatio rem raptam reſtituendi, 524. 530. pœnam ſubeundi, 552. poſſeſſio qualis, 537
Præmium inventionis. Definitio, 639. an petere liceat, 640
Præſumtio. Definitio, 244. num fallere poſſit, 247
Præſumi quid non debeat, 248
Præſumtum num ſit verum, 246
Prima naturæ quænam ſint, 80. 81. num conveniant cum jure naturæ, 83. an ultra ea extendatur vitæ ſimplicitas, 82
Prohibitio domini, ne ingrediaris fundum, num occupationem impediat, 322
Proprietas. Definitio, 131. cum dominio ſæpe confunditur, ibid.
Pulli avium in nido in fundo tuo cujusnam ſint, 242. 243

Q.

Quaſi poſſeſſio quænam dicatur, 747

R.

Rami arboris fundo tuo imminentes cujusnam ſint, 410. jus eorum, 410. & ſeqq.
Rapina. Definitio, 505. quando non committatur, 508. num ſit læſio, 534. cui juri adverſetur, 535. prohibita, 519. 536
Raptor num interfici poſſit, 699. num vul-

Digitized by Google

vulnerari & mutilari poſſit, 700. quod eidem ſit jus in defenſorem rei, qui modum excedit,707. quando ſe defendentem adjuvare liceat, 708
Refectionis rei tuæ ex re aliena jus,390
Regionum communio qualis in communione primæva, 95
Religioſorum communio qualis ſit, 129
Res quales ſint in communione primæva, 24. 37. quomodo natura utendas diſtribuat, 28. quales fiant communione primæva ſublata, 111. cur dominio ſubjiciantur,211. quales dominio ſubjiciendæ eſſe debeant, 203. quando in dominium deducantur, 139. num natura poſſideantur, 764. quando pro rebus nullius habendæ, 265. cuinam intereant, 352. quales a poſſeſſore b. f. reſtituendæ, 620. ab alio acceptæ quando domino reſtituendæ, 484. a beſtiis abreptæ cujusnam ſint, 430. a non domino acceptarum num fis Dominus, 660. quando occupatæ alteri reddendæ, 475. 478. contra jus proprium occupatæ cujusnam ſint, 224. 234. quando citra injuriam contra jus proprium occupentur. 235. poteſtati domini ſubductæ cujusnam ſint, 431
Res in poteſtate noſtra quænam ſint, 451. quando eidem ſubducantur, 462. an cum poſſeſſione reciprocetur rem in poteſtate habere, 463
Rem amitti videntis obligatio, 517
Rerum diviſio, 134. 110. communio quomodo conſervetur, 75. uſus quando iterum pateat aliis in communione primæva, 38. 39. quando participetur, 40. Vide uſus rerum.
Rei apprehenſio quale jus conferat in communione primæva, 36
Rei derelictio. Definitio, 219. quando præſumatur, 264. quando præſumi nequeat, 266
Res deſtrui quænam dicantur,17. quando deſtructio licita, 18
Rem ſuam jactare quinam dicantur, 254. an quis hoc facere præſumatur, 255
Res uſu conſumi quænam dicantur, 16
Res perire quando dicatur, 355. cuinam pereat, 356
Rei vindicatio. Definitio, 543. num ſit bellum, 688
Res aliena. Definitio, 146. quod nemo de ea diſponere poſſit, 147. non corrumpenda, nec deterioranda, 647. ut in poteſtatem domini veniat efficiendum, 466
Rei alienæ ablatio in quantum prohibita, 497. an ſit injuria, 526. quando damnum, 527
Rei alieni reſtitutio præcepta, 467
Rei alienæ uſus num ſit injuria, 222
Res amiſſa. Definitio, 419. jus, 420. & ſeqq. quando mala fide poſſideatur, 423. quando fiat inventoris, 424. an ea uti liceat, 425. quando

Digitized by Google

furtum in ea committatur, 516
Rei amiſſæ inventione num dominium acquiratur, 421. 422
Rei amiſſæ inventor quale habeat jus, 426
Res artificiales quales ſint in communione primæva, 29. quando de iis cogitare coeperint homines, 74. num in fructuum numero ſint, 438
Rerum artificialium incorporatio in communione primæva, 31
uſus in communione primæva cuinam competat, 32
Res communes. Definitio, 4. quænam ſint natura, 7
Res derelictæ. Definitio, 249. quomodo ejus dominium intereat, 250. cujusnam ſit, 251. quomodo dominium acquiratur, 252. quinam ſuam facere poſſit, 253
Res diſcernibilis. Definitio, 267
Res ejectæ in mari cujusnam ſint, 427. an fiant inventoris, 429. quando reſtituendæ, 473. quando non, 473. quando in iis committatur furtum, 518
Res furtiva. Definitio, 501. domino reſtituenda, 523. non domino non reſtituenda, 525
Res incorporales num dominio ſubjici poſſint, 216. 217. quomodo ſubjiciantur, 219. num alienari poſſint, 670. quomodo poſſideantur, 744
Res indiſcernibilis. Definitio, 267
Res induſtriales quales ſint in communione primæva, 29. quando a ſimplicitate vitæ exigantur, 72. quando earum nullus defectus in communione primæva metuendus, 75
Rerum induſtrialium in corporatio in communione primæva, 31. uſus qualis in communione primæva, 32
Res immobiles. Definitio, 148. quomodo occupentur. 185. 186. 187. quamdiu poſſideantur, 740. quomodo earum poſſeſſio amittatur, 785
Res mobiles. Definitio, 148. quando occupentur, 181. quomodo dominium, ſi nullios ſunt, acquiratur, 182. 184. 188. quamdiu poſſideantur, 741. quando poſſeſſio amittatur, 780. quando abditæ non ſint theſaurus, 329
Res naufragæ cujusnam ſint, 428. an fiant occupantis, 429. an reſtituendæ, 473. 590. quando in iis furtum committatur, 518
Res noſtræ. Definitio, 124
Res nullius. Definitio, 6. quænam ſint natura, 7. quomodo earum poſſeſſio acquiratur, 767
Res peregrinas num petere liceat in communione primæva, 94
Res principalis. Definitio, 349
Res propriæ. Definitio, 132. quænam ſint, 133. num deſtrui, vel deteriorari licite poſſint, 648
Res pure naturales quando in ſimplicitate vitæ non ſufficiant, 71

Digitized by Google

Res raptæ. Definitio, 520, cuinam reſtituendæ, 523. quando vi licite eripiantur, 562. num prædoni a non domino reſtituendæ, 525
Res ſe moventes. Definitio, 236. an exiſtentia in fundo tuo tibi tribuat jus in eas, 237. 238. in fundo alieno occupatæ cujusnam ſint, 239
Res ſingulares, ſive ſingulorum Definitio, 5. num natura dentur, 7. 8. cur nullæ dentur in communione primæva, 24. num fieri potuerint ſalva lege naturæ, 109
Res uſus inexhauſti. Definitio, 198. an dominio ſubjiciendæ, 199. 201. quales ſint, 200
Rerum utilium uſus quinam licitus, 15
Rerum voluptuariarum uſus quinam licitus, 15
Reſtitutio rei alienæ quantam inferat obligationem, 468. & ſeqq. quam exigat circumſpectionem, 470. quando vi urgenda, 546. quando ceſſet, 587. & ſeqq. quando fieri debeat a poſſeſſore m. f. 621. 622. quando in acceſſione locum habeat, 481. in confuſione, commixtione, ferruminatione, adplumbatura, ib.
Ripæ. Definitio, 373. cujusnam ſint, 374. 375

S.

Satio. Definitio 404. jus, 417
Scientiæ cupiditas quomodo exorta in animis hominum, 74
Scientiarum cultura in vitæ ſimplicitate reſtringenda, 74
Scripturæ jus, 418
Simplicitas vitæ quando exigat res induſtriales, 72
Solum. Definitio. 397
Spolium. Definitio, 323
Spatium atmoſphæricum. Definitio, 411. jus, 409 & ſeqq.
Species. Definitio, 339. quando intereat, 353. cujusnam ſit materia, ſi interit, 354
Specificatio. Definitio, 339. jus, 340. & ſeqq. 344. 345
Specificans mala fide num injuriam faciat domino, 342
Stagnum. Definitio, 382. num dominio ſubjici poſſit, 213. num in eo detur jus alluvionis, 383
Stolonum jus, 407
Superficies. Definitio, 400

T.

Terminatum cur dominio ſubjici poſſit, 212
Termini artificiales. Definitio, 205
intelligibiles, ibid.
naturales, ibid.
ſenſibiles, ibid.
Titulus poſſeſſionis originariæ, 773
Theſaurus. Definitio, 328. cuinam acquiratur, 332. qualis ſit res, 331. quando inventus alii reddendus, 483. quando furtum in eo committatur, 514. quemnam occupatio habeat juris effectum, 332
Translatio juris. Definitio, 661
Translatio juris ad actum in certum tempus, 678
Turbatio communionis primævæ. Definitio, 61. an auxilium turbatori ferre liceat, 62. 63

Turbatio juris utendi in communione primæva prohibita, 36
Turbatio poſſeſſionis. Definitio, 748. num licita, 749. diviſio, 750
Turbatio poſſeſſionis facultatum animæ & organorum motoriorum corporis illicita, 777. 778
Turbatio poſſeſſionis quaſi, 760
Turbatio poſſeſſionis realis. Definitio, 750. num licita, 751
Turbatio poſſeſſionis verbalis. Definitio. 750. num licita, 751
Turbatio poſſeſſionis verbali affinis, 755

V.

Venatio. Definitio, 275
Villæ. Definitio, 398
Vindicatio rei. Definitio, 543. cuinam competat, 545. quando competat, 545
Vindicatio injuriæ. Definitio, 550. num licita, ibid.
Vi poſſidere quinam dicatur, 727. quinam vi non poſſideat, 728. 729
Virtutis agnitio num detur in ſimplicitate vitæ, 84
Vis in poſſeſſorem clandeſtinum licita, 736. in turbatorem communionis primævæ licita, 54
Vis ablativa. Definitio, 757
compulſiva, ibid.
expulſiva, ibid.
turbativa, ibid.
Vita ſimplicitas in quo conſiſtat, 68. quanta ſit in eadem indigentia, 69. arcet a communione primæva bella, 70. non ſufficit ad vitæ commoditatem & jucunditatem, 73. num conveniat legi naturæ, 79. 91. num in ea hominibus perſiſtendum, 92. ejus termini, 82
Vitiorum ignorantia cur ſit in ſimplicitate vitæ, 87
Vivendi genus diverſum num conveniat communioni primævæ, 100
Univerſitas. Definitio, 112. cur & quatenus unam perſonam repræſentet, 113
Volucrium poſſeſſio quomodo amittatur ſine dominio, 261
Voluntas præſumta. Definitio, 245
Votum paupertatis cur cum voto obedientiæ conjungendum in communione religioſorum, 63. cum divitiis cœnobiorum conſiſtit, 129
Uſuarii quod ſint homines in communione primæva, 96
Uſus futuri gratia num quædam aſſervare liceat in communione primæva, 98
Uſus rei qualis competat domino, 167
Uſus rerum qualis lege naturali homini detur, 14. quomodo in communione primæva commenſurandus, 33. quinam illicitus in communione primæva, 102. an impeditus in eadem ſit læſio 48. quomodo reſtringatur in communione primæva, 101. quomodo ea ſublata reſtringatur ad ſingulos, 114. quomodo ad univerſitatem, 115
Uſus rerum neceſſarius. Definitio, 12. quale ſit jus, 46. quarumnam rerum ſit, 13. lege naturali homini conceſſus, 14. quod ſit licitus, 15. quomodo ſe habeat in communione primæva, 19. quod nemo eodem excludatur in eadem, 20. a quonam ſit in eadem definiendus, 43
Uſus rerum actualis quomodo ſe habeat in communione primæva, 34. 35. quomodo in eadem determinetur, 44

FINIS INDICIS PARTIS SECUNDÆ
JURIS NATURÆ.

ANT 121514

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google